ΧΕΙΡΟΠΛΟΘΗΚΗ,

Seu

D. JOANNIS SCULTETI,

Physici & Chirurgi apud Ulmenses olim felicissimi,

ARMAMENTARIUM CHIRURGICUM XLIII. TABULIS ÆRI ELEGANTISSIME INCISIS, nec ante hac visis, exornatum.

OPUS POSTHUMUM,

Medicinæ pariter ac Chirurgiæ Studiosis perutile & necessarium,

IN QUO TOT, TAM VETERUM AC RECENTIORUM INSTRUMENTA AB Authore correcta, quàm noviter ab ipso inventa, quot ferè hodiè ad usitatas operationes manuales feliciter peragendas requiruntur, justa & hactenus semper desiderata magnitudine & applicandi modo, depicta reperiuntur, cum annexa brevi Tabularum descriptione, & sequentibus cautionibus ac curationibus Chirurgico-Medicis per omnes ferè corporis humani partes externas observatis.

Nunc primum in lucem editum,

STUDIO ET OPERA

JOANNIS SCULTETI, Authoris ex fratre Nepotis, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris.

Cum triplici Instrumentorum, Curationum, rerumque memorabilium Indice.



ULMÆ SUEVORUM,

Typis & impensis BALTHASARI Kühnen / Reipubl. Ulmens. Typographi & Bibliopolæ, ANNO M. DC, LV.

[illegible]

ARMAMENTARIUM CHIRURGICUM XLIII. TABULIS AERI ELEGANTISSIME INCISIS,

nec ante hac visis, exornatum,

[illegible] POSTHUMUM

Medicinæ pariter ac Chirurgiæ Studiosis [illegible] necessarium,

[illegible]

Authore collecta, cum noviter ab ipso inventa, quot sit hodie [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] Chirurgis [illegible] Medicis per omnes [illegible] [illegible] partes exercitas observans.

[illegible]

Studio et Opera

[illegible] SCULTETI, Authoris ex Fratre [illegible] Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,

[illegible]



ULMÆ SUEVORUM,

Typis [illegible] Balthasari Kühnen / Reipubl. Ulmens. Typographi [illegible], Anno M. DC. LV

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
Amplissimis, Consultissimis & Prudentissimis

DNN. DUUM-VIRIS, CONSULIBUS, AC SENATORIBUS

Inclytæ Reipubl. Imperialis

ULMENSIS.

Dnn. ac Fautoribus meis omni honoris cultu æternum prosequendis, salutem & observantiam.

VNusquisque, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, & Prudentissimi, qui æterni rerum Moderatoris & Arbitri mira opera inconnivo mentis oculo intuetur, dulcissima contemplatione oblectatur, & oblectatus magis magisq; ea rimatur, & rimando indies plura addiscit, & discendo lubens volensque publico usui consecrat, & experimenta sua auxilio chalcographiæ seræ posteritati transmittit. Et licet plurima Scriptores anteriores dixerint, tamen multo majora posteris suis dicenda reliquerunt. Dominus meus Patruus p. m. primum, admirando Dei ductu, Studio Medico à juventute animum dedicavit, & cum in eo felicissimis Chirurgiæ operationibus non infimam gloriam, absit invidia dictis, consecutus fuerit, stupendum Dei miraculum, hominem scilicet, tanquam objectum suum, suavissima oblectatione contemplans, cotidie novas observationes didicit, quas foliis chartaceis inscripsit, ea opinione & eo animo, ut aliquando revisæ in vulgus exirent. Et utinam fata mitiora vitæ ipsius diem in plures annos produxissent, ut ipsius hunc suum ingenii fœtũ potuisset ad umbilicum pertexere. Sed cum, Deo ita disponente, propter improvisum

a 2 ejus

ejus ex vivis discessum, ego unus ex illius heredibus ab intestato veniens, ejusque voluntati à pueritia morem gerens parilem professionem nactus, nefas esse duxi, ut hunc mei educatoris laborem Cimmeriis quasi tenebris involverem, præprimis cum heres teneatur defuncti vota dissolvere. Quod ego hac mea qualicunque opella præstitisse, insuperque nonnullorum amicorum desideriis, qui operis publicam editionem per literas instanter petierunt, satisfecisse spero, confido. Causa autem princeps hæc fuit, quæ me impulit, ut V. V. St. Str. Nobill. Magg. hoc opus inscriberem, quia inter opera Domini mei patrui posthuma scriptam hanc ejus voluntatem invenire licuit, illum ipsum, si diutius vitali fruitus fuisset aura, sæpe laudatum suum laborem, V V. St. Str. Nobill. Mag. consecraturum fore. Quare maximè reprehendendus & valdè incivilis essem, si vel tantum cineribus piis vellem reluctari.

Utrumque autem & Patruum & me in justam sui admirationem rapuit vester pulchri or pulchra Vrbe Vlma Senatorius ordo, & quidem is ordo, qui in trino statu, Ecclesiastico scilicet, Politico & Militari in sublimi honoris culmine floret, qui, quod in anima mens, in corpore oculus, & in oculo pupilla est, hoc in Vlma, oculo Sueviæ, vester Senatorius ordo, tanquam pupilla est. Libera est Laudatissima vestra Respublica à jugo imperioso conscientiæ, libera est curia ab assentatoribus, clementia favoreque intempestivo; libera sunt moenia ab externo milite, & libera est lingua in civitate libera. Quis igitur vos Patriæ Parentes non eadem amoris veneratione prosequatur, qua Patria vel ipsa maximè afficienda, colendaque est? Quis non scriptis & dictis submissum erga vos animum contestetur? Bellum tricenarium Germanicum, de cujus plagis etiamnunc penè tota gemit Germania, & quod Christianus contra Christia-

num

num movit, Defensore Deo, vobisque Directoribus, mœnia nostra non conquassavit, aras & templa non violavit, pudorem virgineum non constupravit, sed hæc omnia constantissima Vestra Tutela defendit, Summa Prudentia conservavit, & ingenita sedulitas protexit. Utrumque vos, & Patruum honesto salario conductum, & me (quem inprimis ærarii vestri favor liberalissime complexus est, sine quo, Athenis præsertim Venetis ultra triennium degens, nec vivere, nec Studiis operam navare potuissem,) dignati estis in Concilium Medicorum recipere in eorum Collegio Collegam fieri jussistis. Hæc, aliorumque beneficiorum cumulum ille vivens gratissimus agnovit, ejus cineres quieti deprædicant, ego superstes grata pariter memoria nullo non tempore persequar. Ea propter, Patriæ Patres conscripti, vestra singularis naturæ benignitas, & incredibilis humanitas, quæ fronte totoque corporis habitu relucet, mihi tantum addidit fiduciæ, ut nec ipse dubitarim, vos hac Armamentarii Chirurgici dedicatione interpellare, vestroque patrocinio, tanquam Ajacis clypeo, lucubrationes hasce Medicas præmunire.

Accipite igitur, Patriæ Proceres, hoc observantiæ erga vos, gratumque mentis levidense pignus serena fronte, quod vobis submisse offero, Deumque ter Optumum Maximum veneror, ut Divina sua protectione, vos Gubernatores inclytæ hujus Reipublicæ, una cum gubernaculis & puppi tota, in nostrum omnium & posteritatis commodum, quam diutissime pios, felices & fortunatos conservet, protegat & defendat. Ulmæ III. Iduum Martii, Anno M.DC.LV.

V. V. St. Str. Nobill. Magg.

Observantissimus

JOANN. SCULTETUS, D.

PRÆFATIO AVTHORIS.

Summo à Numine, parentes nostros primos corporis perfectione insignes, æqualitate temperamentorum beatos, oleaginosi humidi purissimáque vitæ flammula impraegnatos, ossium robore decoratos, atque omnibus numeris absolutos, conditos & creatos fuisse, vel infallibile hoc argumentum pressè proponit, quoniam in Statu innocentiæ, illis licuisset, hanc sui corporis molem, sine ullo mortis periculo gubernare, & calore consumptum humidum illud radicale, eadem bonitate, eademque copia restaurare, imò ad immortalitatem perducere, nisi Serpentis astutia decepti, de vetita gustassent arbore, & ita & ipsi morti obnoxii, & posteros sibi similes progenerassent.

Verum & hi, ante diluvium, ortui suo propinquiores, vitæ sanctimonia, & esculentorum è vegetabilibus petitorum innocentia simplicitateque: alii eorum ad millesimum fermè annum; alii ad secula aliquot, præfixum vitæ terminum (respectu secundarum causarum, quibus Deus cursum suum relinquit, mutatque prout ipsi visum fuerit,) protraxerunt, & distulerunt. Subsequentibus attamen temporibus, cum mortales gulæ incontinentia ad varia ferculorum genera invitaret, illicitusque veneris usus illorum pedetentim corpora debilitaret, exhauriretque, miro modo vitæ periodus abbreviata, & dies centum & viginti annorū fuerunt. Ut enim densa nubes solares radios excipit & obscurat: ita vitiosa corporis dispositio vitæ nostræ lucernam, tanquam corporis lumen, obnubilat. Hæc ergo quotidiana necessitas, Therapeuticæ Medicinæ initium præbuit, & Euporista sanitatis, atque domestica, auxilia, sibi suisque circumspectos patres familias comparare coëgit, ut lethi festinam inclementiam retardarent.

Quantumvis autem solius naturæ robore, & sex rerum non naturalium convenienti observatione, vel alterantium atque purgantium medicamentorum debita administratione, tanquam per duo humanæ salutis præsidia, plures morbi expugnentur: dantur tamen alii, qui hæc spernentes nullo alio modo, nullaque ratione, corrigi & emendari possunt, nisi manuali aut chirurgica operatione (continuum videlicet dividendo, disjunctum uniendo, & p.n. superfluum extirpando,) juxta verissimum nostri Senis effatum, sect. 8. aph. 6. Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat; quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet.

In quibus Chirurgicis operationibus, & olim & nunc, passim verè infiniti & industrii Medicinæ cultores, Ægyptii, Græci, Arabes, Latini cum Italis, Galli, & omnium fermè nationum, ob inevitabilem necessitatem, & generis humani commodum,

per

per integrum vitæ suæ cursum, ita sedulo sudarunt, ut nihil non intentatum reliquerint, usque dum & huic Medicinæ parti majorem perfectionem adjecerint, eandemque scriptis aureisque lucubrationibus, posteritati sacrarint. Præsentes igitur XLIII. Tabulæ chirurgicæ, ob accuratam instrumentorum, (& formæ & magnitudinis ratione) delineationem, commonstratum operandi modum fidelem, & superadditas utiles observationes, luce fortassis publica non indignæ, in publicum mortalium commodum (in iis enim traduntur meis aut manibus aut oculis crebro feliciter experta & comprobata.) *à me congestæ sunt, ut & ego pro tenuitate ingenii & modulo à Patre luminum accepti talenti studiosæ posteritati in lectione præsertim Hieronymi Fabritii (cujus verba hic, & vestigia secutus sum in praxi,) inservirem, & alii, succedentibus annis, magis ardua aggrederentur, deficientia supplerent, hisque perfectiora in lucem ederent: procul enim à me cum absit omnis invidiæ stimulus, patefactam & liberam arenam, omnibus ingenuis lubens relinquo, & animitus precor, ut vel elaboratiora tradere, vel feliciter his interim frui dignentur.*

I.

In Armamentarium Chirurgicum

D. JOHANNIS SCULTETI,

Reip. Ulmensis Med Ordin. Collegæ sui honorandi.

Non aliter quàm si Zeuxes, nova symbola pingens,
Crassa quidem primum lineamenta facit,
Et sensim gnavo studio nascentia fingit,
Quo vulgi culpet lima sinistra nihil,
Et quo naturam dubia vel provocet arte,
Vel fallat sensus ingeniosa manus:
Graci sic Arabesque simul ratione probata
Primùm struxerunt artis opus Medicæ;
Addidit inventis horum vigilante labore
Italia Medicans, orbe stupente, chorus,
Qui claris operas manuales dotibus auxit,
Fœto digna loquens experimenta cedro.
Sic Collega meus non inferiora secutus
Ornavit Spartam quam bene nactus erat.
Id quod scripta docent jam primum publica facta,
Et quorum laudes vivida fama canit.

L. M. Q. apposuit

Johannes Georgius Gockelius, Phil. & Med. D. Phys. Ord.

II.

TU, quòd ab interitu immunes, SCULTETE, tabellas
Cognati à blattis à tineisque cupis,
Quas Tibi quas grates aget ac feret ordo Medentûm,
quam statuet laudi digna trophæa tuæ?
Hoc ipsum inprimis laudem meruisse putatur,
justaque quò referat præmia quisque cliens.
Quin Tibi pro meritis princeps Heliconidos umbræ
Cingit Apollo Tuas Delide fronde Comas:
Atque æterna tui vivent monimenta laboris,
Tùm tua laus pariter, tùm Patruique senis.

Excellentissimo Viro, Medico Experientissimo, & Chirurgo Exercitatissimo veræ amicitiæ ergò l. m. adposuit

Johan. Georg. Volckamer, Reip. Noribergensis Medicus.

III.

EGREGIIS LABORIBUS,

Excellentissimi Viri

D. JOANNIS SCULTETI, qui Observationes Chirurgicas, publicæ saluti à se destinatas, in lucem emittere satagebat, at morte heu! improvisa præventus, Cognato suo desideratissimo, Viro Præclarissimo D. IOANNI SCULTETO, Medico exercitatissimo, curam istam gloriosam reliquit.

Honorificæ memoriæ ergò ponebat

Lucas Schröck/ D.

Est sapientis opus liber hic, quem conspicis Hospes
Et superis gratum, terrigenisque simul.
Hic varia & scita, & methodo comprensa decenti
Plurima pervigili parta labore nitent:
Authorem hinc operis sua gloria digna manebit
Posteritas famam & tollet ad astra suam.
Nam Medicis etiam multis Chirurgia *rara*
Ipsius Genium cepit & Ingenium,
Is dum nec lectu, visu quoque nota nec ulli
Instrumenta *suis multa videnda dedit.*
Ergo dum studio stabunt exculta frequenti,
Florida SCULTETI *& fama perennis erit.*

IV.

ULmiea terra tibi, niveum Decus inter Olores,
A teneris, HENISI, dulcis origo fuit.
HORSTIADEM scriptis eadem te prædicat Ulma,
Plaudit THONERO Nobilis Ulma Sene,
(Plures Ulma dedit, Medica qui laude canendi,
Quos tamen obscuros fama noverca premit.)
Ambos his jungit SCULTETOS Ulma Melampis
Ambos perpetuo charta loquetur anus.

Bonæ acclam. ergo scripsit

Ernestus Gockelius, Ulm. ICt.

V.

Ad Lectorem de libro.

ARMA cupis, Danaos Podaliri atque Machaon
Queis juvère suos? En! tibi Lector habes.
At non hæc tantùm: sed plurima præcipuorum,
Tollere qui morbos nos docuère manu.
Quæ correcta leges partim; partimque videbis
Ingenium Medici prorsus olere novum.
SCULTETU *Medico, qui rectos edocet usus,*
Effectusq́; observans, quos habuère, notat.
Ille suâ vivus Patriam olim sedulus arte
Juvit; nunc alios mortuus hisce juvat.

In honorem Dn. Autoris p. m. Imq; apposuit

Joan. Pfautz, Phil. & Med. D.

VI.

QUam præstans fuerit Patruus tuus arte medendi
Hic, SCULTETE, liber monstrat abunde satis.
Cui tu nunc par es, rumpantur ut Ilia Momo,
Consiliis nec non dexteritate manus.

Non

Non opus ergo Senem procul huc arcessere Coum,
Istud enim per te Suevia Numen habet.

Fecit veræ amicitiæ ergo

Tobias VVagner, Med. D.

VI.

ARmorum formas varias fabricare modosque,
Mortis ut effigies sic quoque mille vias:
Id jam grande, tenet quos publica cura salutis
Quo fruimur Pacis tempore, crimen habet.
Armorum verò pingendo docere figuras,
Membra quibus nostri corporis arte vigent;
Artificis solius opus Iugisque laboris,
Nonnisi condignæ nomina laudis habet.
Ergò SCULTETUM, *qui talia gnaviter ausus,*
Fama vel æternùm *post sua fata manet.*

Observant. affect. monum. pos.

Vitus Riedlin/ Ulm. M. D.

VIII.

NOn petit sanus Medici juvamen,
nec bibit sanctum medicamen ejus
temperatus mas; ait IPSE, nostra
Vita, Salusque:
Ergo non-sanus, dubiique prensus
impetu morbi, Medicum vocabat,
tumque, opem ferret sibi, præmiante
voce rogabat;
Temporis sed nunc neque sanus ullus
consulit planè, neque sanitatis
indigus nostros Medicos, ut ipsi
sæpe queruntur.
Imperitos nam vocat hoc adustus
quilibet rasor, ciniflo, coquentes
unguen, obliti fidei in medendi
arte ministri,
Hinc anus mussans, gravicors sacerdos,
Martha nasutans, monachusque tristis,
histrio, Judas, idiota, miles
Phy! medicantur,
Unici restant Jatrum vocantes
Eruditum, qui temerante turbâ
cognitâ serò sapiunt in imâ
mortis agone:
Hi Sacerdoti patrio remissi
atque Prætori, (det ut hic sepulcrum,)
execrantur Phymedicos avaros
per-que-feroces:
Execrantur sed quoque Præitorem
civium, sic & Parochum supinum!
Pastor & Prætor bonus estne, ubi tot
Phymedici sunt?
Istius verùm generis querelæ
execrandæ ne pariant furorem,
turba nec mulo-medicans ruinam
augeat Orbis:
Ecce SCULTETUS Vir Apollinaris,
efficax arte, experientiâque,
inter Ulmanos, specimen dietim
exhibet auctum,
Quale sincerus perhibere debet
DOCTOR ægrotis, ratione rectâ
trutinans utrum levis aut acutus
morbus onustet;
Pharmacum non vult dare, si diætam
ritè correxisse sat est, & urit
neminem solo medicamine unquam
restituendum.
Alterum si quod Medici probati
expetis signum, reperis legendo:
Arma Chirurgûm Bona, Quanta, Quando,
Qui-que ferantur.
Prætor huc ergo venias requirens,
cui potestatem dare sit necessum,
Urbe in Urbanâ, medicationem
perficiendi:
Pastor hic adsis, ovium querelas
morbidarum qui reputare gestis,
disce noscas carnifices, amusos
circuitores;
Advolate omnes refici volentes
tempori, usuri Sapiente Jatro,
atque SCULTETO Medico absoluto
plaudito cuncti.

Ἰατρίας τε καὶ φιλίας ἕνεκα ἐποίει

Justus Joh. Guittenbaum/
Brunsvigas, D.

IX.

QUæ præclara petunt circumdata mœnia vallo
Hostiles technas, & flocci pendere ructus;
Quæque petunt salvam sub tecto degere vitam,
Armorum flagrans ornatus splendet eorum,
Sique modò cupiant Martis prosternere turbam
Possunt, sic validè pacem servare beatam.
Sic qui mundicolæ mortis vitare pericla
Optant, qui cupiunt luxata reducere in artus,
Aut qui desudant curabile pellere vulnus,
Auxilium hic quærant, licet hinc decerpere fructus,
Quæque fugent morbos, liber hic monstrabit apertus,
Invenies facili studio medicamina salva:
Laudem cantabit numerosam Teutona proles
SCULTETI, *dum Sol radiis illuminat auras.*

Debita observantia ergo lmq. accinere voluit

Eberhardus Gockelius, M. C.

INDEX INSTRUMENTORUM.

A.

Ἀκανθοβόλον Pauli, Tab. 4. Fig. 1.
Acus pro inurendo setaceo, Tab. 7. Fig. 4.
Acus, quibus deponuntur cataractæ, Tab. 8. Fig. 2. & 4.
Acus, quibus perforatur hydropicorum scrotum atque abdomen, Tab. 12. Fig. 17. & 20.
Acuum Manubrium, Tab. 8. Fig. 3.
Annulus æneus ad confirmandum oculum, Tab. 8. Fig. 5.
Acus, qua trajicitur mamma, Tab. 12. Fig. 8.
Acus, qua castratores perforant scrotum, & aperiuntur sinus decliviores, Tab. 14. Fig. 5.
Ambi Hippocr. Tab. 21. Fig. 1.

B.

Bracherium adultis adhibendum, Tab. 39. Fig. 6.
Bracherium pueris applicandum, 39. Fig. 7.

C.

Cannula ad fonticulos in artubus conficiendos, Tab. 1. Fig. 1.
Cannula ad fonticulos suturæ coronali inurendos, Tab. 1. Fig. 3.
Cannulæ variæ naribus immittendæ, Tab. 9. Fig. 3. 4. & 5.
Cannula faucibus immittenda, Tab. 10. Fig. 2.
Cannulæ alatæ in vulneribus thoracis & paracentesi abdominis utilissimæ, Tab. 12. Fig. 12. 13. 14. & 15.
Cannulæ ad curandas hæmorrhoides, & exiccanda ani ulcera, Tab. 16. Fig. 1. 2. & 3.
Canalis ad extrahendam empyematis materiam, Tab. 12. Fig. 9. & 10.
Canalis, in quo reponitur pes fractus vel luxatus, Tab. 21. Fig. 6.
Cannula ad mitigandum urinæ ardorem, Tab. 12. Fig. 16.
Capsula Iulii Casserii Placentini, Tab. 1. Fig. 7. &c. Tab. ultima, Lit. G.
Candelæ cereæ ad carunculas in meatu urinario enatas, Tab. 13. Fig. 9. & 10.
Crinale, Tab. 8. Fig. 1.
Catheter, Tab. 14. Fig. 5.
Culter rasorius, Tab. 2. Fig. 2.
Culter falcatus, quo inciditur caro ante amputationem membri, Tab. 20. Fig. 3.
Cataphracta Galeni, Tab. ultima, Litt. S.
Cauteria ad inurendum occipitium, Tab. 7. Fig. 6. 7. 8. & 9.
Cauteria ad alias partes fabrefecta, Tab. 19.
Cochlear uvulæ relaxatæ admovendum, Tab. 9. Fig. 8.
Cochlear, quo eximitur calculus è meatu urinario, Tab. 14. Fig. 8.
Circuli uterini, Tab. 17. Fig. 6. 7. &c.

D.

Dilatatorium oris, Tab. 9. Fig. 9.
Decussorium, Tab. 2. Fig. 10.
Dentiscalpium, Tab. 10. Fig. 10.
Dioptra ani, Tab. 17. Fig. 3.
Dioptra matricis, Tab. 17. Fig. 4.

E.

Enterenchyta, Tab. 13. Fig. 5.

F.

Fascia umbilicalis, Tab. 38. Fig. 8.
Fascia cancer, Tab. 31. Fig. 9.
Fascia ad fonticulos in sutura coronali inustos, Tab. 33. Fig. 6.
Fascia, Sostrati vinculum dicta, Tab. 38. Fig. 6.
Fascia, cataphracta nominata, Tab. ult. S.
Fascia uteri, Tab. 41. Fig. 3.
Fasciæ ad membra fracta & luxata, Tab. 29. Lit. E. F. G.
Fascia funda, Tab. ult. A.
Fasciæ ad deliganda membra mutilata, Tab. 27. Fig. 14.
Fascia ani. Tab. 41. Fig. 7.
Ferulæ, Tab. 29. Litt. K.
Ferramentum solidum, quo candefacto paratur fonticulus in bregmate, Tab. 1. Fig. 2.
Forceps cum rostro psittaceo, Tab. 4. Fig. 2. Tab. 11. Fig. 1.
Forcipes ad inurendum setaceum in nucha, Tab. 7. Fig. 1. 2. & 3.
Forceps ad secandum setaceum, Tab. 7. Fig. 10.
Forceps ad polypum recta (qua abscinditur etiam clitoris) *& curva*, Tab. 9. Fig. 1. & 2.
Forceps Pelicanus dicta, Tab. 10. Fig. 3.
Forcipes dentariæ, Tab. 10. Fig. 6. & 7.
Forceps rostrum corvinum dicta, Tab. 10. Fig. 5.
Forceps dentaria communis, Tab. 10. Fig. 4.
Forceps cum rostro gruino recta, Tab. 11. Fig. 6.
Forceps cum rostro gruino curva, Tab. 9. Fig. 10.
Forceps anserina cum cochlea, Tab. 15. Fig. 5.
Forceps anserina sine cochlea, Tab. 15. Fig. 6.
Forceps deceptoria, Tab. 17. Fig. 9.
Forceps ad incidendas cartilagines, Tab. 20. Fig. 2.
Forfex ad varios usus comparata, Tab. 20. Fig. 1.

G.

Glossocomum Galeni, Tab. 21. Fig. 4.
Glossocomum Hippocratis. Tab. 21. Fig. 1.

H.

Hamulus acutus ad elevandam palpebram & unguem oculi, Tab. 8. Fig. 9. In aliis locis adhibendus hamulus duos habet uncos, ut Tab. 34. Fig. 5. & Tab. 30 Fig. 8. videre licet.
Hamulus ferreus ad educendas glandas è vulneribus sclopetorum, Tab. 15. Fig. 5.

Instru-

I.

Instrumentum simpliciter cavum & incidens cannula pro fonticulis in sutura coronali parandis exacte respondens, Tab. 1. Fig. 4.
Instrumentum Stellatum, Tab. 1. Fig 4.
Instrumentum dentatum, Tab. 1. Fig. 6.
Instrumentum lenticulare, quod Græci φακωτὸν appellant, Tab 2. Fig. 8.
Instrumentum decussorium, Tab. 2 Fig. 10.
Instrumentum triploides, Tab. 3. Fig. 3.
Instrumentum crinale pro ægilope, Tab. 8. Fig. 1.
Instrumentum, quo abscinditur uvula corrupta, Tab. 9. Fig. 7.
Instrumentum dilatatorium oris, Tab. 9. Fig. 9.
Instrumentum, quo extrahitur calculus in meatu urinario, Tab 14. Fig. 8.
Instrumentum, quo Asciticorum abdomen pertunditur, & scrotum eorum, qui hernia aquosa laborant, Tab. 12. Fig. 17.
Instrumenta varia, quibus glandes è vulneribus sclopetorum trahuntur, Tab. 14 Fig 9. & 11. Tab. 15. Figur. omnes.
Instrumentum Alphonsinum, Tab 15. Fig. 1. 2. & 3.
Instrumentum, quo crus contractum sensim extenditur, Tab. 18. Fig. 1.
Instrumentum, quo cubitus rigidus paulatim flectitur, Tab. 18. Fig. 5.
Instrumentum, quo arteria carpi vulnerata, vel arte incisa comprimitur, Tab. 13. Fig. 4.
Instrumentum Hieron. Fabrit. ab Aquapendente, ad curandas carunculas in meatu urinario, Tab. 40. Fig. 5.
Itinerarium, Tab 14 Fig 7.
Infundibulum, Tab. 10. Fig. 11.

L.

Lanceola, qua tutissime inciduntur vasa ad emittendum sanguinem, loca imperforata pertunduntur, & secantur fonticuli, Tab. 19. Fig. ult.

M.

Μαχαιρὶς ςηθοειδὴς, Tab 2. Fig. 1.
Modiolus mas, Tab. 2. Fig. 3.
Modioli Fœmina, Tab. 2. Fig. 4. & 5.
Membranæ Custos, seu μηνιγγοφύλαξ, Tab. 2. Fig. 9.
Malleus plumbeus, Tab. 2. Fig. 11.
Malleus ligneus, Tab. 20. Fig. 5.
Machina tractoria Vitruvii, Tab. 22. Fig. 1.
Metrenchyta, Tab. 13. Fig. 3.

N.

Nilei Plintheum, Tab. 21. Fig. 5.

O.

Otenchyta, Tab. 13. Fig. 4.
Oris dilatatorium, Tab 9. Fig. 9.
Oris speculum, Tab. 11. Fig. 4.

P.

Pelicanus, Tab. 10. Fig. 3.
Pileus argenteus, Tab. 13. Fig. 7.

R.

Rostrum gruinum, in angulum obtusum directum, Tab. 9. Fig. 10.
Rostrum gruinum rectum, Tab. 11. Fig. 6.
Rostrum Corvinum, Tab. 10. Fig. 4. Tab. 11. Fig. 2.
Rostrum Psittaceum, Tab. 11. Fig. 1. Tab. 4. Fig. 2.
Rostrum anserinum, Tab. 15. Fig. 19.
Remora Hildani, Tab. 22. Fig. 3.

S.

Spatha Celsi, Tab. 2 Fig. 1.
Scalpellus rectus, Tab. 2. Fig. 2.
Scodeghino Italorum, Tab. 2. Fig. 2.
Serrula Versatilis, Tab. 5. Fig. 1.
Serrula recta, Tab 6. Fig. 1. & 2.
Scalpra rasoria, Tab. 6. Fig 3. &c.
Specillum latum, Tab. 8 Fig 6.
Specillum rotundum, Tab. 8. Fig 6.
Specillum cochleatum, Tab. 8. Fig. 7.
Scalpellus falcatus ad separandas à se invicem palpebras, Tab. 8. Fig. 8.
Stylus cannulis narium immittendus, Tab. 9. Fig. 6.
Stylus cannulis ani accommodatus, Tab. 16. Fig. 4.
Scolopomacharia, Tab. 12. Fig. 1. 2. 3. & 5.
Syringotomi, quibus inciduntur fistulæ, Tab. 14. Fig. 1. 2. & 3.
Scalpellus falcatus, quem Itali gamma ut appellant, Tab. 12 Fig. 4.
Scalpellus, quo dilatantur vulnera abdominis angusta, Tab 14 Fig 4
Scalpellus, quo peragitur paracentesis in abdomine & thorace, Tab. 12. Fig. 1.
Scalpellus, quo dilatantur vulnera thoracis, Tab 12 Fig. 1.
Scalpelli ancipites, formam filiorum myrti referentes. Tab 12 Fig 6. & 7.
Scalpellus annulo inclusus, cujus maximus usus est in suppuratis mulierum mammis aperiendis, Tab. 12. Fig 11. Modus eo operandi videntur, Tab 37. Fig 5. in thorace.
Sipho communis, Tab 13. Fig. 1.
Sipho auricularis, Tab. 13. Fig 4.
Sipho intestinalis, Tab. 13. Fig 5.
Speculum ani, Tab. 17. Fig. 2 & 3.
Speculum matricis, Tab. 17. Fig 3.
Scalpellus, quo setaceum nuchæ inciditur, Tab. 18 Fig. 6.
Scalper, quo amputantur digiti, vel manus extrema corrupta, Tab. 20 Fig. 4.
Scala, Tab. 21. Fig 3.
Scamnum Hippocratis, Tab. 22. Fig 4.
Sostrati vinculum, Tab. 38. Fig. 6.

T.

Trypanum Hier. Fabr. Tab. 2 Fig. 6.
Terebra triformis, Tab. 3. Fig 1.
Terebra triploidis, Tab. 3. Fig 3 A.
Terebellum acutissimum, quo educuntur affixi sclopetorum globuli, Tab. 15. Fig 7.
Truncus ligneus, in quo collocantur membra scalpro auferenda, Tab. 20. Fig. 6.

Verti-

V.

Vertibulum modiolorum, Tab.2. Fig.6.
Vectis debilissimus, Tab.2 Fig.7.
Vectis validior, Tab.3. Fig.2.
Vectis instrumenti triploidis, Tab 3. Fig.3. B.
Vectis Parai, Tab.3. Fig.4.
Volsella recta Celsi, Tab. 4. Fig.1.
Vasculum oculare Aquap. Tab.8. Fig.10.
Volsella in semicirculum recurvata, Tab.10. Fig.1.
Vectes trifidi, Tab.10. Fig.8. & 9.
Vitrum, quo extrahuntur papillæ occultatæ, Tab.16. Fig.5.
Vncus, quo extrahitur fœtus mortuus, Tab.17. Fig.1.


Z.

Zonula Hildani, Tab.22. Fig.2.

D. JOAN.



TABVLA. I.



D. JOANNIS SCULTETI, &c.

TABULARUM ARMAMENTARII CHIRURGICI EXPOSITIO.

TABULA PRIMA.

De cannulis, ferramentis solidis & incidentibus, quibus inuruntur fonticuli.

FIG. I. *est instrumentum ferreum, quod Hieron. Fabritius ab Aquapendente*, de fonticulo in sutura coronali, cannulam *vocat, & invento notatoque atramento fonticuli loco, sinistra manu fortiter imprimit, ut ea impressione & innata cannulæ frigiditate, calor ferri candentis* (.Fig. II. subsequentis.) *& dolor exinde subortus mitigetur, partesque vicinæ ab ignis offendiculo defendantur.*

FIG. II. *est* ferramentum solidum *& uniforme, sine manubrio (. ei tamen vel osseum vel ligneum, quale præcedens cannula obtinet, adaptari potest.) quod benè ignitum, dextráque manu superiori cannulæ intrusum, fontanellam inurit. Duobus hisce ferramentis fonticuli parantur in solis humani corporis artubus, videlicet quando ægri ferrum ignitum non formidant, aut Chirurgus capsulam Iulii Casserii Placentini, qui cæterium actuale abscondit, non habet.*

FIG. III. *est* cannula *quoque ferrea, superiore tamen paululum profundior, ad recipiendum instrumentum proximè sequens.*

FIG. IV. *est* instrumentum simpliciter cavum & incidens, *quo candefacto, & antecedenti cannulæ immisso, fonticulum efficimus in suturæ coronalis & sagittalis concursu, non tantùm adurentes, sed etiam incidentes, ob instrumenti acumen, quod habet in extremitate.* Hoc quando calvariam attingit, circumvolvendum est, ut cranio aliquod vestigium imprimat. *Hujus instrumenti usum improbant multi, non solùm ob dolorem, quem inferre dicunt, verùm etiam ob periculosæ inflammationis metum in pericranio, quæ postmodum duræ matri subjectæ, per suturarum conjunctionem facilimè communicari possit; unde hoc rejecto, solidum ei & uniforme* (. FIG. II. hujus Tabulæ depictum.) *recentiores substituunt: cavum tamen meo judicio huic præferendum est, quoniam solidum illud enarrata modò incommoda multò facilius inferre potest: addo quod inustio suturarum cum solido ferramento nimis tardè procedat, ob cutis in capite crassitiem, duritiem, ac densitatem: administrationes autem chirurgicæ, inprimis eæ, quæ ferro peraguntur ignito, citissimè perficiendæ sunt.*

FIG. V. & VI. *sunt ferramenta non simpliciter incidentia & cava, sed prius* stellatum, *posterius verò* dentatum *est: quorum illud propter stellam circumvolvi omninò nequit: hoc verò propter dentes non ita promptè incidit. Quapropter chirurgi moderni, & inter eos ferè Princeps Hieronym. Fabritius ab Aquap. hæc duo instrumenta, tanquam ad operationem inepta, rejiciunt.*

FIG. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. *conjunctim considerata constituunt* Capsulam, instrumentum ad inurendos fonticulos, in partibus extra caput collocatis, omnium optimum, omnibusque numeris perfectissimum, *quod excogitavit Iulius Casserius Placentinus, ut tria illa incommoda (. quæ masculi timidioris animi, fœminæ, ac pueri expavescunt.) calorem scilicet, dolorem, & ignis aspectum evitaret. Hoc Placentini inventum occultat cauterium actuale, quod (.* cum escharam promptissimè inducat, ita ut ægri vix animadvertant.*) potentialibus si non præferendum, optimo saltem jure substituendum esse sentio. Nec enim propter vaginæ extremitatem, graviorem ex depressione incubitum, & miram operationis celeritatem, vel quicquam doloris, vel etiam subustionis, percipitur; quam ob causam nec vicinarum offendiculum partium, in minimis metuendum est.*

FIG. VII. *est lamina cannulata ferrea, circularis & immobilis (a.b.) huic & laminæ superiori itidem ferreæ, circulari, in medio perforatæ & versus inferiora mobili (c.) quatuor rotulæ filo æneo circumductæ (d.) infiguntur, ut* Stylus (FIG. VIII.) ex cupro solidus, *candefactus, prædictisq; laminis immissus (. veluti* FIG. IX. *ostendit.) & in* FIG. X. *capsulam ligneam repositus, ut operculo* FIG. XI. *foraminato abscondi, & beneficio clavis* (FIG. XII. & XIII.) *umbellatæ, deprimi possit.*

TABULA SECUNDA.

De Spatha Celsi, cultro rasorio, modiolorum mare, fœminis, & vertibulo; instrumento lenticulari, vecte debilissimo, membranæ custode, instrumento decussorio: quibus Chirurgo opus est ad curandas fracturas Cranii.

FIG. I. *est instrumentum, quod ab Hipp.* lib. 2. de morb. cap. de suppurata peripneumonia, *μαχαίρις σηθοειδής, à Celso autem & Paulo passim* Spatha *appellatur: Scalpellus nimirum anceps, utrinque acutus, & in superiore parte paululum latus, qui in extremitate sua in unam cuspidem coit. Hoc vulnera capitis in crucem vel triangulum dilatantur, & paracentesis in thorace tutò peragitur.*

FIG. II. *est* culter rasorius, *sive scalpellus rectus, ex una tantùm parte incidens, ex altera vero retusus, quo utuntur, quando partium subjectarum non est habenda ratio, videlicet in cute capitis incidenda usque ad cranium, & gummatibus Gallicis, in tibia præsertim vel alibi, aperiendis: deinde ubi utraque acies aliquid lædere potest, ut in fœtu mortuo intra uterum in plures portiones dissecando, & vulvæ carunculis incidendis.* Italis vocatur Scodeghino.

FIG. III. *est* Modiolus mas, *seu instrumentum ex optimo chalybe paratum, cavum, teres, imis oris serratum & quatuor alis præditum: illa scilicet pars Trypani, quæ circa os circumvolvenda est, & dicitur Græcis χοινίκιον; Celso verò* l. 8. c. 3. *modiolus: qui in medio clavum habet, ut, in principio circumvolutionis*, calvariæ à pericranio denudatæ, *firmiter insistat, & partes circumpositas, labia nempe vulneris & pericranium, ut maximè sensibiles, ab offensione tutiores reddantur. Quod si modiolus in principio adhibendus clavum non haberet, summo cum periculo, & vehementi dolore fieret perforatio calvariæ.*

FIG. IV. & V. *sunt* Modioli fœminæ, *ejusdem magnitudinis cum præcedenti masculo, neque aliter differunt hi & ille, nisi quod clavo careant, unde fœminæ nuncupantur. Antequam his fœminis utimur, beneficio masculi cranio aliquod vestigium imprimendum, ut ei fœminæ firmius insistere possint.* Pro perforatione autem Cranii administrator ad minimum tres, sed exactissimè æquales modiolos in promptu habeat, unum nimirum masculum & duas fœminas, *ut aliquoties mutari, & in aquam frigidam, aut oleum rosaceum immergi queant, ne vel scobe pleni operationem retardent, vel ex crebra circumrotatione calefacti, cranium ipsique subjectas membranas inflamment.*

Inventio alarum, quæ modiolos in cerebri membranas, vel propriam substantiam immergi prohibent, summum Hieronym. Fabricii ab Aquap. ingenium arguit: nam quamvis ex recentioribus nonnulli, ut Vid. Vid. lib. Chir. 4. c. 10. *& Ioan. Andr. à Cruce* l. 7. de instrum. *etiam alarum in modiolis mentionem faciant, eas tamen nullus eorum tam exactè & accuratè fabrefieri curavit, quam Fabritius. His modiolis nunquam non felici successu sum usus, utunturque hodierna tempestate (omnibus veterum instrumentis, quæ olim ad perforandam calvariam excogitaverunt, & quorum schemata apud citatos modo Autores & Paræum.* l. 9. c. 18. *inveniuntur, rejectis.) chirurgi, præcipuè Patavini, Fabritiique in praxi & professione chirurgica successores; inter quos superstes est celeberrimus ille Medicus, Chirurgus & Professor Patavinus, Petrus de Marchettis, Eques Divi Marci Venetorum, meus olim in Anatomia & Chirurgia, per plures annos, respectivè condiscipulus, cujus mirificam operandi dexteritatem (qua ferè omnibus Italiæ palmam præripit) tota non tantùm Italia, & undique concurrens studiosorum cohors stupet; sed ea innumeri felicissimè restituti quasi ad cœlos usq; extollunt.*


FIG. VI. *est Trypani altera pars, quæ manubrium seu* vertibulum *appellatur, & excisum habet foramen, quo mediante* modiolorum apex gossipio involutus *promptè excipitur & extrahitur, quotiescunque commutatio τῶν χοινικίων fuerit necessaria. Hac ratione ex modiolo & vertibulo componitur* Trypanum, *quo citò, tutò & jucundè perforatur cranium.*

FIG. VII. *est instrumentum compositum ex scalpro (ob lenticulam in extremitate.) lenticulari dicto, & vecte. In fine perforationis cranii, hic* Vectis *inter labia excisi ossis immittitur, ad ossiculum hinc inde movendum, ut vacillet, & volsellæ (*Tabul. IV. Fig. I.*) parte dentata auferri possit: Confert quoque ad modicas cranii depressiones elevandas, firmitatem suam in manu sola chirurgi obtinens. Lenticula inservit ad asperitates (*quæ post terebrationem, & ossis excisi remotionem relinquuntur.*) abradendas & levigandas, ne cerebri membrana, ob continuum earum motum, illis allisa offendantur.*


FIG. VIII. *est* instrumentum Lenticulare *solùm, quod oras facti foraminis, veluti modo dictum, levigat, ne membranas pungendo, dolorem & inflammationem inferant.*

FIG. IX. *est lamina argentea (*ex ferro n. nunquam parari debet, ob ipsi ingenitam frigiditatem, quæ tam crassæ quàm tenui membranæ cerebri nocet.*) firma, paulum resima, & ab exteriore parte levis, qua utimur in magnis cranii depressionibus, & fracturis, ubi ter, quaterve, cranii os trypano perforare, atq; foraminum interstitia excidere necessarium est: tunc enim lamina inter calvariam & duram matrem demittitur, ut ejus pars exterior cerebro propior sit, ne acumine forcipum & ferrularum (*quarum delineationes videantur infra Tab. V. & VI.*) membrana cerebri vel pungantur, vel incautè incidantur: hinc Celso; qui in describendis ferramentis Chirurgicis, instrumentis, admodum sedulus fuit,* l. 8. c. 3. Membranæ custos *dicitur, Græcis μηνιγγοφύλαξ.*


FIG. X. *est* instrumentum decussorium, *quo dura mater modicè depressa, cranio exactè applicatur, ut purulenta*


I
III
IIII
X
V
VI
II
VII
VIII
VIIII
XI

TAB. III.



TABVLA QUARTA.



purulenta materia, inter cranium & membranas collecta, per foramen modiolis factum, facilè egrediatur.

FIG. XI. *est* malleus plumbeus, *quem olim usurparunt, quando scalpris incisoriis* (quorum imagines variæ reperiuntur apud Paræum lib. 9. c. 5.) *particulam cranii separare voluerunt, ad evitandum strepitum, & prohibendam cerebri commotionem. Recentiores, & hac ætate cautiores chirurgi utuntur ad hanc operationem forcipibus & serrulis, de quibus paulò infra,* Tabul. IV. & VII.

TABVLA TERTIA.

De Terebra triformi, vecte validiore, Instrumento triploide, & elevatorio Paræi, quibus cranii puncturæ abolentur, ejusdemque depressiones eriguntur.

FIG. I. *est* Terebra triformis, *instrumentum scilicet merè ferream, tribus iisque diversis terebris constans, quorum usus in punctura cranii, quæ ambas laminas non penetrat, est necessarius, ut iis vestigium calvariæ impressum deleatur. Hujus instrumenti pars triangularis etiam substitui potest terebello, quo Guilhelm. Fabritius Hildanus primam ferè laminam perforat, antequam triploidis torcular adhibet.*

FIG. II. *est* vectis, *quem in depressionibus cranii elevandis usurpo: hic valentiore attollit robore, quam ille Tab. II. Fig. VII. delineatus, quoniam firmitatem non manu tantùm elevatoris, sed etiam in capite suam habet.*

FIG. III. *est* instrumentum, *ob triplicem basin, quam habet,* Triploides *appellatum: si depressio cranii tàm magna est, ut præcedentes vectes ob infirmitatem non sufficiant,* Triploidis vectem B. *(si spatium adest.) submitto, & os depressum perpendiculariter attollo. Si autem locus huic vecti non conceditur, media depressio,* Triploidis terebra *A. ultra diploidem perforari debet, & dilecto vari modo,* unicè cavendo, ne terebra ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat. *Vid. Guil. Fabritium Hildanum,* centur. 2. obs. 4. *ubi modum depressiones elevandi accuratissimè docet, licet aliis instrumentis, quibus ego nunquam usus, sed hac triploide unam & alteram depressionem bono cum successu reposui.*

FIG. IV. *est* Vectis, *quo utuntur alii in maximis calvariæ impressionibus, imitando vietores, qui doliorum assulas intus depressas simili vecte solent retrahere. Indita igitur adunca vectis extremitate (a.) sub os depressum, alterum vectis brachium (b.) rectum, ossi sano inniti debet, ut, dum manubrium dextra deprimitur, adunca instrumenti parte id, quod depressum est, erigatur. Hunc vectem adumbravit quoque & descripsit Ambros. Paræus* l. 9. c. 5.

TABVLA QVARTA.

De Volsella & forcipe cum rostro psittaceo, atque vulturino, quibus officula cerebri membranas pungentia abrumpuntur, & eximuntur.

FIG. I. *est instrumentum, ad operationes manuales valdè necessarium, quod Paulus Ægin.* lib. 6. c. 32. *ἀκανθοβόλον, & C. Cels.* lib. 7. c. 30. volsellam *vocat. Hujus parte duplicata & dentata A. frustulum ossis corruptum ac mobile, spicula itidem & globuli, eorumque fragmenta, turundæ atque pili, & quæ idgenus alia in vulneribus extraneæ reperiuntur, extrahunt. Idem paragitur instrumentis, Tab. XI. Fig. III. & VI. delineatis, quorum alterutrum pro opportunitate usurpandum. Singulariter etiam hæc volsellæ pars inservit ad pilos è palpebris evellendos, qui oculos irritant. Præter dictos usus, quos præstat, famulatur medicinæ comptoriæ, eâ namque fœminæ, præsertim regiæ, pilos in superciliis, & aliis corporis partibus radicitus extirpant.* Notandū, si officulum, aut aliud è faucibus extraneū eximendū, hanc instrumēti partē altero tanto majorem debere cōfici, quam fuit depicta. *Latiore sui parte B. adceratorū conducit extensionē, supra linteamen vel corium, in defectu spatulæ, ad tutā pericranii ab osse separationem, antequam modiolus & scalprū cranio admoveatur, in defectu unguium manus digiti indicis & pollicis paulò longiorum, aut manubrii illius scalpelli, qui infra Tab. XII. Fig. IV. adumbratus est. Unguibus tamen illis longioribus, multò securius pericranium à cranio deducitur, quàm manubrio scalpelli citati, aut cultro separatorio Paræi, aut hâc volsellæ parte latâ.*

FIG. II. *est forceps excisoria, cum* rostro psittaceo, *(a) cui superius cochlea umbellata (b) affigitur, quæ rostrum ad duram matrem* (utor enim in fracturis cranii.) *immergi vetat, unde non incommodè ἀβάπτιστος appellari posset: inferius habet manubrium (c.) quod cochlea (d Fig. III. circumvolvitur.*

FIG. III. *est rostrum psittaceum, extra suam cannulam (d. Fig. II.) positum, ut artifex cochleam rostri evidentius cernere queat.*

FIG. IV. *est forceps alia cum* rostro vulturino, *cannulata, ad cujus cochleam circumducitur clavus.*

FIG. V. *est* rostrum vulturinum, *sine cannula depictum. His duabus forcipibus, ut & illis, quas infra Tab. XI. Fig. I. & II. & Tab. XIX. Fig. I. depingi curavi,* ossis

ossis aliquod frustulum, in curatione vulnerum capitis, partim rumpendo, partim incidendo, aufertur: qua omnes magnitudine saltem & formâ differunt, pro varietate ossium, quæ removenda sunt.

TABULA QUINTA.

De Serrula versatili, quâ duorum foraminum interstitium exciditur.

FIG. I. *est* serrula versatilis, *tympanis duobus, iisque dentatis prædita, utilis maximè ad intercidenda duorum vel trium foraminum, modiolis factorum, interstitia: ubi enim vectes supra delineati & descripti, ob rimæ* (quæ impressionibus in adultorum craniis fere semper jungitur) *angustiam, spacium non habent, interdum opus est, ut in cranio duo vel plura foramina modiolis conficiantur, quorum interstitium hac serrula*, citra ullum læsionis periculum interciditur, *quo vectis ad elevandum commodus submitti, & ossis frustulum, quod non rarò membranas pungit, eximi possit. Hujus instrumenti, quod ego excogitavi, partes conjunctæ literis minusculis, separata verò majusculis notantur.*

FIG. II. *est* lamina ferrea *A. in medio secundum longitudinem excisa, quæ superius manubrium B. habet, & foramen C. in flexura lamina, inferius autem utrinq; aciem acuminatam D. quibus firmiter cranio nudato insistit.*

FIG. III. *est* claviculus umbellatus, *qui asterismo notatur, & per foramen C, Fig. II. transiens, capsulæ E. infigitur. Hæc Capsula E. laminæ ferreæ foramini A. Figur. II. beneficio orichalceæ lamellæ Fig. IV. regulariter annectitur, per duas cochleas, quas capsula in parte aversa obtinet, correspondentes orichalceæ lamella, totidemque nodulos, ut Chirurgus beneficio claviculi capsulam, in ipso operandi actu, sursum & deorsum, pro libitu movere valeat. Foramini H. axis rotulæ imponitur, ut ex Fig. V. & rotulæ centro apparet. Lamella I. superius dentata est, & ibi excipit rotulam; inferius L. utrinque æqualis, ut serrula K. in capsula, & Fig. V. fissuris M. beneficio rotulæ & capuli, regulariter dextrorsum & sinistrorsum moveri apta sit. Lamina Orichalcea N. in medio cava est, & duas habet cochleas O. hujus lamina beneficio serrula, cum instrumentum planè fuerit compositum, æqualiter hinc inde ducitur.*

FIG. IV. *est* Lamella orichalcea, *cum duabus materculis, quas supra nodulos vocavi.*

FIG. V. *est* rotula semidentata *P. & dimidia capsula Q. una cum tribus foraminibus R. quibus tres cochleas Fig. III. recipit, cum nodis seu materculis tribus S. firmatas.*

FIG. VI. *est* clavis, *qua instrumentum in suas partes dividitur, & iterum ex iis componitur.*


Lit. T. axin notat, quæ capsulam & rotulam in parte aversa perforat: V. verò manubrium indicat.

TABULA SEXTA.

De Serrulis rectis, & variis scalpris, quibus cranium vel cariosum vel fissum abraditur.

FIG. I, & II. *sunt* serrulæ rectæ, *quibus alii interstitia foraminum modiolis in cranio factorum intercidunt, scissuras capillares ac non penetrantes abolent, & cariem cranii abradunt.*

FIG. III. *Galen.* l. 6. meth. med. c. 6. *tria scalprorum genera describit*, primum *cavum*, κυκλισκον *seu scalprum excisorium appellat, cujus delineationem supra Tab. II. Fig. IX. vidimus:* alterum, *quod in ima sui parte lenticulam refert, quod* φακωτὸν *vocat: Cujus usum & delineationem, Tabulâ modò citata Fig. VIII. descriptam & depictam habemus:* tertium *radendo idoneum, quod Græci* ξυστῆρα, *Latini scalprum rasorium, & Barbari raspatorium nuncupant. Hoc tertio scalprorum genere recentiores utuntur, in tentandis & abradendis fissuris cranii capillaribus, seu de penetratione dubiis, ejusque varias, pro ratione sedis aut rimæ, formas excogitarunt. Cavam scilicet, ut Fig. III, IV, V, & VI. semilunarem, ut Fig. VII. acuminatam, ut Fig. VIII. & denique planam, Fig. IX. & X.* Chirurgus scalpra, cujusvis formæ, ad minimum quatuor, semper parata habeat, ne ex indigentia aliundè ea petere cogatur, aut occasionem operandi, quam præcipitem esse nemo non ignorat, cum patientis periculo, & famæ suæ naufragio perdat. *Cum os cariosum in partibus extremis, femore, tibia, humero & cubito, deradendum est, scalpra his majora & validiora parari debent. Conficitur autem unumquodque scalprum ex Chalybe optimè depurato, ut aciem acquirat, qua promptissimè abradat. Scalpris veteres omnibus & singulis suum proprium manubrium adaptarunt: recentiores contra*, sed meo judicio minùs rectè, *unicum manubrium parant, ex ligno vel ossibus, in cujus imo foramen cochleatum habet, quo omnium scalprorum caudas pariter torculatas excipit, ut ex Fig. III. & reliquis patet.*




I
II
III
IV
V.
VI
A
B
C
D
G
H
I
K
M
N
O
P
R
S
T
f

TABVL. VI.



TABVLA. VII.




I
II
III
IIII
V
VI
VII
VIII
IX
X

De variis ad parandum in nucha setaceum instrumentis, forcipibus scilicet quatuor, acu, & setone armato.

FIG. I. *est* forceps, *quaepropè foramen superius, quod neque nimis latum, neque nimis angustum est*, cavitatem habet amplam & circularem, annulumque ferreum, *qui instrumentum seu forcipem ex se stringit, tum necessarius, quando Chirurgus famulum non habet, qui sibi acum optimè ignitam, ad parandum in nucha setaceum, porrigit.*

FIG. II. *est* forceps, quæ *superius similem habet cavitatem*, at ob defectum annuli, non *ex se, sed à Chirurgo, quantum satis est*, stringitur. *His forcipibus utuntur, quando occiput perforandum venit valdè carnosum & pingue: quibus cutis apprehensa, cum crassa sit, circulum ingreditur, ut non elabatur.*

FIG. III. *est* forceps, quæ neque cavitatem, *ut Fig. I. & II.* neque annulum *ut Fig. II.* habet: *eâ Chirurgus macilentorum nucham apprehendit, donec acu candefacta, & à ministro porrecta, cutim perforarit.*

FIG. IV. *est* acus *pro setaceo, quæ neque nimis longa, ne cuspis foramen oppositum fallat, sed palmam aquat; neque nimis tenuis, neque nimis plena, sed foraminibus prædictarum forcipum paulò minus respondet: undè benè ignita & candens quam citissimè pertranssit, setaceumque ferè citra dolorem perficit.*

FIG. V. *est* puntale *longum & angustum, setonem seu funiculum rotundum, ex serico purpureo adstrictum habens, qui ad medietatem traductus, in foramine relinquitur. Puntali affixus est globulus cereus, ut sine mora & dolore transeat.*

FIG. VI. VII. VIII. & IX. *sunt* ferramenta *sine manubriis varia, quibus benè candentibus occipitium in infantibus & puerulis, (in quibus epilepsiæ, apoplexiæ, & vertiginis signum aliquod apparet) in Italia frequentissimè comburitur. Eadem inustio quandoque auxiliatur adultis, cum hujusmodi affectibus corripiuntur.*

FIG. X. *est* forceps ex se stringens, *qua apprehenditur cutis, si setaceum sectione parandum est: hoc instrumentum dimidiâ parte majus sit oportet, quam hic depictum cernitur: scalpellus autem forcipi huic respondens, & justa magnitudine depictus, videatur infra Tab. XVII. Figur. IV. & apud Guilhelm. Fabritium Hildan. cent. 1. obs. 40.*

TABULA OCTAVA.

De Instrumento crinali, acubus argenteis ad depositionem cataractæ idoneis, annulo oculum firmante, specillis, scalpello falcato, hamulo acuto, & vasculo vitreo oculis imponendo.

FIG. I. *est* instrumentum crinale, *curvum & interius gossipio & syndone nigra obductum, quod exterius propter duas fibulas & ligulas annexam habet claviculam umbellatam, qua sinus in oculi majore angulo comprimitur. Hoc instrumentum excogitavit Hieronym. Fabr. ab Aquapendente, cujus mentionem facit*, de ægylope per chirurgiam curanda.

FIG. II. *duas monstrat* acus argenteas, *ad suffusionem deponendam factas, quæ manubrio argenteo & octogano inseruntur, quod utrinque habet glandem perforatam, per quam acus argenteæ transeunt.*

FIG. III. *est* manubrium *illud apertum, cujus acus ex una parte inseritur, ex altera cochlea non nihil conspicitur.*

FIG. IV. *est* acus *ad curationem cataractæ accommodata, cum manubrio & vagina argenteis.*

FIG. V. *est* annulus æneus *(alii laudant plumbeum) ad firmandum oculum pro excisione pterygii, aliisque operationibus in oculo peragendis.*

FIG. VI. *est* specillum *oblongum, teres & argenteum, ut pro necessitate possit inflecti: cujus alterum extremum latum est, alterum verò globulum habet rotundum & politum. Lata specilli parte, quam Celsus* l. 7. c. 7. de ancyloblepharo oculorum vitio, *specillum adversum vocat, non solùm curatur palpebrarum coalitus, verùm etiam pulveres & plagulæ unguentis illitæ ulceribus applicantur: globosam partem Chirurgi adhibent ad perscrutandum vulnerum & fistularum statum.*

FIG. VII. *est* specillum compositum *ex lato ad dictos usus, & cochlea acuminata, quæ gossipio obvolvitur, prodetersione sordium, in vulneribus, ulceribus, ac præsertim fistulis.*

FIG. VIII. *est* scalpellus falcatus, *ex una tantùm parte incidens, cujus mucroni argenteus affixus est globulus. Hoc scalpello utitur Eraclides Tarentinus & Celsus pro separatione palpebrarum, quæ coiverunt cum tunicis oculi.*

FIG. IX. *est* hamulus acutus, *& mucrone paululum intus recurvatus, qui tàm ad palpebram attollendam, quàm oculorum unguem levandum, maximè est idoneus.*

FIG. X. *est* vasculum oculare, *vitreum, oblongum & ex crystallo conficiendum, ita ut exactè orbitæ oculi respondeat, & medicamenta per infundibulum immissa contineat, ne defluant. Hoc instrumentum oculare invenit, & fusius descripsit Hieron. Fabritius ab Aquap. de suffusione, qui videatur.*

TABULA NONA.

De Forcipe ad polypum recta, & curva; cannulis, quæ naribus immittuntur, cum suo stylo; instrumento, quo abscinditur uvula; cochleari uvulæ relaxatæ admovendo; dilatatorio oris, & rostro gruino obtuso.

FIG. I. *est* instrumentum *Hieronym. Fabritii ab Aquapendente* pro polypo *extrahendo* rectum, *ex chalybe confectum, extrinsecus convexum & intrinsecus concavum, quod aciem habet introrsum recurvatam, qua nihil aliud valemus incidere, quàm polypum jam apprehensum.*

FIG. II. *est* instrumentum incurvatum, *quo inciditur & extrahitur polypus, qui per narium foramina in palatū ad fauces tendit, & suffocationem minatur.*

FIG. III. *est* cannula ex ferro solida, *quæ naribus tam altè immittitur, ut ulceris, quod ozænam vocant, adæquet longitudinem, posteà cannulæ huic omninò integræ, nullibique perforatæ, inditur stylus ferreus & benè ignitus, quo cannula calefit, & ulcus exiccatur.*

FIG. IV. *est* cannula ad latus perforata, *pro callo perduro ulceris in narium latere existentis, per cauterium actuale consumendo, aut osse corrupto maximè exiccando, idonea.*

FIG. V. *est* cannula in summitate foramen *habens, quæ naribus inditur, quando post incisionem, & extractionem polypi sanguis nimium profluens chirurgiâ per inustionem sistendus est: præterea usurpatur, cum summitas narium pro ossis corrupti remotione, aduri debet.*

FIG. VI. *est* Stylus *ferreus, qui benè candens dictis cannulis imittitur, statimque retrahitur: quæ immissio & retractio toties repetenda est, quoties necessarium fuerit. Ad operationem hanc citò perficiendam, Chirurgus ad minimum duos in promptu stylos habeat, quos alternatim candefactos cannulæ immittat.* Notandum *verò, quod vasculum oculare Tab. VIII. Fig. X. atque hæ cannulæ naribus immittendæ, in justâ magnitudine depingi nequeant, quoniam pro ratione ætatis ægrorum & magnitudine locorum affectorum debent confici.*

FIG. VII. *est* instrumentum, quo abscinditur uvula, *orichalceum, quod in parte superiore circulum habet nonnihil excavatum A. in inferiore fistulam B. per quam fili (postquam in seminodum circumvolutum E. & in concavum annuli, ne hinc indè vacillet, repositum fuerit.) extremum C. mediante stylo superius perforato D. trahitur: alterum fili extremum, per duos circuli annexos annulos ducitur, & inferiori fistulæ annulo alligatur. Hoc instrumentum primus invenit & descripsit Guilhelm. Fabritius Hildanus cent. 2. observ. 21. quo correctò uvulam militis Cæsariani, à Lue Gallica infectam & corruptam, absque negotio ligavi, & bono cum successu abscidi, Ulmæ die 8. Iunij anno 1637.*

FIG. VIII. *est* instrumentum uvulæ relaxatæ admovendum, *pariter orichalceum, cochlear nempe parvum (*dimidio autem majus debet parari, quàm delineatum est.*) cujus manubrium fistulosum, & novem pollices longum, inferiori cochlearis parti annectitur. Hoc cochlear pulveribus adstringentibus & digerentibus mixtis repletur, & uvulæ relaxatæ submittitur: deinde Chirurgus ore arripit fistulæ basin, & inflando pulveres columellæ & palato undiq; aspergit.*

FIG. IX. *est* instrumentum oris dilatatorium *cum cochlea, ex Paræl. 9. c. 25. delineatum, quo dentes constricti, validèque commissi diducuntur, ut cibus præberi possit, ne fame pereat æger.*

FIG. X. *est* rostrum gruinum, *dentatum, & in angulum obtusum directum, globulis, & peregrinis corporibus, arripiendis, & è vulneribus extrahendis idoneum.*


TABULA DECIMA.

De Instrumento volsellæ simili, cannula faucibus immittenda, forcipe pellicano, rostro corvino, vectibus trifidis, & infundibulo.


FIG. I. *est* instrumentum Acantabolo (*Tab. IV. Fig. I.*) simile, *forceps nimirum in semicirculum recurvata, dentata, & in apice nodulo donata, quâ ossicula, spinæ, aliæve res extraneæ, imis faucibus infixæ solent eximi. Quando Clariss. Hieron. Fabritius ab Aquap.* in faucium Chirurgia *acantaboli mentionem facit, intelligit instrumentum aliquod oblongum & tenue, quod duplex, alterum rectum Tab. IX. Fig. X. adumbratum; alterum recurvum, quale hoc est: utrumque tamen ob arripiendi & extrahendi facultatem volsellæ nomen meretur.*


FIG. II. *est* cannula *argentea ut faucibus immitti queat, incurvata, crassitie pennæ oloris, & longitudine unius pedis, cum dimidio vel circiter. Est undique perforata, & in sua extremitate spongiam, magnitudine avellanæ, novam & firmiter alligatam habet, quâ ad spinas è faucibus & medio œsophago trahendas felici successu utitur Guilhelm. Fabritius Hildan. Cent. 1. Obs. 26. ubi docet operandi modum per cannulam hîc depictam.*


Sequentia ferramenta usurpantur ad dentes perforatos, aut mobiles, aut vehementissimè per intervalla dolentes, sub acerbissimo doloris paroxysmo eximendos: unde


TABVLA VIIII.
I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
F
E
G
D
B
H
C
9

TABVL. X.




III
II
I
IV
V
VI





J.
JJ.
JJJ.
JV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XVI
XIII
XIIII
XV
XII
XXII
XXI
XX
XIX
XVIII
a
*
b
XVII

FIG. III. *est forceps*, pelicanus *dicta, quoniam rostro pelicani volucris assimulatur : eo autem utuntur ad extrahendos dentes molares.*

FIG. IV. *est* forceps dentaria communis, *Italis cagnolo appellata, quod firmum canis morsum imitetur.*

FIG. V. *est* forceps rostrum corvinum *referens ; qua dentium radices extrahuntur : de qua Cornel. Celsus*(. quem veluti in omnibus Chirurgiis mirabilem, nocturna versare manu versare diurna consulit Fabrit. ab Aquap.) *l. 7. c. 12. de dentibus ita scribit : quotiescunque dente exempto radix relicta est, protinus ea quoque ad id facta forcipe, quam Græci* ῥιζάγραν *vocant, eximenda.*

FIG. VI. & VII. *sunt* forcipum dentariorum effigies, *quæ valent ad dentes evellendos, quibus neque pelicani, neque forcipis communis opera potest opitulari.*

FIG. VIII. & IX. *sunt* vectes trifidi *appellati, quod tres cuspides habeant ad protrudendos & excutiendos dentes incisorios, & caninos, qui maxillarum alveolis simplici radice infiguntur.*

FIG. X. *est* dentiscalpium, *quo separatur gingiva à dentibus, ut minori cum molestia & periculo evellatur. Vt igitur dentis evulsio feliciter succedat, observatis observandis, humili in loco collocetur æger, capite inter Chirurgi crura inclinato : tùm Chirurgus dentem extrahendum altiùs circumradat, separando gingivam dentiscalpio : qui si à gingiva liberatus vacillet, concutiendus, & submisso vecte protrudendus est. At si tenacius hæreat, neque post concussionem moveatur, forcipibus dentariis (. nunc hac, nunc illa, prout dentis magnitudo, figura & situs, postulare videbitur.) excipiendus & evellendus. In horum forcipum dentariarum usu(. inquit Ambros. Paræus l. 16. c. 27.) exercitatum & industrium dentispicem desiderem ; his enim nisi qui solerter uti noverit, committere vix poterit, quin tres unica concussione dentes excutiat, eo sæpè inconcusso & relicto, qui dolorem movet.*

FIG. XI. *est* infundibulum *seu fistula argentea, cujus pars angustior inter gingivas ægri, qui arctè constrictos habet dentes, extremas ponitur ; latior verò cibum liquidum & potum excipit, atque ad æsophagum demittit.*

TABVLA VNDECIMA.

De alia forcipe cum rostro psittacino & corvino speculo oris, instrumento ad incidendas carunculas oris & rostro gruino recto.

FIG. I. *est* forceps alia cum rostro psittacino, *qua utimur in fracturis cranii, quando frustulum ossis, quod membranas cerebri vel pungit, vel deprimit, auferendum.*

FIG. II. *est* instrumentum cum rostro corvino *in eundem finem affabre factum* : notandum *verò, quod ambæ hæ forcipes, tertia parte majores, quam depictæ sunt, debeant confici.*

FIG. III. *quid sit, ex Tab. IX. Fig. X. constat.*

FIG. IV. *est* speculum oris, *quo deprimitur lingua & maxilla inferior, ut oris vitia exactè perspici, & idoneis tàm instrumentis quàm medicamentis tractari possint. Inprimis autem factum est, ut eo furiosorum & attonitorum dentes diducti serventur, donec cibus & potus sufficiens fuerit deglutitus.*

FIG. V. *est* instrumentum incisorium *instar forcipis, quo exscinduntur tumores & carunculæ oris.*

FIG. VI. *est* forceps cum rostro gruino, *dentata & recta, quæ valsellæ vices agere potest.*

TABVLA DVODECIMA.

De Σκολοπομαχαιρίοις seu scalpellis falcatis, cultro ancipite, acu longissima, Siphone aureo, scalpello annulari, cannulis alatis ac perforatis, fistula aurea meatui urinario immittenda, & instrumentis, quibus hydropicorum venter & scrotum aperitur.

FIG. I. *est* scalpellus, Σκολοπομαχαίριον *à Græcis nominatus, ob rostrum illius avis, quæ Latinis Gallinago, & Græcis* Σκολόπαξ *dicitur, nempe longus, & ad cuspidem paululum incurvatus veluti rostrum scolopacis. Hoc scalpello dilatantur vulnera thoracis nimis angusta, & aperiuntur abscessus magni. Eundem laudat Fabrit. ab Aquap. pro apertione abdominis hydropicorum infra umbilicum ad aquam emittendam. Nota, hic scalpellus pro dilatatione vulneris in thorace requirit globulum (. qualem ex argento scalpellus Tab. VIII. Fig. VIII. habet.) ferreum in mucrone, ne pulmones cuspide scalpelli offendantur.*

FIG. II. & III. *sunt* scalpelli ad mucronem recurvati, *& scolopomachærii Græcorum formam referentes, quibus fistulæ in habitu corporis mediocres commodè inciduntur, unde etiam* συριγγότομοι *appellari solent.*

FIG. IV. *est* scalpellus falcatus, *qui Italis vocatur gammaut, & incidit ex parte cava, retusus in parte gibba est. Hoc frequentissimè utor ad omnem incisionem, quæ passim fit in omni apostemate, præcipuè verò in parvis incisionibus. Hic scalpellus habet manubrium osseum, quod commodum est, ad dividendum ac separandum aliquid ab aliquo: unde Celsus l. 7. c. 16.* de tumoribus tunicaris *dicit : tum scalpelli manubrio tunica (. quæ post incisionem cutis protinus alba & intenta se ostendit.) diducenda à cute & carne est, ejiciendaque cum eo, quod*

intus

intus tenet: hoc diducitur quoque pericranium à cranio, & unguis ab oculo.

FIG. V. *est* scolopomacherium *sine manubrio.*

FIG. VI. & VII. *sunt* scalpelli ancipites, *qui ad extremitatem referunt formam foliorum myrti: iis utimur ad mammas mulierum cancro affectas abscindendas.*

FIG. VIII. *est* acus acutissima, *longa & anceps, qua mammæ auferendæ trajiciuntur in basi.*

FIG. IX. *est* canalis ex auro Ungarico *paratus, & plurimis foraminibus perforatus.*

FIG. X. *est* stylus *ex eadem materia confectus, qui cannulæ priori immittitur, ut ex duabus figuris unicum fiat instrumentum, quod in vulneribus thoracis pro Siphone utiliter applicatur, & sanguinem ex thorace non concretum, aut pus tenue, trahit. Instrumentum hoc tractorium in angulum rectum vel obliquum flecti, & thoraci per vulnus, casu vel studio factum, immitti potest, ut sanguinem nondum concretum vel saniem contingat: Chirurgus extrahat stylum ex canali, & statim profluet de canali materia in thorace contenta. Hic trahendi modus ex thorace materiam tenuem, ubi sectio inter 5. & 6. juxta Paulum, vel inter tertiam & quartam costam juxta Hipp. propter virium debilitatem vel aliud prohibens non conceditur, optimè succedit.*

FIG. XI. *est* scalpellus *ille recurvus, qui annulo aureo potest abscondi: inciduntur hoc apostemata in facie aut gena puerorum & in mammis fœminarum timidarum, ne conspicientes scalpellum perterrefiant, & ita incisionem abscessus prohibeant.*

FIG. XII. XIII. XIV. & XV. *sunt* cannulæ *magnitudine differentes,* alatæ, *& pluribus foraminibus perforatæ, ut vulnus thoracis teneant apertum. Sunt alatæ, ne vulneri immissæ, dum æger spirat, thoracem ingrediantur: tot verò foramina habent, ut ea ex omnibus, prout opus erit, possit exire colluvies.*

FIG. XVI. *est* fistula *ex auro Ungarico fabrefacta,* quæ *ante excretionem urinæ* meatui urinario immittitur, *ut per eam exeat urina, atque ita leniatur sævissimus ille dolor & ardor, quem sentiunt ægri, quando urinam sine cannula reddunt, ob ulcus ex Gonorrhæa virulenta subortum in meatu urinario.*

FIG. XVII. *est* instrumentum acu tricuspide *(a.)* & cannula alata *(b.) constans, quo hydropicorum umbilicus, & in hernia aquosa scrotum perforatur, ad emittendam aquam. Hoc instrumentum intruditur usq; ad cannulæ asteriscum, postea acus retrahitur, & cannula sola ad alam intrusa in abdomine relinquitur, absque omni periculi metu.*

FIG. XVIII. *est* cannula sola, *& sine acu depicta.*

FIG. XIX. *est* acus sola *extra cannulam posita.*

FIG. XX. *est* acus rotunda *cum suo tubulo, qua, in defectu acus tricuspidis pari securitate perforatur hydropicorum umbilicus, & herniosorũ scrotũ aqua repletum.*

FIG. XXI. *est solus acus rotundæ tubulus.*

FIG. XXII. *est sola acus rotunda.*

TABVLA DECIMA TERTIA.

De Siphone cum tubo recto, & incurvato; matriculari, & auriculari: fistula enematum, pileolo argenteo, & candelis cereis.

FIG. I. *est* Sipho *ad extrahendum & infundendum aliquid, sæpe necessarius, qui hic tubum curvum habet annexum, rectum verò* FIG. II. *potest recipere, quando curvus ad extrahendum aut infundendum non est aptus.*

Huic Siphoni interdum accommodatur tubus FIG. *III. plurimis foraminibus perforatus, quem Græci & Galenus l. 9. de compos. med. sec. loc. c. 8. & l. 5. met. med. c. 5.* Metrenchytam *nominant. Hoc fœminæ, quæ negotium immittendi clysterem in uterum aliis præ pudore non facile concedunt, sibi ipsis liquores pro curatione variorum affectuum uteri, & ejus vaginæ, varios, commodè applicant.*

FIG. IV. *est sipho auricularis* Otenchyta dictus, *quo liquores in auditus organa, pro ulcerum detersione & consolidatione, infunduntur.*


FIG. V. *est* Enterenchyta, *canalis nempe orichalceus in forma καθετῆρος recurvatus, quem parari curent illi, qui sibi ipsis clysterem applicare malunt, quam ab alio quovis accipere, præsertim, si ob intestinorum, præcipuè verò recti, vitia, creber enematum usus requiritur.*


FIG. VI. *est dicti canalis seu fistulæ incurvata clavis B. Fig. V. cujus beneficio liquor Enematis in vesica, quæ circa lit. A. Fig. V. vulgari modo alliganda, ad libitum ægrotantis retinetur, prout canalem claudit & aperit.*

FIG. VII. *est claviculus umbellatus, c. Fig. V. qui clavi B. Fig. V. intorquetur, ne aliquid de clystere, in circumrotatione clavis, possit elabi, quod linteamina inquinet. Hoc instrumentum, ut cuilibet apparet, multum differt ab eo, quod Iohann. Heurn. in sua method. ad praxin medicam cap. de Clysteribus, & Guilhelm. Fabrit. Hildanus centur. 1. observat. 78. depingi curarunt, ad clysteres in alvum injiciendos.*

FIG. VIII. *est* pileus argenteus, *& ubique perforatus, qui exulceratis mammarum papillis applicatur, ut infantem nutrices absque molestia lactare possint. Usurpatur insuper hic pileus in vulneribus thoracis; postquam enim cannularum prædictarum aliqua thoraci fuerit immissa, & particula Spongiæ orificio cannulæ propè alam indita, superponitur pileus, ut materia, omni quasi momento, per ejus foramina paulatim, & sine virium jactura, transudet.*

FIG. IX. & X. *sunt* candelæ *ex filo forti duplicato &* cera *alba (cui modicum terebenthinæ additum sit, ne tam facilè frangantur.) parandæ, quæ usurpantur ad suppressionem urinæ ex caruncula in meatu urinario existente, curandam.* Candela fig. IX. fracta est, ne in extractione candelæ frustulum ceræ, quæ non nunquam in medio filum non habet, in meatu relinquatur, & ischuria augeatur: *quare portionem fractam ad ellychnij extremitatem chirurgus forcipe abscindat, deinde meatui urinario, quantum opus erit, immittat candelam, oleo amygdalarum dulcium illitam.*


TABVL.XIII.
I
II
III
IIII
V
B
C
A
VI
VII
VIII
X
VIIII
13


TABVL. XIV.
I
b
a
II
III
IIII
V
VII
VI
VIII
IX
d
X
XI
XIV
XII
XIII
14.

TABULA DECIMA QUARTA.

De syringotomis, acu qua pertunditur scrotum post sectionem herniæ, & fundus fistulæ declivioris: cathetere, itinerario & duobus instrumentis, quibus glandes è sclopetorum vulneribus trahuntur.

FIG. I. *est scalpellus recurvus, qui parte interna (a) aciem habet, & externa (b) est retusus*, Syringotomus *scilicet, ex altera extremitate (c) pungens & incidens, quo utimur in fistula quavis unum foramen habente, ut finis fistulæ perforetur, & postea ab uno ad alterum foramen incidatur interstitium: ad hujus cuspidem infigere oportet globulum ex cera alba formatum, quo fistulæ immissus scalpellus, sine omni obstaculo, dolore & noxa, ad fundum perveniat.*

FIG. II. & III. *sunt scalpelli* syringotomi, *quorum uterque ex altera extremitate obtusus est, & globulum ex ferro levigatum obtinet: His inciditur fistularum penetrantium totus ductus.*

FIG. IV. *est scalpellus* Syringotomus, *quo dilatantur* vulnera abdominis, *ut intestina prolapsa & flatibus turgida commodè reponi possint. Globum habet in altero extremo multò majorem, quam scalpelli duo priores, ne vulneri intrusus intestina lædat.*

FIG. V. *est* acus, seu instrumentum *ferreum, aciem ancipitem habens, quod Nursini meo tempore in Italia hac in Chirurgia* (quæ hernias curat cum excisione testiculi) *maximè exercitati, eoque nomine celeberrimi castratores, per inguinis vulnus ad scroti fundum demiserunt, quem instrumenti cuspide* (cui perpetuò ceræ albæ exiguum globulum annectere oportet, *ob rationem supra allatam*) *perforant, quo purulenta materia, quæ per inguinis vulnus ad scrotum descendit, expurgetur. Hæc operatio, quoniam satis est horribilis, & maximo vitæ periculo non vacat,* (quod illius auctores optimè norunt, unde curandos suscipiunt ut mortuos) *chirurgiæ studiosis alium eumque tutum hujus instrumenti usum aperiam. Inciduntur eo feliciter fines sinuum declives, quorum causa fistula expurgari nequeunt, nisi æger ita situetur, ut pedes sursum & caput deorsum convertat, ac materia dein proprio motu emanet. Notum enim est, sinus illos, qui callum nondum contraxerunt, de quibus etiam hic sermo est medicamentis solum agglutinantibus, & fascia convenienti posse curari, modo materia in sinu collecta exitum quotidiè habeat. Cum autem situs iste sursum conversis pedibus & capite deorsum, satis sit importunus, hoc instrumento, cujus cuspidi globulus ex cera debet annecti, sinuum fundus perforatur (intacto foraminum interstitio) ut pus per inferius foramen egredi possit, & sinuum parietes agglutinari.*

FIG. V. *est* catheter seu Syringa tentativa, *quâ in canalem virgæ & vesicam positâ exploramus intimos vesicæ anfractus, in quibus latitare solet lapillus, quo humana natura sæpè numero cruciatur: Græcis appellatur καθετήρ, & usurpatur ad urinam suppressam reddendam. Est argentea, ut inflecti possit, omni asperitate vacat, ne pars exquisitissimo sensu prædita in transitu catheteris afficiatur, & ut sine dolore vesicam ingrediatur. Pluribus in extremo foraminibus perforata est, ut retracto stylo, urina in vesica contenta, per fistulam liberè, & sine difficultate, exeat. Notandũ, quod stylus fistulæ nõ immittitur, ut quasi vi vacui urinam suppressam secum trahat, sed ne urina statim effluat, dum Lithotomus vel Medicus lapillum expiscatur occultum. Magnitudinem catheteris describit Celsus l. 7. c. 26. vid. Tab. XXXIX. Fig. IX.*

FIG. VII. *est* stylus argenteus, *qui inflecti debet, ut fissuram, quam in medio sui usque ad extremum obtinet, in dorso vel gibba parte habeat: Latinis vocatur* Itinerarium, *eò quod virgæ immissum fidelissimè collum vesicæ monstret, & super ipsum incisio facienda sit, pro extractione calculi vesicæ.*

FIG. VIII. *est* instrumentum *orichalceum*, quo extrahitur calculus, qui in meatu urinario resedit; *specillum scilicet, quod parte, qua ad cochlearis auricularis similitudinem excavatum est, in canalem colis demittitur, ita ut lapillum prætereat & superet, ipsumque suo labro & cavo comprehendat: quo facto, per stylum specilli cannulatum & lato orificio donatum, urethræ, ut lubrica fiat, immittitur oleum amygdalarum dulcium, postea specillum sensim extrahitur, & canalis post lapillum digito comprimitur, donec is è meatu urinario foras deducatur.*

FIG. IX. *est* instrumentum globulis ex vulnere trahendis *maximè idoneum, ex optimo chalybe fabrefactum, & tribus constans partibus, duabus nempe* cannulis & terebello. *Cannula externa (a) cannulam internam, quæ altera in extremitate in duo divisa est cochlearia (b) serrata, claudere potest, ut globulum firmet, ne cum terebello, quod ipsi infigendum est, circumvolvatur. Terebellum (c) acutissimum est, & duabus suis cannulis paulò longius, quod per foramen capuli (d) cannulæ immissum cernitur.*

FIG. X. *est* terebellum *extra suas cannulas depictum.*

FIG. XI. *est instrumentum idem cum priore (nisi quod terebello careat) quo extrahuntur globuli, duabus constans partibus, cannula (a) & stylo (b) solido, qui in altera extremitate in duo cochlearia desinit, quæ globulum in se recipere possunt.* Hoc instrumentum idem præstat quod Alphonsinum Tabulæ sequentis.

FIG. XII. *est instrumenti præcedentis cannula sola.*

FIG. XIII. *est instrumenti stylus, ad dimidium solidus, in extremitate altera cochlearium dentatorum effigiem referens, in altera cochleas; capulo & nodulo, distentas.*

FIG. XIV *est styli capulus cum matercula, rotundus & cavus.*

FIG. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. hujus Tabulæ tertia parte majores fieri debent, quàm hic depictæ videntur.

TABULA DECIMA QUINTA.

De aliis ferramentis ad globulos sclopetorum eximendos idoneis, instrumento nempe Alphonsino, forcipe anserina cum & sine cochlea, hamulo, terebello cannulato, & spatula, quæ rostrum anserinum refert.

FIG. I. II. & III. *est* instrumentum Alphonsinum *dictum, ad extrahendas è vulneribus sclopetorum glandes accommodatum, quod Alphonsus Ferrius, Medic. Neapolitanus* l. 2. de vulnerib. sclopetor. c. 3. his verbis *describit. Non involvendum tamen silentio est, gruinum rostrum (ut vocant.) utpote, quod & ipsum ad extrahendum instrumentum est excellentissimum, atque ab omnibus, cum veteribus tum recentioribus, commendatum: quo non solùm pilulæ è difficilimis locis, sed & alia, ut armorum, & cæterarum rerum frustula, extrahuntur. Huic nos, ut commodius manu ac valentius teneri possit, atque ita pila, ac cætera extranea, in vulnere certius explorari, annulos forcipularum adjicimus hoc pacto: Figura prima annulus A. ad anteriorem partem missus, instrumentum claudit. Figura secunda annulo B. ad manubrium retracto instrumentum aperitur. Figura tertia est instrumentum, quod globulum jam apprehendit.*

Sequentium instrumentorum imagines desumptæ sunt ex Barthol. Maggii tractatu de curatione vulnerum à bombardarum & sclopetorum globulis illatorum.

FIG. IV. *est* forceps anserina, *quæ circa manubrium cochleam habet, ut globulum firmiter comprehendat.*

FIG. V. *est* hamulus ferreus, *educendis glandibus inserviens.*

FIG. VI. *est* forceps anserina, *quæ si cochleam haberet, priori similis esset.*

FIG. VII. *est* terebellum acutissimum, *cannula munitum, quo educuntur globuli sclopetorum.*

FIG. VIII. *est* terebellum *extra cannulam positum.*

FIG. IX. *est* spatula rostro anserino *prædita, ad excipiendos & trahendos globulos parata.* Instrumentum Alphonsinum & forcipes anserinæ, tertia parte majores conficiantur, cannula verò cum terebello altero tanto major sit.

Plura quidem, sed propositis haud præstantiora ad vivum delineavit Ambros. Paræus in sua Chirurgia, ubi de sclopetorum vulneribus agit, & Guilhelm. Fabritius Hildan. Cent. I. Obs. LXXXIIX. Instrumentorum igitur, quæ ad globulos è vulneratis partibus trahendos valent, pro varietate vulneris, & forma corporis educendi, variæ sunt genera, quorum alia apprehendunt & foras trahunt, vel quatenus acuta globulis solum infiguntur (Figur VIII.) vel quatenus serrata sunt in extremitate, & alia figuram rectam (Tab. IV. Fig. I. Tab. IX. Fig. VI. & hac Tabulâ Fig. I.) atque alia recurvam habent (Tab. IX. Fig. X.) prout iter globuli vel rectè vel obliquè processit; Quædam in se globulum recipiunt, quatenus latiora & cava in extremo sunt (Fig. IV. V. VI. & IX.) Alia apprehendunt & recipiunt simul. (Tab. XIV. Fig. IX.)

Quod si globulus, specillo inventus, debet tenacula educi, summoperè cavendum est, ne labia vulneris, partesque ipsius interiores, (arterias puto, venas, nervos & tendines.) lædantur & apprehendantur. Hoc enim si fiat, præter enorme sanguinis profluvium, gravissimi dolores, & insignes inflammationes, cum magno vitæ periculo, excitantur. Ad ea igitur præcavenda symptomata, nunquam dilatetur tenacula, nisi ejus extremitate sentiatur globulus: *tunc enim aperienda est tenacula, globulusque ea comprehensus educendus est.*

TABULA DECIMA SEXTA.

De cannula omninò solida, & tubulis ad latera perforatis, eorumque stylo, quibus ano immissis exiccantur & comburuntur hemorrhoides & ulcera intestini recti: de vitro etiam, quo extrahuntur papillæ in mammis occultatæ.

FIG. I. *est instrumentum ad resiccandas hæmorrhoides internas, quæ vel tument, vel superficialiter intestinum exulcerant, idoneum,* cannula *nimirum ferrea, quæ ano inditur, alata, & in fundo occlusa, ne ferramentum candens Fig. IV. quod cannulæ cavitati frequenter immittitur, & eximitur, altius quam oportet, perveniat.*


FIG. II. & III. *sunt* tubuli *pariter ano immittendi, sed in latere (pro situ ulceris callosi aut profundi, quod medicamentis non cedit topicis.) perforati, quibus immittitur ferramentum ignitum Fig. IV. His tubulis partes sana ab immediato ignis contactu defenduntur, quo solùm ulcus tutissimè, bis vel ter, ferro ignito tangi possit.*


FIG. IV. *est* stylus, *qui ignitus redditur, & cannulis perforatis ac solidæ immittitur ad exiccandas hæmorrhoidas internas & tumentes, sanandaque ulcera intestini recti, superficialia & profundiora.*

FIG. V. *est* vitrum *vacuum, longum & angustum, ex altera extremitate os habens, magnitudini papillæ respondens, ex altera verò foramen parvum cum fistula longa, per quam patiens ipsa suctu foras trahit papillam occultam, ut ipsam infans ore apprehendere, & lac maternum sugere queat.*


TA-

TAB XV.







TAB. XVI.




TABVL. XVII.




I
II
III
IV
V
VI
A
A
D
D
E
E
C

TAB. XIX.



TABVLA DECIMA SEPTIMA.

De unco ad extrahendum fœtum mortuum, speculis ani, dioptrâ matricis, circulis uterinis, & forcipe deceptoria.

FIG. I. *est instrumentum duobus uncis donatum, quo extrahitur fœtus mortuus, integer, vel in frusta incisus, ex utero.*

FIG. II. *est instrumentum, quod* speculum ani, & vaginæ uteri *appellant, eò quod hujus beneficio speculentur ulcera intestini recti, & vaginæ uteri, ad quantitatem & eorum qualitatem perquirendam. pars speculi A. notata, aperta, & masculus dicta, maribus applicatur: pars vero clausa & B. signata, fœminis adhibetur, unde fœmina appellatur.*

FIG. III. *monstrat idē speculum, quod maribus convenit, clausum: quod vero fœminis applicari solet, apertum.*

FIG. IV. *est* speculum matricis *magnum, quod mulieribus adhibetur solùm, quando incidendus est fœtus* mortuus, aut inspicienda matricis *exulceratio.* Hæ dioptræ tertia parte majores conficiantur, quam extant depictæ.

FIG. V. VI. VII. & VIII. *sunt* circuli uterini *ex ligno buxeo fabricati, qui post repositionem uteri prolapsi, vaginæ induntur, ne uterus iterum procidat. Ex una parte A. qua intus spectant nonnihil acuminati, ex altera verò B. obtusi. Chirurgus vel Medicus ad minimum tres vel quatuor annulos uterinos, qui magnitudine saltem differant, semper in promptu habeat, ut iis, pro cervicis amplitudine & angustia, uti possit.*

FIG. IX. *est* forceps deceptoria, *eò quod, si non ægrotum, Chirurgum tamen decipiat, in dilatandis finibus, juxta antiquorum sententiam.*

TABVLA DECIMA OCTAVA.

De instrumentis, quibus pes contractus paulatim extenditur; cubitus rigidus sensim & sensim flectitur, arteria carpi vulnerata comprimitur, & setaceum in nucha inciditur.

FIG. I. *est* instrumentum *ex ferro fabricatum,* incurvato & convulso genu adaptandum, *quod constat ex diversis partibus, nimirum capsula A. ferrea, quam transit cochlea. B. & affigitur annulo ex lamina ferrea in latitudinem, ut genu totum complectatur, fabrefacto. C. fibulis. D. ut claudi & aperiri possit: foraminibus in extremitate E. ut gossypio & linteo subducatur: & tandem clavicula ferrea F. cujus beneficio attrahitur annulus, & crus in rectitudinem tendit.*

FIG. II. *est dimidia & inferior pars cochleæ B. Fig. I. depictæ.*

FIG. III. *est cochlea B. Fig. I. extra locum, duabus constans partibus, quarum superior (a) post attractionem annulo affixa relinquitur, altera (b) extrahitur.* Hoc instrumentum non parùm differt ab eo, quod Guilhelm. Fabricius Hildanus in libello suo de combustionibus c. 15. se invenisse scribit.

FIG. IV. *est instrumentum ex variis è ferro laminis confectum, plurimisq; foraminibus perforatum, ut gossipio & linteo induci, ac cubito instar manicæ adaptari, claudi atque aperiri possit. Cochleâ umbellatâ, quam hebet instrumentum,* comprimitur arteria carpi, *consilio aut fortuito aperta, ne vitam cum sanguine profundat.*

FIG. V. *est* instrumentum *ferreum, quo utimur, quando cubitus inflecti nequit: Hoc instrumento paulatim, mediante cochlea, flectitur.* Hujus tabulæ instrumenta Fig. I. IV. & V. ad proportionem membri affecti debent parari.

FIG. VI. *est* scalpellus anceps *& folii myrtini formam referens, quo secatur setaceum in nucha: hujus scalpelli forceps delineatur & describitur supra Tab. VII. Figur. X.*

TABVLA DECIMA NONA.

De ferramentis diversis, quibus candefactis variæ corporis partes variis de causis comburuntur; & lanceola, ad incidenda vasa, aperiendos abscessus cutaneos, & perforandos meatus ani, & præputii occlusos.

FIG. I. & II. *sunt ferramenta, in summa parte reflexa & lata, quibus candentibus non solùm compescetur sanguinis fluxus enormis, post abscissionem mammæ, aut membri sphacelati, verùm etiam pars relicta roboratur, ne novum accipiat humorum affluxum. Anno 1635. tempore pestis, Patricius quidam Ulmensis, adhuc superstes, circa anum torquebatur anthrace pestilenti, magno & nigro, qui interiora petens omninò evanuit, & mortem certissimam minatus est. Pro anthracis retractione, instrumenta Fig. I. & II. optimè ignita alternatim, propè anum, admovi, ut non irritaretur eorum contactu, sed tantùm vim ignis persentiret, ad bonam laborantis tolerantiam, quo carbunculus retraheretur. Retracto Eschâram induxi ferramento Fig. III. sequentis, ad Eschara casum applicui cataplasma, quod biduì spatio eam separavit.*

℞. *Salis commun.* ʒ. ß.
piperis. ℥j.
Caricar. ping. n. iij.
Fol. rut: virid. ℳj.
Ferment: veter. acid. ℥j.

Misce omnia in mortario quàm diligentissimè, in formam cataplasmatis, quod bis in die renovetur.

Hoc cataplasma descripsit Sennertus, & Spigelii majores in Belgio habuerunt pro secreto, eò quod escharam omnem optimè tollat. Eschara sublata ulceri imposui super filamenta carpta unguentum citrinum, quod vim habet digerendi, attrahendi, carnem generandi, & veneno resistendi: Circa ulcus adhibui emplastrum album coctum: tandem ad cicatricem duxi emplastro diapalma.

FIG. III. & IV. *sunt* cauteria *actualia rotunda, quibus tangitur os corruptum, ut à sano separetur.*

FIG. VI. & VII. ovalem *referunt in extremitate formam, quibus hæmorrhoides nimium fluentes sigillatim comburuntur.*

FIG. VIII. IX. X. & XI. *sunt* cauteria *in extremo rotunda, quæ dentium cavitatibus immittuntur, ad eorum cariem prohibendam. Figura asterisco notata est scalpellus rectus, & ex utraque parte incidens,* lanceola *dictus: Hoc felicissimè Galli & Itali venas incidunt, pro emittendo sanguine: Hoc puerorum recèns natorum anus & penis non perforatus aperitur: Hoc, in Germania, fonticuli artuum secantur.*

TABULA VIGESIMA.

De forfice maxima, forcipe cartilagines incidente, cultro falcato, scalpro, & malleo ligneo, quibus, præter forcipem, ad amputationem membri sphacelo correpti, indigemus.

FIG. I. *est* forfex, *qua abscinduntur non solum ossa, quæ in fracturis cum vulneribus eminent, & reponi non possunt: verum etiam ea, quæ suo acumine cerebrum pungunt: hâc forfice etiam abscinduntur digiti manuum & pedum, superflui, sphacelo & carcinomate affecti: quæ altero tanto major paretur, quam hic delineata cernitur. vid. inf. Tabul. XXVI. Fig. I. & VI.*

FIG. II. *est* forceps incisoria, *ad partes cartilaginosas & callosas facta.*

FIG. III. *est* cultellus falcatus, *quo caro usque ad os serra resecandum inciditur, ante amputationem cruris & brachii necessarius.*

FIG. IV. *est* scalprum, *quo non tantum digitorum, verum etiam cubiti & radii capita amputantur.*

FIG. V. *est* malleus *ex ligno durissimo fabrefactus.*

FIG. VI. *est* truncus *ligneus rotundus & altus, in quo partes scalpro auferendæ collocari debent.*

TABULA VIGESIMA PRIMA.

De instrumento τῆς ἄμβης Hippocraticæ Scala, Nilei Plinteo, canali, & Glossocomo Galeni.

FIG. I. *monstrat* instrumenti, *quod Hipp. ἄμβην nuncupat, effigiem, cum suis additamentis.*


FIG. II. *est* instrumentum *ambi dictum in suas partes (columnam scilicet A. Spatham ligneam seu ἄμβην propriè dictam B. & clavum C. qui continet ἄμβην versatilem B. in sua columna, A.) divisum. Ambi Hippocrates sect. 6. de articulis, ita describit:*


Lignum B. esto latitudinis ferè quidem quinque aut quatuor digitorum, crassitudinis verò duorum, aut etiam tenuius, longitudinis autem bicubitalis, aut paulò minus. Cujus alterum extremum D. rotundum sit & angustissimum eâparte, maximeque tenue. Superciliosam autem habeat eminentiam, in summa rotunditatis parte paulum extantem, quæ non latus, sed brachii caput attingit, ut huic supposita ala ad costas adaptetur. Addo, *quod lignum hoc tria debeat habere foramina, per quæ trajiciantur lora, quibus brachium ligno firmiter alligandum.*

FIG. III. *est* scala, *cujus gradus superior habet corpus quoddam E. rotundum, quod sub alam ponitur inter costas & humeri caput: postea Chirurgus brachium luxatum (sed spatha non alligatum) deorsum trahit, alius minister apprehensa cervice & summo humero, similiter trahet ex alia parte: tertius apprehendit totum corpus, trahetque deorsum ex alia parte scalæ. Hujus operationis idea videatur apud Galenum Comm. in libr. Hippocratis de articulis: habet etiam hæc scala quatuor sibi annexas trochleas, pro usu Nilei Plinthei, quod infra Figur. V. explicabitur.*


FIG. IV. *est formula instrumenti* glossocomi, *ad fracturas femoris & cruris (quando patiens ex suo lecto, in quo jacet, ut sternatur, transfertur in alium,) firmiter continendas, maximè idoneum. Glossocomi hujus descriptio apud Galenum comm. in libr. Hipp. de fracturis talis est: Ad continendum autem firmiter, Glossocomum instrumentum à junioribus Medicis inventum est, seu femur seu crus fractum sit, cujus structuram usumque subjiciam. Id autem non abs re mihi videtur fuisse excogitatum: & tam si femur, quàm si crus comminutum sit, ubi callus circundatur, commodissimè adhibetur. Habeat ab ima parte axem A. ad quem extremi laquei in diversa extendentes deligantur, injiciantur laquei extremis partibus ossis, quod curatur, fiantque ex duabus habenis B. & C. sic, ut quatuor utraque capita habeat, bina à dextra parte F. totidemque à sinistra G. Ex iis capitibus, quæ inferioris laquei B. sunt, per foramina facta in in*

TAB. X X




I
III
II
IV
V
VI
VII

TAB. XXII.



in inferiore parte D. glossocomi ad axem duci debent; quæ superioris, primo procedere ad superiora, deinde ipsa quoque per latera glossocomi perforata trajici, quibus foraminibus Cochleæ F. inclusæ sunt; utrinque autem ab exteriore parte glossocomi F. & G. superioris laquei C. capita ferenda sunt ad axem. His enim ita constitutis, una axis conversio pariter ambos laqueos extendit, deorsum versus illum, qui ad inferiora fracti ossis alligatur, sursum verò alterum sic; ut ubi crus jacet, liceat in posterum quotidiè hanc laqueorum in diversas partes intentionem corrigere, valentius vel lenius extendendo. Laqueum B. igitur, qui in inferiori parte est, directa ductione axis extendit, eum vero C. qui in superiori parte intercedente alio motu extendit, Græci διὰ τῆς μεταλήψεως ἔρωτος *dicunt. Schema ostendit extensionem femoris diminuti; Si autem sit crus diminutum, laqueus superior C. infra genu, inferior verò supra malleos alligandus est, atque ita crus in diversa extentum conservandum.*

FIG. V. *est* organum *tractorium* Nilei Plintheum *nuncupatum, factumque ad eorum exemplum, qua tractoria oblonga & quadrata dicuntur. Hoc instrumentum duo habet latera (a.) quatuor palmas longa, & digitum transversum crassa, quæ extremis partibus transversariis duobus (. b.) in medio foramen (. c.) per quod laquei (. h.) trajiciuntur, habentibus, inter se compacta sunt. Est autem transversariorum crassitudo & latitudo, quanta laterum, sed longitudo palmam implet. Meritò igitur talis compactio fit, ut latera (. a.) quatuor palmas, transversaria verò (. b.) unam longa sint. Totius organi structura oblonga confecta est. Licebit autem, si quis voluerit, latera breviora, quàm dictum est, efficere, quandoquidem organum per unicum axim præstat effectum. In Medio itaque latera pertusa sint rotundis & perviis foraminibus, per quæ axis (. d.) trajicitur, cujus caput sinistrum, quo latus excedit, manubrium ligneum habet (. e.) In hoc quoque organo quatuor sunt annuli ferrei (f.) cum totidem loris pendulis, lateribus affixi, bini ab inferiore parte, totidemque à superiore, ut scala Fig. III. alligari possit. Axis extremitatibus ambabus addita sunt rotulæ (. g.) & his remoræ (. i.) ut axim manubriolo circumductum firmiter contineant. Quod sine que per fasciam alæ subjectam (Tab. XXIII. Fig. II.) neque per linteum glomeratum (Tab. XXIV. Fig. I.) cubitus luxatus reponi potest, hoc organum scalæ alligandum, cubitusque extendendus ea ratione & modo, ut in Schemate apud Oribas.* lib. de machinament. c. 14. *reperitur.*

FIG. VI. *est* canalis longus, in quo reponitur vel crus vel femur fractum & luxatum, *stuppis replendus; canalem enim toti potius parti quam dimidia injicere oportet. Hipp. de offic. Medic. Hæc capsula in fundo habet foramen G. quo recipit calcaneum, & ad extremitatem lignum oblongum, quo innititur planta pedis.*

FIG. VII. *ostendit* omnium optimam per instrumenta humeri sub axillam prolapsi restitutionem, *quam Fabritius ab Aquap. ita describit: Spatha extremitas inferenda est sub alam humeri luxati, inter costas & caput humeri; reliqua verò tabula per longitudinem brachii interni collocata ligari debet, primùm quidem statim sub capite humeri luxati, deinde supra cubitum, postea ad carpum. Hoc facto, æger colloce tur supra sedile E. & brachium tabula alligatum, trabi seu columnæ (. Figur. II. A.) beneficio clavi (. Fig. II. C.) adaptetur, ita ut columna sit inter costas & tabulam brachio alligatam (Figur. VII. F.) Sic collocato ægro & columnâ, Chirurgus (G.) ex una parte brachium deorsum; ex altera vero minister (H.) cervicem & summum humerum amplexus, ægrum similiter deorsum trahat. Dum enim Chirurgus brachium deorsum trahit, tabula etiam cum brachio ad costas trahitur; ubi verò inferior tabulæ extremitas ad costas adducitur, superior rotunda pars facit motum contrarium, & ita movet caput luxatum ad partem anteriorem, qua motione facta facilè postmodum musculi trahunt, aut ipse Chirurgus impulsum faciens, reponit hoc modo caput ossis humeri. Hic tabulâ utendi modus differt ab eo, quem Paræus* lib. 15. c. 27. *depingit. Quomodo humerus per scalam & spatham simul, reponatur, iconem habet Paræus* lib. cit. c. 26. *Reliqui modi humerum luxatum restituendi, nempe per sedile Thessalicum, januam biforem, trabem transversam & pistillum, inveniuntur depicti apud Galenum, in Comm. Hipp. de articulis.*

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

De machina tractoria Vitruvii, zonula & remora Hildani, & Scamno Hippocratis.

FIG. I. *est* machina tractoria *cum funiculo, qua utimur ad extendendas artuum luxationes & fracturas, ex Vitruvii* libr. 10 cap 4. *desumpta.*

FIG. II. *est* zonula *(qua brachium supra carpum, femur supra genu, & crus supra malleolos cingitur,)* cum duobus hamulis.

FIG. III. *est instrumentum* remora *dictum, quod in luxationibus humeri ad inferiora, alæ subjicitur, ut nodus humeri capiti respondeat & remoram clavus B. firmet. Quamvis hoc instrumentum, quod Guilhelm. Fabritius Hildanus* cent. 5. obs. 86. *cum utendi modo depingit & describit, à recentioribus summoperè commendetur;* humeri tamen luxationes spatha Hippocratis, multò felicius restituuntur, si manibus reponi nequeunt, quam remora, & reliquis instrumentis.

FIG. IV. *est* scamnum Hippocratis, *ad luxata & fracta membra restituenda & componenda, maximè idoneum. Paratur lignum A. sex cubitos longum, & duos latum: crassitudine Æ. novem digitos obtinet transversos resupinandum. Hoc lignum habet quatuor alia ligna in superioribus partibus rotunda, duo scilicet, & iterum duo in utraque sui extremitate B. Hujusmodi li-*

gna quæ Hippocrates φλιὰς *vocat, in latitudine foraminibus pertunduntur perviis, quibus continentur axes C. penetrantes, qui in suis capitibus manubria ductoria D. habent, quibus circumvolvuntur. Totum lignum, à medio usque ad extremum, cavitates obtinet E. quatuor digitos transversos inter se distantes, quarum latitudo & altitudo pariter tres digitos transversos æquat, quibus scalmus seu priapiscus F. recipitur. Foramina hæc impervia Hippocrates* καιρὶας *appellavit. Scamnum hoc præter quatuor* φλιὰς *G. extremas, duas alias in medio habet, quæ lignum transversum H. in supremo foramine continent, ad restituendum femur in posteriorem & exteriorem partem prolapsum*: de quo vid. Oribas. libr. de Machin. cap. 37. & 38. *scamnum sex pedibus insistit, ut manibus elevari, & de loco in locum moveri possit. Rotuli scamni, remoræ possunt adaptari, quæ axes extremos contineant immotos. Usum hujus scamni Hippocratici infra Tabul. XXV. declarabo, ne tyronibus accidat, quod meo tempore Patavii* Medico & Chirurgo aliàs celeberrimo *evenisse scio. Hic, cum ad fracturam cruris extendendam scamno opus haberet; sed mutuò accepto uti nesciret, magna cum sui nominis infamia, modum utendi scamno erubescens didicit ab eo, qui scamnum, quasi coactus, mutuo dedit.*

TABULA VIGESIMA TERTIA.

De humeri fracti compositione, & luxationum cubiti, humeri, ac femoris restitutione.

FIG. I. *docet* humeri fracti extensionem & compositionem, *quam Hippocrat.* sect. 6. de fract. text. 9. *pulcherrimè describit. Brachii igitur æquissima distantia hæc est. Lignum cubitale A. aut paulo brevius, cujusmodi sunt ligonum manubria, ab utraque parte fune B. deligatum & suspensum esse oportet. Homo autem alto quodam sedili collocatus, manu super incumbat sic, ut manubrium sub ala ita statuatur, vix ut ille considere possit, sed propè suspensus maneat. Tum supposito firmo aliquo & superdato pulvino uno C. aut pluribus, ea altitudine, quæ obliquè collocato cubito ad rectum angulum respondeat: præstiterit quidem ex coriolato & molli, vel fascia lata super injecta D. grave aliquod pondus E, quod modicè intendat, suspendere. Aut alius vir sic collocatum cubitum ad cubiti flexuram vi quadam deorsum deducat robustus. Fig. II. Medicus verò erectus, altero pede altiore loco collocato, ad grediatur curationem, & manuum palmis os componat. Quod certè facilè fiet, hæc enim extendendi ratio laudabilis est, si quis ea probè utatur. Alii laudant Celsi humerum intendendi modum, quem* lib. 8. c. 10. *verbis valdè obscuris describit: cujus clarum & integrum sensum apposuit Foësius commento in superiora Hippocratis* verba, quibus & ego subscribendum esse censeo.

FIG. II. *est* restitutio luxationis cubiti *ad mentem Hippocratis. Ubi cubitus in interiorem vel exteriorem partem prolabitur, distentio ita adhibenda est, ut cubitus ad rectum angulum cum humero collocetur. Attollere autem alam oportet fascia F. subjecta, & cubitum super rem aliquam collocare, ac juxta articulum grave aliquid appendere, Fig. I. aut manibus ministri deorsum urgere, ut in hac Figura. Suspenso autem articulo, necesse est prominentioribus palmarum partibus adurgere.* Hæc figura convenit, dum deligatur, dum suspenditur, & collocatur cubitus. *Ubi is in posteriorem partem prolabitur; subitò extendere oportet, & prominentioribus palmarum partibus in suam sedem compellere, quod similiter servandum est, in aliis reponendis. Ubi in priorem partem prolabitur, imposito linteo in pilæ speciem involuto flectere simul & reponere necesse est Tabul. XXIV. Fig. I. Quod si in alteram seu posteriorem partem vergat, cum reponitur, etiam utrumq; fieri debet, vid Tab. XXIV. Fig. I.*

FIG. III. *ostendit* restitutionem humeri sub axillam luxati *Hippocraticam. Quamvis enim optimus restituendi modus sit ille, qui paulò supra Tab. XXI. Figur. VI. fuit commendatus: huic tamen sequens proximè accedit bonitate sua, quem Senex noster his verbis laudare videtur. Quibus igitur humerus frequenter elabitur, ii per se ut plurimum in suam sedem reponere possunt. Immissis enim sub alam alterius manus digitorum nodulis, articulum sursum propellunt, cubiti verò gibbum ad pectus adducunt. Ad hunc quoque modum Medicus in suum locum compellet, si interiore articuli prolapsi parte, sub alam immissis digitis, ipse quidem capite adfummum humerum obfirmato, à costis reducat, genibus verò ad cubiti flexum brachio admotis, ad costas repellat. At qui reponit, manus eum habere robustas convenit, aut ipse quidem manibus & capite id præstet, alius verò quidam* minister *gibberum ad pectus adducat.*

FIG. IV. *est* repositio femoris luxati, *quam Hippocrates describit ut sequitur. Reponitur autem hoc modo femoris articulus, sive in interiorem, sive in priorem partē eruperit. Scala defoditur, cui homo insidet integro* & sano *crure leniter extento, & qua commodè poterit alligato: vitiato verò cruri G. Calathus H, in quem conjecti lapides fuerint, vel vas fictile appenditur aqua plenum, cujus effigies videatur apud Galen.* comm. 4. in Hipp. de artic. text. l. 4.





B
B
I
A
C
D
F
II
III
IV
G
H


Fig I
II.


III.

TABVLA XXV.





TABVLA VIGESIMA QVARTA.

De luxationum cubiti, manus & juguli curatione.

FIG. I. *ostendit aliam* restitutionem cubiti luxati *secundum Hipp. sententiam. Expedit autem* fasciam glomeratam, seu *linteum durum implicitum, non magnum, qua parte cubitus curvatur, transversum injicere, tum repente cubitum flectere, & quantum maximè potest, manum ad humeri caput porrigere: hæc enim reponendi ratio iis, qua sic in priorem & posteriorem partem luxata sunt, abundè est.*

FIG. II. manus luxata restituitur. *Manus autem vel in interiorem vel exteriorem partem promovetur, sed maxima ex parte in interiorem. Manifestum indicium, ubi in interiorem, quod curvari, ubi in exteriorem, quod digiti porrigi non possint. In restituendo collocentur digiti super scamnum vel mensam, & in diversa à duobus ministris distendantur. Quod extat ex osse, vel prominentiore chirurgi palmæ parte, vel calce simul repellatur, & in anteriorem & inferiorem partem urgeatur: sed ab inferiori juxta alterum os pila aliqua mollis subjiciatur, manu prona, ubi à superiori est, supina, ubi ab inferiori.*

FIG. III. *ostendit* restitutionem juguli, *quam describit* Galen. comm. 2. in libr. Hipp. de artic. text. 73. *Si ea pars juguli, quæ cum pectoris osse committitur, vel in latus vel in inferiorem partem prorumpat, tunc ait Hippocrates, commodè restitui, si homo resupinetur, subjecto inter scapulas juxta spinam pulvino, seu cervicali, seu tali quopiam, ut hâc via thorax totus recurvetur. Hoc autem expressit vocabulo* περιρρηδὲς, *quod Poeta etiam usurpavit, quum inquit:* περιρρηδὲν δὲ τραπέζη κατέπεσε. *Homine itaque ita figurato, præcipit, ut Medicus alterâ manu humeri ad latus deducti caput in exteriorem partem repellat; sic enim deductæ juguli partes, plurimum inter se recedent, recurvato pectoris habitu multùm ad eam rem conferente: altera manu componat, atque in unum adducat diductas juguli partes. Humerum vero juxta latus sursum compelli interdum satis esse in sequentibus adscribi.*

TABVLA VIGESIMA QVINCTA.

De astraguli luxati restitutione, cruris fracti extensione, & spinæ ad exteriora prolapsę directione.

FIG. I. *docet tali seu* astraguli restitutionem, *quam Oribasius* libr. de machinamentis cap. 40. *describit. Talus modò in interiorem partem procidit, interdum in posteriorem quoque convertitur, in quas partes ubi venerit aquè* (super scamnum Hippocratis) *resupinare hominem convenit crure vitiato extento: ac cruri* (statim infra genu) *carchesium laqueum A. æqualiter extendentem circumponere, ejusque capita à posteriori parte ad axem, qui suprà caput est, adducere. Talo autem draconem seu sandalium B. injicere, ejusque capita ad inferiorem axem allegare, tumque membrum vel in diversa diducere, vel continere, & ab inferiori parte extendere: nervis quantum res postulat diductis convenienter impellere, ubi in interiorem vel exteriorem partem eruperit, retrò cogendo: ubi in posteriorem extrahendo, nunc siquidem eo eum habitum impulsus extrahendo aptatur.*

Quod si in fractura vel tibiæ, vel fibulæ, vel ossis utriusque simul, crus manibus extendi nequit, collocetur æger super scamnum Hippocratis, *ac cruri infra genu carchesius laqueus A. circumponatur, sandalius verò B. supra malleolos alligetur: postea crus laqueis in diversa diductis extendatur, fracturaque componatur.*

FIG. II. spinæ dorsi ad exteriora luxatæ extensionem *& impulsum monstrat, qui facilè comparatur, si ex Hipp. scamno Tab. XXII. Fig. IV. adumbrato mediæ* φλιαὶ *G. cum triapisco F. removentur, & in foramen* τῆς φλιᾶς *dextra A. lignum aliquod B. dimittitur excavatum, quod recipiat spatham C. clavo D. firmandam, ne excidat. Hoc facto, collocetur patiens pronus super scamnum: deinde duo laquei corpori circumdentur, unus supra E, alter infra F. gibbum, quorum capita è regione ad axem ferantur, ut spinam circumvoluta æqualiter extendant. Lignum illud, quod spatham recipit, ad minimum tria foramina quadrata habeat, ut ipsis spatha, pro magnitudine gibbi in supremo, medio vel infimo loco, accommodari possit. Ultimo spatha super gibbum conjecta, & magna vi Medici depressa, luxatio impellitur. Hic impellendi modus multùm differt ab eo, quem Oribasius* libr. de machin. c. 35. *figura & verbis nimium obscuris descripsit.*

TA-

TABULA VIGESIMA SEXTA.

De femoris fracti in diversa extensione & coaptatione; genu luxati repositione; & totius brachii ac pedis in figura media depositione.

FIG. I. *ostendit* fracturam femoris *per habenas extentam. Quum manibus extensio fieri nequit, & scamnum Hippocratis ad manus non est, collocetur æger super scamnum commune supinus, habena alligetur sub axillis, aliaque ponatur in spatio illo, quod interjacet genitalia & anum: alia denique habena alliganda est supra genu & talum. Hæ habenæ à ministris robustis attrahantur, superiores sursum, à inferior deorsum, donec medicus fracturam composuerit. In repositione genu luxati, quando manibus extensio fieri nequit, superiores habenæ similiter alligentur, inferior supra malleolos.*

FIG. II. & III. *ostendit* figuram mediam *membrorum & musculorum*, brachii & pedis totius, *quæ est necessaria in membri aut fracti aut luxati extensione, coaptatione, deligatione & depositione. Schema autem hujus configurationis ideo adpingi curavi, ut eam, cum infra sæpius indicetur, Chirurgia tyrones uno quasi intuitu addiscere, & in praxi imitari possint.*

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

De ossium tibiæ & cubiti ad medullam usque corruptione: de tibia cum vulnere & prominentiis fracta, fasciis in circulum adductis obligata: deque manus aut pedis extremi resectione.

FIG. I. *ostendit* corruptionem ossis & medullę tibię dextrę *Domini Augustini* Mertzen / *quam sequenti modo curavi. Primo die trium digitorum transversorum spatio infra patellam, ubi scilicet terminatur musculus rectus tibiam extendens, crus secundum longitudinem, usque ad inferius tibiæ caput, scalpello recto (Tab. II. Fig. II. delineato.) incidi, os callosa & mobili substantia obductum inveni. & vulnus medicamentis sanguinem sistentibus obligavi. Secundo, subsistente sanguine, callum seu cartilaginem, quæ ossi tibiæ supercrevit, modiolis (Tab. III. Fig. III. IV. & V. depictis) perforavi tribus in locis, statimque trium foraminum interstitia forcipis (Tab. XX. Fig. II. descriptæ) opera intercidi, & os tibiæ cariosum & integrè putrefactum inveni, quod à genu usq; ad inferius caput à sano separatum, volsella extraxi, deinde crus fasciis tredecim in crucem deligatū, in capsulā seu canalem stuppa repletū reposui, veluti Fig. X. hujus Tabulæ ostendit. Paravi autem fascias tredecim, longitudine quidem diversas* (tenuior enim & inferior cruris pars breviores, crassior verò longiores exposcit fascias.) *sed tres digitos transversos latas, quas capsulæ cruri supponendæ apposui, ita ut cujuslibet inferioris fasciæ portio medietatem, quasi superioris contegat. Hoc facto crus obligandum in capsulam fasciis coopertam reposui, deinde infimæ fasciæ extremitates sursum versus in crucem flexi, postea capita fasciæ, quæ proxima infimæ est, & sic deinceps, donec ascendendo ad supremam devenire, cujus extremitates nodo gemino adduxi. vid. Tabul. XXIIX. Fig. I. Hujus modi fasciis opus habemus, quando pars affecta crebram requirit inspectionem, & ab humorum incursu defensionem.*

FIG. II. *monstrat* tibiam integrè putrefactam *& cariosam, sicut erat post excisionem calli, quo contegebatur.*

FIG. III. *exhibet locum, in quo situm habuit os corruptum, & volsellā jam extractum: monstrat insuper foramen, in quo videtur caput fibulæ magis corruptum quàm tibia, quod modiolis excidi.*

FIG. IV. *est os illud tibiæ corruptum, quod patiens memoriæ causa reposuit.*

FIG. V. *ostendit in tibia modò curata aliam fracturam, de qua infra integram historiam annotavi.*


FIG. VI. *est dextri* cubiti os corruptum, *ac (veluti præcedens tibia.) cartilagine quadam obductum. Hinc cutim externi cubiti, à carpo usque ad humerum similiter scalpello incidi, vulnusque impositis stegnoticis dilatavi. Altero die, callum seu cartilaginem bis trepano Aquapend. perforavi, interstitia foraminum forcipe Tab. XX. Fig. II. excidi, & os subjectum detexi.*

FIG. VII. *ostendit os cubiti omnino corruptum & asperum, quod etiam volsella, sed frustulatim, detraxi, sine omni dolore & strepitu.*

FIG. VIII. *indicat locum (in quo reponebatur os cubiti corruptum, & modò detractum) quem natura callo replevit, ita ut æger operationes rusticanas absque impedimento exequi posset. Æger fuit rusticus Pappalaviensis, cui anno 1636. miles quidam cubitum quatuor in locis sine vulnere fregit. Hæc cubiti fractura, per me & Nicolaum* Reütten / *quantum fieri potuit, fuit composita, nostroque etiam judicio benè curata. Sed nobis nihil mali cogitantibus, cubitus de novo intumescit, vehementer dolet, tandem exulceratur parum, cum totius corporis consumptione, ita ut de ossis toties fracti corruptione suspicari cæperimus, quam etiam post sectionem cutis, & calli cum modiolis excisionem, invenimus, fasciis decussatis demum cubitum obligavimus, & remediis quæ Domino Augustino* Mertzen *fuerunt adhibita, curavimus.*


FIG. IX. *est* fractura tibię cum vulnere *& denudatione ossis, adeò, ut ejus extremitates extra cutim proruperint, quæ si longa sunt, sola extensione ob doloris, convulsionis, & inflammationis, quæ imminent, metum, reponi*


TABVL. XXVI.





TABVL. XXVII.


Fig. 1.
II
III
V
IV
VI
VII
VIII
IX
A
X
B
C
XI
K
I
H
XV
E
XII
XVI
D
XIII
XIV
G


I
II
III
IV
VI
VII
VIII
VIIII
X
XI
XII

reponi nec possunt nec debent, sed vel immisso (si fieri potest) inter extremitates ossis instrumento, quod scalprum sua figura incisorium refert, dum crus sine violentia extenditur, compellantur; vel si prominentiarum aliqua ita promineat, ut neque per scalprum incisorium A. reponi possit, sed potius vicina corpora dilaceret, doloremque inferat, juxta Hippocratem tertio de fracturis, *forfice (Tab. XX. Fig. I) abscindatur, & fracta postmodum ossa in locum compellantur. Cum extantia resecatur, ita ut os brevius fiat, prædicendum volunt ægro, crus vel alias partes fractas futuras esse breviores: quæ prædictio ex Galeno & Hipp. vera est, quando femur vel humerus fractus particulam ossis amiserit: cum verò tibiæ vel cubito (ossib. sociis nihil patientibus.) portio quædam abscinditur, brevitas membri semper timenda non est: os enim sanum membrum conservat distentum, donec natura defectum portionis abscissæ callo quodam compensarit.*

FIG. X. *est tibiæ os cum vulnere & prominentiis fractum, fasciis non in crucem, sed in circulum adductis obligatum, & intra capsulam debitè repositum. Ligatura hæc ascialis, quæ Hippocrati adscribitur, infra in curatione fracturæ cum vulnere clarissimis verbis explicabitur.*

FIG. XI. *est* manus, cancro occulto affecta, *quæ abscinditur in parte sana, ad capita scilicet radii & cubiti. Inciditur autem substantia carnosa scalpello falcato B. usque ad ossa, quæ postmodum unico serra C. acutissimæ ductu resecantur. Nota, quod supra incisionis locum fascia cubitus non ligatur, ut sanguis infectus ex vasis effluat, ne retentus cubitum distendat.*

FIG. XII. *est* manus sphacelo tentata, *quæ super lignum D. posita, in radii & cubiti capitibus sanis scalpro E. contra Hildan. bono cum successu, amputatur: cubitus supra carpum fascia stringitur, non solùm ut sensus minuatur, verùm etiam ut arteriæ*, post amputationem partis demortuæ, *constringi queant, citra magnam sanguinis profusionem.*

FIG. XIII. *est* pelvis oxycrato repleta, *cui innatat vesica, quæ madefacta parti mutilatæ adhibenda.*

FIG. XIV. *sunt duæ* fasciæ *glomeratæ F. & G. quarum qualibet duobus donata est capitibus, ad obligandum brachium, cui manus extrema fuit abscissa.*

FIG. XV. *notat* pedem sphacelo corruptum, *qui in parte mortua (juxta Hieronym. Fabritium ab Aquapendente*, libr. I. pentateuch. cap. 19. & libr. oper. chirurg. titul. de sphaceli chirurgia*) propè sanam forcipe Tab. XX. Fig. I. aufertur. Remota parte mortua, putredinis reliquum ferramentis candentibus (Tab. XXVIII. Figur. IV) absumitur, donec patiens vim ignis percipiat. Postea plagulæ H. unguento Ægyptiaco Hildani illinuntur, quæ eschara applicantur. Spleniis tandem superpositis I. pes mutilatus fasciâ K. madidâ ad genu usque obligatur, veluti manus (Tab. XXVIII. Fig. II. & III.) usque ad medium cubitum.*

FIG. XVI. *sunt* ferramenta *varia (Tab. XIX.) & ignita, tàm ad putridæ partis reliquias absumendas, quàm ad sanguinis fluxum sistendum, idonea.*

FIG. XVII. *sunt vascula duo medicamentis repellentibus, vino nimirum rubro, albumine ovi & oleo rosarum repleta, quibus fasciæ (sive in sano sive in mortuo pars amputetur loco) imbuantur, ad prohibendam inflammationem.*

TABULA VIGESIMA OCTAVA.

De ratione deligandi membra mutilata, & cum vulnere fracta; canali pedis, & generali luxationum atque fracturarum curatione.

FIG. I. *docet* Deligationem cubitorum post abscissionem manus, *seu quomodo fascia (F. Fig. XIV. Tab. XXVII.) cubitis (Fig. XI. & XII. Tabul. XXVII.) in vivo truncatis adhibeatur. Postquam arteriæ sanguinem fundentes, vel forcipe extractæ, filoque constrictæ, vel ferramentis candentibus tactæ fuerint, vulneri cum Plagulis medicamentum stegnoticum, & super has splenia oxycrato expressa applicentur, deinde fascia bis vel ter in crucem adductis capitibus, uno, usque ad dimidium cubiti-brachium involvatur.*

FIG. II. *monstrat primò* vesicam *oxycrato madefactam, & priori fasciæ superpositam; secundò alteram fasciam (G. Fig. XIV. Tab. XXVII.) quæ ut prior in crucem sæpius adducta, uno capite ad flexuram cubiti ascendat, ad prohibendum humorum affluxum.*

FIG. III. *est brachium, cui manus extrema fuit resecta, medicamento sub plagulis stegnotico curatum, spleniis cruciatim appositis, primâ fasciâ, vesica oxycrato madefacta, & secundâ fascia obligatum.* Hæc deligatio observanda est in quocunque membro mutilato, sive in confinio vivi, sive in loco vivo fiat operatio.

FIG. IV. *est* pes *ob sphacelum in parte demortua* truncatus, *in quo putredinis reliquum ferramentis optimè ignitis, usque ad patientis sensum, absumitur.*

FIG. VI. *est* pelvis poscâ repleta, *quâ imbuuntur splenia, fascia prima, & spongia nova Fig. VII. qua irrigatur totum quasi brachium, ad præcavendum sanguinis accursum.*

FIG. VIII. *est fractura dextri femoris cum vulnere in parte sylvestri, quam passa est Catharina* Böfin/ *Giengensis, de qua infra singularis reperitur observatio; monstrat insuper, quomodo cruri cum vulnere fracto fascia ascialis (Tab. XXIV. Fig. X. in circulum adducta & de qua plura dicentur in fractura cura) subjiciatur.*

FIG. IX. *est frustum femoris de vulnere extractum, & dextra sinistraque parte depictum, ut ejus caries meliùs videri ac considerari queat.*

FIG. X. *est femur fractum fascia asciali & in crucem adductâ obligatum, canaliq; Tab. XXI. Fig. VI. longo imponendum. Nam si quis canale femori subjiciat, qui poplitem non excedat, is potius lædit, quam prodest. Neq; enim corpus, neque tibiam sine femore moveri prohibebit: quin*

*popliti adhibitus molestiam afferet, & ad id, quod minimè opus est, impellet. Genu namque flecti minime opus est. Si quis enim aut femore devincto, aut tibia, genu inflectat, is vinculorum rationem totam perturbabit, tum necesse erit, ut musculi alio atque alio habitu collocentur, & ossa fracta dimoveantur. Imprimis igitur conandum, ut poples extendatur. Canalis ergo erit usui, qui à coxa ad pedem suppositus similiter contineat, præcipueque, si ad poplitem cum canali fascia laxa circumjiciatur, velut infantes in cunis fasciari solent. Ubi enim femur in superiorem partem, aut ad latus distorquebitur (*vel per somnum, vel dum æger ad desidendum progreditur, aut ipsi stratum substernitur*) ita cum canali melius continebitur. Canalis igitur à summo ad imum usque, aut nullus adhibendus. Cæterum imo calci magna cura adhibenda, ut tum in tibia tum in femoris fracturis aptè collocetur. Etenim si pes dependeat, tibia reliqua obfirmata, ossa in anteriore tibiæ parte gibba apparere necesse est, idque eo magis, si hominis calx suapte natura grandior fuerit. Hipp. de fract. femoris. vid. Tabul. XXVI. Fig. II.*

FIG. XI. *est brachium mutilatum, in quo arteria instrumento extrahitur, ad ligandū, ne sanguinē fundat.*

FIG. XII. *est pollex dextræ manus, qui carpo proprius fascia compresso, propter sphacelum forfice Tab. XX. Fig. I. in vivo abscinditur.*

*Guilhelm. Fabritius Hildanus tractatum doctissimum conscripsit de cura gangrænæ & sphaceli, quem tyrones attente legant, sæpiusque magna diligentia perlegant, in quo (*præter modum fascia ligandi partes mutilatas, quem in ipsorum gratiam hic apposui.*) omnia ad resectionem membri necessaria invenient. Is pluribus quidē probare nititur rationibus, partem demortuam citò, tutò, & jucundè abscindi non posse, si putredinis aliquid relinquatur ferramentis candentibus absumendum: illæ tamen meo judicio non evincunt, amputationem membri affecti, juxta Hieronymum Fabritium ab Aquapendente institutam, nunquam benè succedere;* multò minus *demonstrant, hanc illi, quæ peragitur in vivo, postponendam esse; considerando, amputationem in parte sana institutam,* jucundè fieri non *posse, sive novacula, sive cauterio cultellari incidantur partes molliores:* neque etiam tutò, *quoniam viva pars fascia constricta facili negotio emoritur, immo sectio etiam in parte sana semper accuratè institui nequit, quin aliquando partes profundiores altius, quàm exteriores, corruptæ relinquantur; quod si fiet, vel nova sectio tentanda, quæ esset horribilis, vel reliquiæ ferramentis juxta recentiores comburendæ.* Non citò, *quia majus temporis spatium requiritur, ad extrahendas instrumento arterias, filoq; constringendas (*& si fascia removetur, nonnunquam tale sanguinis profluvium sequitur, quod nisi vasa *cauteriis* actualibus *tangantur*, mortis causa fit.*) quàm ad vulnus statim ferris ignitis inurendum: ne dicam, magis protrahi operationem, si post resectionem ab Hildano & veteribus præscriptam, aliquid putredinis remanet. Unde rationibus & felici experientia fretus, Hieron. Fabrit. ab Aquapend. operandi modum, resectioni veterum præferendum esse statuo.*

Quod si vires ægri, ob vapores putridos, & antecedentem sanguinis fluxum, adeò debiles sint, ut certissimus eum in ipsa operatione defecturum; in eo casu abstinendum à sectione, quoniam magis excusabile est, ægrotantem relinquere, quàm ipsum scienter occidere. Cum autem nulla spes vitæ sit reliqua, nisi pars abscindatur, quid Chirurgo incumbit? partem demortuam manè & vesperi ferramentis optimè candentibus quotidiè tangat, ad imbibendos humores putridos, ne sursum versus repat sphacelus, patienti etiam medicamenta alexipharmaca, quæ vapores à corde depellant, spiritusq; reficiendo vires instaurent, per os exhibeat, & etiam externæ regioni cordis adhibeat. Viribus parumper refocillatis (pristinæ enim cum certo vitæ periculo expectantur) cum prædictione periculi, operationem petitam aggrediatur. nam satius est viribus ita se habentibus, anceps & miserrimum hoc auxilii genus experiri, quàm nullum. Dum Patavii studio medico operam dedi, Comes quidam Vicentinus ambo cruris dextri ossa in medio fregit, cum profusione sanguinis usque ad syncopen, & superveniente sphacelo. Pedem sphacelatum Excellent. Petr. de Marchettis, ob virium, ex sanguinis fluxu, debilitatem resecare noluit, sed ferramentis candentibus sæpius adhibitis prohibuit, ne serperet putredo, & medicamentis internis & externis corroboravit, & spiritus, quantum possibile, refecit: Tandem, inscio patiente, *partem demortuam nova tula circumcumcirca incidit, quâ decidente, reliquum putredinis cauteriis actualibus absumpsit, ad removendam escharam unguentum Ægyptiacum simplex adponens. Tertia (post abscissionem pedis extremi usque ad fracturam) die, patienti coquerenti de insigni dolore digiti maximi pedis dextri, Chirurgus subridens respondit, se mirari querelam de dolore digiti, qui ante triduum fuerit sepultus: quibus æger ita fuit perterritus, ut statim in gravissimum animi deliquium inciderit. Ablata eschara, musculisque, ut solent, sursum retractis, ossa quatuor digitos transversos prominebant, quæ filamentis aridis & pulveribus quotidie siccantibus cooperta, duorum mensium spatio à sanis separabantur.* Ut præcedentes tabulæ, & proximè sequens, quæ de curatione fracturarum & luxationum tractant, melius intelligantur, curam eorum generalem ex Hieron. Fabritio ejusque Præceptore Fallopio, (hos enim qui habet, omnes habet) paucissimis perstringam.

Curatio Luxationis Simplicis.

F*It quinque scopis, 1. Extensione, 2. Repositione, 3. deligatione, 4. depositione partis luxatæ, & 5. religatione partis.* Extensio *autem facilè fiet, si quatuor observantur, primò tempus, secundò organa apta, tertiò modus, & quartò extensionis quantitas.* Tempus *ab Hippocrat. de art. 64. proponitur, ut scilicet statim post luxationem fiat, dum pars adhuc calet. Quod si extensio ob absentiam Medici vel Chirurgi statim fieri non possit, faciamus id die etiam secunda vel tertia, nisi cogamur ob inflammationem, quæ prius supervenit, desistere,* in quarta vero propter exacerbationes nihil tentandum: observatum enim, quod, si tentetur extensio, restitutio feliciter non succedat, *sed eam multa sequantur incommoda. Unde Fallopius de luxationibus cap. 3. Mo-*

neo vos, inquit, ut habeatis semper rationem temporis, ad summum non excedentis diem tertium, & si dies tertia esset jam præterita, expectandus est terminus inflammationis, & tempus, usque quo periculum non sit de inflammatione, estque Hippocrat. 4. de artic. 65. monente dies septimus, ad quem usque æger (inedia seu victu potius tenui) extenuandus est. Ergò si primis tribus diebus fieri non possit extensio, expectate usque ad septimam. Tempus in quo potestis restituere est prima, secunda & tertia, vel saltem 7. 8. & 9 in decima verò, undecima, duodecima & reliquis, non est tutum, quia tum generatur callus. Sed antequam deveniamus ad extensionem, præparandus est articulus ad indolentiam, & faciliatem restitutionis, calefaciendo, emolliendo, & laxando partes articuli, scilicet musculos, tendines & ligamenta, si enim mollita sunt, facilius trahentur & sine dolore. Calefactio autem & emollitio articuli fit, aut per frictiones, aut per affusionem plurimæ aquæ calidæ, vel hydralei, vel decoctionis malvæ, alth. &c. Frictione commodè utimur in locis, ubi aqua non facilè potest affundi; debet autem fieri manu inuncta materia aliqua oleosa vel pingui, ut oleo communi aut axungiâ porci minimè salita. Spigelius in publicis lectionibus narrabat, ad curationem luxationis tantum posse balneum aquæ dulcis, ut eo nihil sit præstantius.

Organa extensionis sunt manus, vincula & instrumenta; Manus adhibentur, si luxatio sit levis, vincula, si mediocris, instrumenta si magna. Manus ergo sint vel Medici, vel ministrorũ, prout extensione opus est levi, vel paulullum majore: vincula verò, ubi requiritur, ob contractionem musculorum majorem, extensio validior; in quibus observanda 1. figura, quòmodo scilicet obvolvenda, de qua (quoniam verbis exprimi non potest) videatur Oribas. liber de laqueis: 2. materia, quæ sit valida, mollis & tractabilis. Talis est corium cervinum, molle & præparatum, ex quo conficiuntur thoraces. Inunguntur deide unguento pomato, ut tractabiles fiant. Nonnulli utuntur, in defectu corii, linteis parũ detritis: 3. ubi injicienda; in loco nimirum remotiore articuli luxati, ne musculi constringantur, aut in validiore extensione dilacerentur. Ubi infra luxationem duo adhuc sunt articuli, Hippocrates utrique articulo adhibet vinculum. vid. Tab. XXVI. Fig. I. Instrumenta mechanica; quæ præcipuè necessaria sunt in antiquatis, vel primis tribus diebus non repositis luxationibus, sunt 1. scala (Tabul. XXI. Fig. III.) 2. Glos. socomum seu Ambi Hippocrat. (Tabul. XXI. Figur. I.) & 3. scamnum Hippocraticum (Tabul. XXII. Figur. IV.) dictum.

Modum extensionis indicat Hippocrat. 1. de fract. 1. dum dicit, quod Medicus luxationum & fracturarum extensiones (quæ per tractationem in diversas fiunt partes) quàm rectissimas facere debet. Oportet igitur servare rectitudinem; tum ratione ossium, tum ligamentorum & musculorum, propter fibras. Nam servata harum partium rectitudine, extensio sine dolore & difficultate succedet.

Quantitatem extensionis optimè sciet Medicus, quando non ignorat, ex quo loco exciderit, per quam viam egressum, & ad quem locum sit progressum, in quo quiescat. Extensionem propè factam animi deliquium ægri vel adstantium non impediat.

Reponitur os in suum locum manibus, vel Medici vel ministri, modice inunctis cerato aliquo molli, vel oleo rosarum. Fit autem repositio vel per circumgyrationem, vel per impulsum in oppositam partem illi, ad quam prolapsum est. Hi motus non semper necessarii, nam interdum, ubi extensio facta, si musculi prius contracti tantum remittantur, facilè sua sponte articulus in locum naturalem redit.

Signa autem benè repositi membri sunt; primò figura membri naturalis, quando nulla cavitas, nullusque circa articulum tumor apparet, quemadmodum ante restitutionem, sed in omnibus similis sit sanæ parti, aut parum admodum absit, propter influxos humores. Secundò doloris remissio, quæ signum est inseparabile, semper enim dolore sedato, signum est restitutum esse os, non autem contra sequitur, restitutum est os; ergò dolor cessat: potest enim interdum dolor remanere, quod prius valdè læsi sint musculi. Tertiò juxta nonnullos strepitus, qui sentitur ab ægris & adstantibus, dum os in cavitatem suam redit; sed signum hoc fallax est; & nunquam exoptandum, siquidem strepitus iste interdum fit, cum extenduntur articuli, & nimis trahuntur, sæpe etiam strepitus fit, cum ossis supercilia rumpuntur, ex collisione mutua ossium, quam sequitur motus difficilis.

In deligatione primâ observanda sunt duo (figura scilicet partis affectæ, & deligatura ipsa,) quæ conservabunt articulum in suo sinu; & imminentem inflammationem prohibebunt.

In figura oportet observare figurationem articuli, non solùm restituti, sed etiam totius membri, nam sicut figuræ quædam naturales, & indolentes: ita quædam non naturales & dolentes sunt. Figura indolens brachii est flexa, sicut pedis in rectum extensa Tabul. XXVI. Figur. II. & III. sed notandum, quod dicta figura articulo vel toti membro ante deligaturam tribuenda est, ne scilicet fasciæ vel laxentur, vel nimis constringantur.

Deligatura, fit fasciis lineis, quia melius constringunt, quàm illæ quæ ex lana conficiuntur; mollibus; ne dolores inferant; æqualibus, ut æqualiter ubique constringant; & mundis, ut ex colore cognoscantur humores, qui ex articulo resudant. Latitudo fasciarum secundum partes deligandas variat: partes enim crassiores, requirunt fascias latiores; tenuiores verò angustiores. In crassis (femore scilicet & genu.) sint quatuor, in tenuioribus (ut tibia, humero, cubito & manu) trium, in tenuissimis (ut digitis) duorum saltem lata digitorum transversorum ægrotantis. Fasciæ distinguuntur à Galeno in interiores; quæ sub spleniis ligant articulum, & dicuntur sub ligamina: Et in exteriores, quæ spleniis imponuntur: Hippocrates utitur duabus interioribus, totidemque exterioribus: quamvis interdum una sufficiat fascia, quando scilicet articulus non est facilis ad prolapsum.

Longitudo fasciarum ob varietatem partium deligandarum varia est: in cubito longitudo fasciarum debet esse trium cubitorum (per cubitum intelligo spatium ab apice digiti medii, usque ad articulum cubiti) ægrotantis: in cruribus quatuor, in humero novem: in femore duodecim: & in digitis minus duorum digitorum. Fascia ut præter constrictionem etiam inflammationem arceant, ex mistura vini austeri, & oleo rosarum madefiant, quoniam siccæ multo tempore inter se non cohærent. Alii fascias moderatè oblinunt, felici successu, cerato Hipp. humido. quod describit Galen. l. 6. de compos. med. per. gen. c. 4. dicitur ceratum à cera quam recipit, & humidum, quia ob oleum est molle. Proportio autem ceræ & olei est, ut sumatur una pars ceræ, & duæ olei v. gr. ℥j. ceræ albæ, & ℥ij olei. rosacei. Vitanda sunt hic illa medicamenta, quæ fiunt ex pulveribus adstringentibus, & albumine ovi, quoniam articulum, vel nimis refrigerant & exiccant, ut flexura impediatur, vel humoribus influxis exuludunt exitum. Deligatio laxati articuli communis est fracturis, quo pacto autem facienda sit, infra docebitur, in curatione fracturæ simplicis, & Tabul. XXIX.

Depositio *membri est triplex. Alligatio, suspensio, & collocatio.* Alligatio, *cum juxta Paulum thoraci alligatur brachium in luxatione & fractura humeri aut cubiti.* Suspensio, *si suspenditur brachium de collo apposita vitta.* Collocatio, *quando collocamus membrum affectum supra aliquam partem corporis, ut brachium supra thoracem, vel supra stragulum aliquod capsulæ inditum. Alligatione & suspensione utimur in partibus superioribus, collocatione verò in inferioribus. Depositio autem debet esse in figura partis media, mollis (unde canalis stuppa repletur, ne æger molestiam patiatur) æqualis (maximum enim incommodum ex parva inæqualitate oriri potest) & sursum vergens, ne fluant humores ad partem affectam, & inflammationem efficiant, Tab. XXVI. Fig. II. & III.* Post bonam *deligationem, & membri depositionem requiritur etiam quies, ita ut Antiquiores in luxatione & fractura femoris perforarint lectum & stragula, ut ægri per illud foramen excernant, ne moveri cogantur.*

Religatio *indicatur 1. si membrum non rectè fuerit deligatum, quod apparet, si nimis arctè constringitur, unde in extremis membri luxati partibus exoritur tumor durus; vel nimis laxè, quod indicatur, cum neque bonus, neque malus, id est, neque moderatus, neque magnus aut durus, apparet tumor. 2. si pruritus aut dolor adsit. Pruritus ille fit vel à rebus secundum naturam ut temperamento calidiore, vel à rebus præter naturam. Solutis dictam ob causam fasciis, affundatur membro aqua tepida pura, non solum ut mitigetur ille pruritus, & discutiatur humor serosus, qui remansit impressus ex ligatura, verùm etiam ut roborentur ligamenta, dum aquà siccat humiditates collectas. Nisi ergò deligatio sit malè facta, nec pruritus infestet, solutio protrahatur usque ad septimum diem. Si autem nimis arctè, secundò; si nimis laxè, tertio; ob pruritum vero tertio vel quarto ad summum die ligaturam dissolvere oportet. Septima die, quæ est terminus transactæ inflammationis, deligatio iterum solvatur, & affundatur aqua tepida (*non nimis calida, quæ ligamenta laxaret.*) sed non amplius fasciæ supra dicto liquore madefaciendæ, nec cerato rosaceo oblinendæ, quoniam inflammationi jam satisfactum est, sed septima dies indicat corroborationem & consolidationem articuli, & ideò medicamento opus est siccante valdè & adstringente. Si tamen septimò die adhuc suspicio esset inflammationis, tunc usque ad undecimam diem protrahatur roborantium medicamentorum appositio. Talia sunt 1. Medicamentum catagmaticum Moschionis, cujus descriptionem habet Galen. l. 3. de comp. med. sec. genera c. 9. 2. ceratum diapalmæ. 3. ceratum Barbarum, quod optimum est hyemis tempore. 4. emplastrum catagmaticum. Renodæi. Hæc medicamenta antequam apponantur, emolliantur vel cerato rosarum humido, vel myrtino, pro molli frictione partis affectæ. Facta molli frictione, articulus leniter movendus ad hanc aut illam partem, ut humor in articulo genitus exprimatur sine dolore. Medicamenta (non dissoluta) postmodum super linteum extensa apponantur, & deligatio prioribus paulò arctior fit oportet. Post hanc deligationem membrum solvendum non est, usque ad finem curationis. Ut cognoscatur tempus, quo sanantur luxationes, sciendum est, quod tres dentur gradus articulorum; alii enim sunt parvi, & ad restitutionem faciles: quidam mediocres & majoris momenti: nonnulli magni & ad restitutionem difficiles. Primorum (*articulorum digiti cujusvis*) cura terminus est dies decimus quartus: secundorum (*articulorum, ossium pedis & manus extremæ*) vigesimus: Tertiorum (*reliquorum*) quadragesimus. Articuli ergò digitorum inter quatuordecim dies glutinantur, & propterea in luxatione talium articulorum à septima vel nona die, usque ad decimum quartum non oportet unquam fascias solvere: in reliquis expectandus est terminus sanationis, nisi aut pruritus, aut ulcuscula, aut humor inter caput articuli & sinum collectus, laxatum fasciarum solutionem inducent, tertio quoquo die repetendam. Hoc modo procedendum, donec membrum satis videatur robustum: quo tempore solvenda est ligatura, & pars luxata decocto fovenda, quod eam roboret. ℞. Flor. Chamomil. rof. rubr. anth. stæchad. Fol. salv. Beton. salic. chamadr. ivæ arthet. centaur. min. absynth. ana m ß. vini rubr. mediocriter austeri ℔. vj. lixiv. dulc. Barbitonsorum ℔. iij. bulliant ad consumptionem quartæ partis: postea, apposito cerato, per aliquot dies absque deligatione, in media figura Tabul. XXVI. Fig. II. & III. membrum restitutum est conservandum: dein ægrotanti præcipiendum, ut operationes consuetas moderatè exercere incipiat.*

Cu-

Curatio Luxationis cum inflammatione, ante vel post restitutionem, exorta.

Si inflammatio urgeat ante repositionem, aderunt duæ indicationes, altera luxationis, & altera inflammationis: sed quia magis urget inflammatio, illi prius est incumbendum: nam si prius tentaretur restitutio articuli luxati, fieret convulsio, vel gangræna partis, quam sequitur sphacelus: Omittenda igitur in hoc casu restitutio articuli, & ponenda pars in medio, minimeque doloroso situ. Tab. XXVI. Fig. II. & III. Universalibus præmissis, rebus non naturalibus benè dispositis, & alvo laxâ clysteribus conservata, parti affectæ apponatur lana succida, & cõtinuò super affundatur hydræleum calidum, quod recipit copiosam aquam calidam, & copiosum oleum rosatum. Aqua calida enim discutiet humores, laxabit partes, doloremque sedabit: Oleum rosarum mitigabit dolorem, & repellendo impediet inflammationis augmentum. Lanâ succidâ etiam mitigabitur dolor, & prohibebitur inflammatio, sed quia dum cessat inflammatio, humores collecti paulum incrassantur, ideò sub finem inflammationis debemus membrum leniter fricare manibus inunctis oleo amygdal. dulcium, vel communi, deinde imponere malagma vel Nili vel Nilei, quæ Galen. l. 8. de comp. med. sec. loc. cap. 5. describit, *& præstantissima sunt in declinatione inflammationis, propter ceram, ammoniacum, oleum, crocum & acetum, quibus ad emolliendum, evocandum, & discutiendum nihil est præstantius: sed cum hæc non ubique habeantur in officinis, adhibeatur, Emplastrum oxycroceum Nicolai, quod pariter emollit, discutit, & ex alto trahit, quare optimo eventu potest substitui: superata inflammatione, extendatur, reponatur, deligetur, & deponatur membrum, eo modo, quem in luxatione simplici didicimus.*

Si inflammatio post repositionem succedat, quod crebrò fit, tùm ratione extensionis violentæ, tùm doloris perpetui, instituendus est victus tenuis, secanda est vena, & purgatio instituenda, statimque dissolvenda est deligatio (etiam si sit in prima vel secunda die) *& similiter hydræleum tepidissimum affundendum, donec æger ex hoc juvamen aliquod percipiat. Postea deligetur membrum laxius, paucioribus fasciis hydræleo imbutis. Hoc singulis diebus faciendum est, usque ad inflammationis declinationem, quæ fit die ut plurimum quinta; declinante inflammatione, apponenda sunt vel malagmata dicta, vel oxycroceum Nicolai, pro resolvendis inflammationis reliquiis, cum ligatura adhuc laxiore. Ablata vero inflammatione, observetur curandi modus in simplici luxatione dictus.*

Curatio luxationis cum vulnere, & osse, vel tantùm detecto, vel parum etiam prominente extra cutim.

Si articulus luxetur, ita ut sit vel detectus, vel extra pellem parùm protrusus, affectus est lethalis, & majoris periculi, si restituatur, quàm si non restituatur. Si enim non restituatur, superveniet inflammatio, convulsio, & interdum mors. 2. aderit turpitudo ipsius membri. 3. ulcus insanabile, quod si forte cicatrice aliqua obducatur, ob mollitiem facile etiam solvitur. Si verò reponatur, maximum adducit convulsionis, gangrænæ & mortis periculum. Sed nonnulli hujusmodi pericula timent solummodo in articulis magnis (Carpo videlicet, cubito, humero, talo, genu & femore, quæ ob tendinum robur, ligamentorum & vasorum magnitudinem, restitutionem prohibent, nisi eam æger & adstantes, audita prædictione periculi, urgeant, quam Medicus die vel primo, vel secundo, vel octavo, vel nono tentare debet, ne artem Medicam ignorare videatur) non autem in articulis minoribus, digitorum nempe pedis, & manus extremæ, quos Celsus cum prædictione periculi pariter reponit, rationem habens primò inflammationis & convulsionis, deinde vulneris & luxationis. Ubi ergo articulus major reponi nequit, primùm habenda est ratio universalium & victus, membrumque sine omni extensione & deligatione, in media figura, vel de collo suspendatur, vel in capsulam leniter collocetur, ut immobile maneat, & dolorem non sentiat. Impedienda quoq; inflammatio & convulsio imminens, medicamento dolorem mitigante, concoquente, refrigerante & repellente, quale est, ex mente Hipp. 4. de artic. 6. Ceratum picatum, quod super splenium, vino austero, nigro, ac tepido expressum extenditur, & tepidè articulo imponitur.

Curatio Convulsionis, post articuli restitutionem subortæ.

Si, osse restituto, supervenit convulsio, statim articulus iterum luxandus, copiosaque aqua, vel oleo tepido, optimè ac diu abluendus: Calefaciendum quoque totum corpus, ita ut sudor excitetur, & omnes articuli calefiant, quoniam inter se omnes consentiunt: Inungenda sunt præterea nervorum principia, nucha scilicet, spina dorsi, inguina & axillæ, oleis & unguentis, ad convulsionem facientibus.

Curatio luxationis cum callo, qui impedit restitutionem & motum articuli.

IN articulis, ante vel post restitutionem, malè tractatis, facilè crescit callus, præcipuè verò in iis, qui non multa carne sunt circumvallati; ut cubitus, genu & pes: reliqui articuli quandoque, sed non ita facilè patiuntur callum, quoniam carnosiores sunt, & humorem sanguineum, qui pro alimento & faciliori articulorum motu illabitur, facilè discutiunt. Callus autem vel est durus, ut lapidis naturam acquirat, vel non ita durus, uti lapidosus. Signa calli lapidosi sunt quatuor, 1. articulus gracilimus & siccissimus conspicitur. 2. articulus ab ægro moveri non potest, neque etiam violenta manu Medici. 3. extenuatio & gracilitas membri est diuturna. 4. adhibita fuerunt medicamenta nimium refrigerantia, vehementer adstringentia & exiccantia, quibus humor supradictus in lapidosam abiit materiam. Signa lapidis simpliciter duri sunt itidem quatuor. 1. Si recens est affectus, dum enim antiquatur, fit lapidosus. 2. quamvis membrum ab ægro moveri nequeat, potest tamen à Medico. 3. si medicamenta idonea articulo fuerint apposita. 4. aderit tumor aliquis in parte quidem durus, non tamen osseus.

Callus lapidosus curationem Celsi sine periculo non admittit, quare ita relinquendus. Curatio verò calli mollis, seu minus duri, talis est: Primò evacuetur corpus purgatione & venæ sectione. 2. instituatur bona victus caterarumque rerum non naturalium regula. 3. emolliatur pars oleo, vel sequenti medicamento.

℞. Radic. alth. ℥iij.
cucum. asinin. ℥ij.
Fol. Malv.
Bismalv. ana. mij.
Semin. lini.
fœnugr.
Caricar. ping. ana. ℥iij.
Capit. veruec. n° j.

Coq. in s.q. aq. simpl. donec caro capitis ab ossibus separetur, cujus vapore per aliquot dies articulus callosus foveatur, fotum excipiant frictiones per tertiam horæ partem durantes, manibus inunctis ex oleo amygd. dulc. & pinguedine anserina recenti mixtis. Facta frictione imponatur Malagma Nilei, supra allegati, vel oxycroceum Nicolai, pinguedine anserina malaxatum. Post tres vel quatuor dies pro emollitione & discussione calli, laudatur fumus aceti. Unde Galenus accipit lapidem pyritem; (vel in hujus defectu molarem) quem ignitum facit, postea aceto perfundit, in quo macerata sit portio quadam gummi Ammoniaci, ut vapor inde sublatus, & per 3. horæ partem susceptus, non solum attenuet callum, sed etiam emolliat: attenuatione facta, cataplasma imponendum est vel sequens, vel fortius. ℞. Furfurum hordei & oxym. simpl. q. s. pro form. cataplasmatis. Notandum, ut æger (si articulus est restitutus) inter usum emollientium & discutientium, articulum, quantum possibile, moveat, quo motu callus digeritur. Si articulus nondum restitutus, & callus oboritur, hic prius curetur, dein articulus reponatur: ut in luxatione simplici dictum.

Curatio luxationis articuli, qui de sua sede, post restitutionem, sponte recidit.

ARticulus recidit tribus de causis. 1 quando post violentam luxationem malè reponitur articulus, & ligamenta non bene exiccantur. 2. quando tumor aliquis, ex inflammatione circa articulum oborta & malè curata, prohibet, ne articulus in sua sede possit contineri. 3. cum humor ad articulum fluit, qui ligamenta laxat. Prima causa majora exiccantia requirit: Secunda verò emollientia & discutientia indicat, de quibus supra: Tertia omnium est pessima, quæ (post expurgationem corporis per pharmaca, venæ sectionem & bonam victus rationem) postulat adustionem, quâ nihil est præstantius. Nam hæc absumet primò humiditates illas per crustam, quæ cavum facit ulcusculum, quod cicatrice obductum partem relaxatam contrahit: per inustionem nim calefacimus, siccamus, & humores digerimus. Sed animadvertendum est, 1. ut uratur locus, ad quem cadit os, ut si humerus sub alam cadat, sub axilla ustio fieri debet, si caput femoris ad anteriorem partem luxetur, anterior a pluribus in locis urenda. 2. ne urantur partes nervosæ, ligamenta, venæ, arteriæ & glandulæ, quibus ignis est inimicus, exoritur enim, ob siccitatem, convulsio mirabilis. 3. ut ustio fiat ferramentis, quæ non magnas faciant eschāras, unde eligantur ferramenta parva, olivaria, acuminata, & optimè ignita. 4. ut post inustionem articulus quiescat per multos dies, si enim iterum luxetur, affectus erit immedicabilis.

Curatio Elongationis articuli.

IN articuli elongatione ligamenta laxiora debent constringi medicamentis non frigidis (hæc enim articulum rigidum & ad motum ineptum reddunt), sed calidis. Cum autem non detur simplex, quod vim habeat calefaciendi & simul constringendi, apponendum est compositum, veluti est emplastrum ex pelle arietina. Si autē medicamentis non succedat curatio, unicum superest remedium; nempe ut cutis externa ex utraque parte (cavendo tunc partes prædictas) inuratur ferramentis parvis, & optimè ignitis, deinde pars fasciis aptis deligetur.

Cura

Curatio Fracturæ Simplicis

*T*Ransversa & obliqua quatuor absolvitur, 1. Repositione, 2. Repositi conservatione, 3. Calli generatione, & 4. Accidentium fracturæ supervenientium correctione. Repositio duobus expletur, extensione nimirum & conformatione, vel per impulsum, vel per coaptationem.

In Extensione *etiam considerandum, 1. ubi, 2. tempus, 3. modus, 4. instrumenta, 5. qualitas & 6. quantitas.*

Ubi, *extensione opus est, quando ossis fracti partes nondum directæ jacent, sed una alteri adhuc superimponitur.*

Tempus *optimum est; si statim cognitâ fracturâ instituatur extensio; nam si id non fiat, magnus, ob dolorem vehementem, fit humorum affluxus, & musculi versus sua principia trahuntur, hinc extensio difficilis evadit, & si instituatur, ossa fracta adjacentes partes carnosas pungunt, & consequuntur convulsiones, inflammationes, aliaque mala accidentia. Potest tamen ante inflammationem, die scilicet secundo vel tertio, extensio tentari: in quarta & sequentibus (donec timor inflammationis præteriit.) extensionem Hippocrates prohibuit. Verum recentiores, ut inflammationem imminuant, dolorem mitigent, & musculos versus sua principia contractos emolliant, aquâ calidâ perfundunt partem fractam. Alii sumunt hydræleum, vel decoctum malvæ, alth. &c. horumq; vapore membrum, per integrum horæ spatium, fovent. Ubi notandum, ab initio hujus fomenti, partem affectam quidem intumescere vehementer, sed ubi paululum fomentatio perseverarit, non modo tumorem vapore excitatū, verum etiam priorem, qui extensionem prohibuit, evanescere. Optimum quoq; remedium est pellis recens mactati vituli, vel alterius animalis, adhuc calens circumligata, & per horas aliquot supra membrum fractum detenta; habet enim insignem vim digerentem, emollientem, & anodynam.*

Modus. *Membrum fractum in media figura, supra & infra fracturam, instrumentis ad extensionem necessariis, comprehenditur, & in diversa, sursum scilicet & deorsum, quàm rectissimè trahitur.*

Instrumenta, *interdum sunt solæ manus duorum ministrorum robustæ, ubi mitius Tab. XXIX. Fig. I; interdum habenæ ex linteo vel corio, ubi valentius Tabul. XXVI. Fig. I; interdum machinamenta, ubi vehementissimè extendendum, Tab. XXV. Fig. I.*

Qualitas *pro varietate, & præsertim magnitudine ossium & musculorum variat. Hinc minimam expostulat extensionem radius; majorem ossa, quæ in summa manu & summo pede sunt; adhuc majorem cubitus & fibula; validiorem humerus & tibia; validissimam femur. Præterea in unoquoque osse validiorem extensionem tolerat, 1. Corpus molle, quàm durum, 2. primus dies, quàm reliqui, quibus durat timor inflammationis, 3. fractura vetusta, quàm recens.*

Quantitas. *Membrum in directum extenditur, usq; quo ossa ponantur è regione invicem, at se mutuò non contingant.*

Conformatio *probè fiet, si, dum organa extendentia sensim & sensim remittuntur, & membrum in media figura conservatur, partes ossis fracti, quæ è directo nondum exactè jacent, in directum examussim ponantur, earumque eminentia in proprias cavitates, citra omnem violentiam, suaviter & blandè, manibus chirurgi recondantur. Tab. XXVI. Fig. I. Hæc operatio optimè succedit, quando membrum conformatum sano in figura erit simile, tactu nulla sentietur inæqualitas, & dolor vehemens sedabitur, vel mitescet.*

Conservatio *fracturæ, jam coaptatæ, continet deligationem, & inflammationis, per topica, prohibitionem. Deligatio fit fasciis, spleniis, & ferulis.*

Fasciæ *Tab. XXIX. E. F. G. autem parantur ex linteis vetustis, aliisque usibus ex parte attritis, ut sint tractabiliores, validis tamen, ne extentæ lacerentur; nullas consutiones aut extantias habeant, ut æqualiter, ac sine dolore, constringant.* Latitudo *autem fasciarum magnitudine partis innotescit; pars enim crassior latiores, tenuior angustiores requirit.*

Longitudo *tanta sit, quanta requiritur, ut scilicet deligatio, & supra fracturam & infra, comprehendat non parùm de parte sana, factà debitis circumvolutionibus, quæ tot sint, quot requiruntur ad firmamentum partis fractæ.*

Splenia *Tab. XXIX. Lit. I. sunt panni linei (antiqui parabant ex stuppa pexa) sæpius complicati, sicque dicuntur, quoniam imitantur splenes brutorum, qui solent esse oblongi & angusti. Alii hos pannos vocant plagulas: veteres appellarunt plumaceolos aut pulvillos, quoniam ex plumis, inter duos pannos consutis, pararunt. Hæc splenia adeò longa sint, ut totam deligationem comprehendant; breviora enim omnes fasciæ circumvolutiones non tuerentur; latitudo autem ipsorum sit trium aut quatuor digitorum, ejus qui deligandus est. Quod verò ad crassitiem attinet, sint triplicia & quadruplicia etiam, ubi majori opus est firmitate: & cum debeant totam partem circumdare, tot accipienda sunt, quot possunt partem in orbem complecti. Unde Hipp. libro de offic. Medic.* Spleniorum longitudo, latitudo, crassitudo & multitudo talis esto: Longitudine deligationem æquent, latitudine trium sint aut quatuor digitorum, crassitudine triplicia aut quadruplicia, multitudine, ut in orbem convoluta, neque plura sint, neque pauciora. *Et Galen. in comm. hujus loci: in hoc, quem nunc de fracturis Hippocrates instituit, sermone primum plagulas commemorat, splenia quoque à splenis similitudine, quem imitantur, appellata: qua præcipit longitudine æquare deligationem, utpotè quæ in ejus gratiam adhibeantur, videlicet, ut eam firmam & immotam servent. Latitudinem vero habere trium aut quatuor digitorum hominis, nempe deligandi. Crassitudo ea sit, ut triplicia vel quadruplicia sint: Quadruplicia quidem, ubi deligatio majore eget custodia. Verùm ubi minore, triplicia posse satisfacere arbitratur. Eam autem plagularum multitudinem adhiberi consulit, ut in orbem deligatum membrum comprehendant.*

Ferulæ *Tab. XXIX. K. sunt assulæ leves (quæ ossibus fractis & luxatis apponuntur, postquam transierit inflamma-*

flammationis tempus, ut fracturam magis stabiliant) plagulis non admodum dissimiles. Veteres, inter quos primus fuit Hippocrates, pararunt ferulas ex ligneo ferulæ fruticis cortice, aut ex ipsis ramis per medium divisis, unde & nomen habent ferulæ. Est enim hoc lignum aptissimum ad hunc usum, cum & durissimum, unde antiqui ex eo scipiones parabant, quibus innitebantur. Nos in defectu hujus fruticis (quandoquidem in Germania locisque frigidioribus haberi nequit) optimo cum successu paramus ferulas ex operculo capsularum, quibus utuntur Pharmacopæi & Mercatores ad merces recondendas. Si nec dicta opercula haberi possunt, ferulæ optimè conficiuntur ex vaginis ensiũ antiquis, quæ quoniam corio obducuntur, sunt duræ, sed simul leves. Hippocrates libr. de offic. Med. text. 9. bonas ferularum conditiones exposuit, dum scribit: Ferulæ porrô læves, (κεῖλοι) æquales, circa extrema resimæ sint oportet, & ab utraque parte deligationis, paulò breviores, crassissimæ verò qua parte fractura erupit. Non asperas, sed læves vult, ut possint nunc sursum nunc deorsum, nunc in rectum nunc in obliquum, prout opus requirit, trahi: Non distortas, quæ deligationem & membrum distorquent, sed æquales, ut æqualiter cingant. Simas juxta extremitates, hoc est, ex inferiore extremitate, leviter derasas, ut magis adstringant in loco fracturæ, quam ad partes sanas, quæ compressæ dolent, deinde inflammantur. Ab utraq; parte deligatione factâ breviores, eâdem causa, ne premant partes in extremo sanas, atque adeo dolorem ac inflammationem inferant. Galenus comm. 3. de Chirurg. Offic. text. 11. scribit: Fracturæ vero maximè conducit, ut ferulæ neque asperæ, neque distortæ sint, quippe quod utroque modo comprimant, sed quæ distortæ sunt, id insuper habent, ut deligationem distorqueant, qua distorta, confracta etiam pars distorquetur. Consulit præterea, ut illæ eligantur, quæ ab ipsis capitibus sunt simæ, quæ enim eandem semper usque ad extremum crassitudinem servant, æqualem ea parte deligationem, cæteris omnibus præstant: quod fieri minimè expedit, cum ipse velit, ut ferulæ in media deligatione magis adstringant, inde verò usque ad extremas partes sint magis laxæ, ubi & laxissimæ esse debent. Vult etiam ut longitudine sint breviores, quàm sit deligatio, ne cutim ultra deligationem attingant, quæ, ex eo quod humores à vinculis expressos plærumque recipit, tumidior redditur. Vult etiam crassiores esse ferulas, ubi fracturæ insident, quod locus is præ cæteris earum compressione indigeat.

Inflammatio imminens prohibetur, medicamentis anodynis & repellentibus, parti extrinsecus appositis. Ego felici semper successu utor medicamento, quod componitur ex vino austero, oleo rosarum & albumine ovorum spatula agitato, debita proportione mixtis. Si dolor urget, albuminibus omissis, vino oleum in majore quantitate immiscere soleo. In hoc medicamento fascias Tabul. XXIX. E. & F. quæ dicuntur subligamina, imbuo & exprimo Tab. XXIX. H. juxta admonitionem Avicennæ, qui libr. 4. Fen. 5. tract. 1. c. 5. de curatione dislocationis præcipit, ut simus solliciti, ne imponantur calidæ & siccæ. Calidæ enim calefaciunt, & calefaciendo humores attrahunt: siccæ vero non cohærent inter se.

Facta igitur extensione, fractura composita, omnibusque adligandum necessariis præparatis, membrum adhuc in diversa extentum, est immediatè fasciis sursum & deorsum ductis involvendum. Initio autem, fasciæ primæ tres circumvolutiones supra fracturam facere oportet, & tantam facere compressionem, quanta sufficiens sit ad firmanda ossa: hinc versus superiorem partem, ad sanam scilicet ducenda est deligatio, paulatim compressionem minuendo Tab. XXIX. Fig. I.

Ubi satis de sana parte fuerit comprehensum, ibi deligationem terminare oportet. Dein alia fascia (primâ longior, ut ad eum locum pervenire possit, ubi prima desiit) accipienda est, atque una vel altera circumvolutio (contrario modo, si prior versus dextram, hæc versus sinistram) facienda est supra fracturam, atque ex ea versus inferiorem partem, ducenda est deligatio, similiter paulatim compressionem minuendo. Sed circumvolutiones hujus fasciæ non sint adeo frequentes, quoniam non adeo timemus ab extremis partibus, & ubi satis de sana parte fuerit comprehensum, finem circumvolutionis ad inferiora facere oportet, Tab. XXIX. Figur. II. & reliquo fasciæ, rarioribus circumvolutionibus, redire per ipsam fracturam, usque tandem ventum sit ad finem fasciæ primæ. Quoniam verò hæ duæ fasciæ, jam circumvolutæ, ad fracturam continendam debiliores sunt, splenia circa fracturam, & totum membrum, per ejus scilicet longitudinem adhibenda, ut unum alteri non superponatur, sed inter unum & alterum unius digiti transversi, hominis scilicet deligandi, spatiũ intercedat, quæ firmentur fasciâ tertiâ ex duplici capite, ita ut prima circumvolutio fiat super fracturam, deinde alterum caput ducatur versus superiora crebrioribus circumvolutionibus, rarioribus verò alterum versus inferiora, deinde ab inferioribus sursum, usque in eum locum, in quo desiit alterum caput hujus fasciæ, utrumq; tamen caput toties circumvolvendum, ut plagularum extremitates utrinque parum promineant, Tabul. XXIX. Figur. III. Signum congruæ deligationis erit, quando patiens se firmatum esse refert, non compressum, & magis super partem læsam, quam super sanas, minimè versus extremas.

Congruæ deligationi succedit bona membri Depositio, quæ est in media figura, mollis, æqualis & sursum vergens. Pars igitur deligata intra capsulam ligneam stuppa pexa, & linteo involuta, repletam deponatur, atque ita usque in tertium diem relinquatur, si patiens eo, quo deligatus est die, & sequenti nocte, sibi videtur magis compressus, secundo minus, ad hoc etiam in extrema parte tumor aderit mollis & parvus: major enim & durus, pravam & nimis arctam indicat ligaturam, & imminens inflammationis ac gangrænæ periculum, unde æger incunctanter solvendus, atque denuo, sed moderatè, deligandus est.

Si tertio, post primam deligationem, die, laxiores videntur fasciæ, resolvantur (animadvertendum autem, ubi solvenda deligatio, antequam ossa sint aliquantulum firmata, circumvolutas spiras non esse paulatim solvendas, sed pars cubet, atque lintea & fasciæ secentur, donec, detecta superiori parte, possis omnia detrahere, parte à proprio loco non elevata, sic enim non est opus, ad solvendam deligationem, partem elevare, atq; susten-

suspendere & contrectare, ex quibus nulla potest utilitas ægrotanti contingere, quousque medicamenta adhibenda, membrumq; denuo fasciis involvendum) parsque pruriens aqua tepida sæpius perfundenda, ut fuligines detentæ evaporent: postea membrum ligatura, quæ moderatâ paulò arctior sit, constringatur, in capsulamque deponatur usque in septimum diem, quo fasciæ iterum solvendæ, membrum aqua perfundendum. & deligandum, fasciis adhuc arctius adductis, ita tamen ut vitam & alimentum permittant transire ad membrum extremum. Parti igitur fractæ applicetur ceratum diapalmæ, vel emplastrum catagmaticum Renodæi, aut uni lato linteo aut pluribus angustioribus inductū, supra hoc fasciæ unum caput habentes, vinoq; austero expressæ, & supra has plagulæ, prius in vino expressæ, deinde albumine ovi subacto imbutæ, denique fascia ex duobus capitibus, eodem vino insuccata.

His ritè peractis, quoniam hoc tempore plærumque cessat inflammationis timor, ad fracturam magis stabiliendam ferulæ (quæ, nisi transacta septima, ob inflammationis periculum, tutò non alligantur, ut deligationem conservent) circumquaque plagulis in utroque superfasciationis extremo prominentibus, per longitudinem membri, circumcirca vinculis L. maximè laxis apponendæ, hoc ordine, ut primò ligentur in superiore parte, secundo in inferiore, tertio verò supra fracturam, ne validior fiat supra fracturam constrictio, & dolor excitetur. Tab. XXIX. Fig. IV. In appositione præterea ferularum, cavenda sunt ossa prominentia & excarnia, namq; illis apposita dolorem inferrent, & exulcerarent: Unde aut ad latera apponantur, aut sint breviores. Membrum ita deligatum, detineatur immotum in capsula, usq; ad vigesimum, nisi pruritus, excoriatio, dolor, aliaq; accidentia, fasciarum resolutionem, & convenientem remediorum applicationem, desiderent. Nihilominus tamen Medicus interim ægrotum, de tertio in tertium diem, visitet, & ferulas laxas, leviter admodum, supra fracturam constringat, id semper præ oculis habens, quod ferulæ circumponantur, non ut comprimant, sed ut subjectam deligationem tueantur, ac firment.

Cum autē terminus hic præteriit ferulæ ac fasciæ religandæ, & pars affecta, pro generatione aut nutrione calli, aquâ calidâ (donec intumescat, nec ultra) fovenda, deinde apposito catagmatico, fascia & ferulæ laxius adstringendæ (ut humores callū generantes & nutrientes concrescant) inq; capsulam pars deposita per biduū relinquenda, ad explorandam calli quantitatem & qualitatem demum religanda. Quinto quovis posthac die, fasciæ resolvendæ, & membrū aquâ calidâ perfusū, certo, fasciis, ferulisq; laxioribus, tractandū, usq; dum fractura callo mediocri cōfirmetur, quod in cubiti ossibus, in triginta plærumq; diebus, in humeri & tibiæ quadraginta ferè, in femoris verò quinquaginta fieri solet: Nihil tamen est perpetuum; nā & natura à natura, & ætas ab ætate plurimū distat.

Callus autem generatur ex sanguine, qui ante septimam attrahi non debet, hinc Emplastrum oxycroceum primis diebus periculosum, ob imminentem vel præsentem inflammationem. Ad calli generationem alii exhibent juscula, in qua bullierint folia agrimoniæ, & radices consolidæ majoris. Nonnulli viscidiores cibos præbent. Recentiores, ante 60. annos, invenerunt lapidem, qui in Palatinatu crescit, & ad calli generationem, ab incolis istius loci, miris commendatur laudibus, unde ὀστεόκολλον vocatur: de quo legantur Guilh. Fabr. Hild. cent. 1. obs. 90. 91. & 92. & Sennertus l. 5. Inst. part. 2. sect 1. c. 7. Extrinsecus tutissimè applicatur non modò ceratum Barbarum, & diapalma Galeni, verum etiam Emplastrum oxycroceum Nicolai, & catagmaticum Renodæi. Barbarum & oxycroceum apponantur hyeme, diapalma tempore æstatis, Emplastrum Renodæi mediis temporibus.

Fracturas quandoq; nonnulla sequuntur symptomata, utpote pruritus, excoriatio, callus major vel minor, dolor, gracilitas membri, & distorsio, quæ omnia Medici operam requirunt.

Pruritus cessabit, si aqua tepida pars religata foveatur, donec rubescat, & paulo amplius, ut attracta materia iterum digeratur. Quando locus affectus tepidæ affusionem commodè non admittit, aquæ vapori satis utiliter apponitur. Scalptura ob pruritum ægris prohibenda, eò quod pessima, &, præter excoriationem, humores attrahat, & dolores graves excitet.

Excoriatio, quæ oritur non raro, quando fasciarum resolutio diutius quam par est protrahitur, deinde quando patientes ex impatientia scalpunt, sanatur affusione tepidæ, ut in pruritus cura dictum, & adhibitione unguenti de cerussa, quod refrigerat & exiccat.

Dolor mitigatur fomento hydrelæi, vel decoctionis capitis castrati cum floribus chamomillæ.

Callus justo major generatur, quando æger pleniore, quàm decet, victu utitur, vel Medicus negligentior est in curatione, si manu ejus qualitatem non explorat, & fascias nimis laxè circumvolvit. Præcavetur, si victui detrahitur, qualitas calli aliquoties exploratur, & fasciæ paulo arctius constringuntur. Minuitur primo medicamentis emollientibus, postea emollientibus & discutientibus simul (in curatione luxationis cum callo propositis) donec ad mediocritatem veniat. Callus minor habet causas contrarias, unde præservatur etiam contrariis. Augetur crassiore victus ratione, alimenti ad partem affectam attractione, per affusionem aquæ calidæ (ea moderatione, ut, dum pars adhuc attollitur, priusquam concidat, desistamus) & fasciarum laxiore ligatura.

Extenuatio partis fit, vel propter fasciarum nimiam stricturam, vel inopiam alimenti viscosi. Si strictura extenuationem efficiat, fasciæ magis remissè ligentur: si alimenti inopia gracilitatis causa est, alimentum attrahatur fotu aquæ calidæ, donec rubeat pars, cui deinde Emplastrum aliquod picatum, linteo lato inductum, apponatur, multotiesque velociter detrahatur, cavendo postmodum strictam fasciarum circumductionem, quæ alimentum attractum iterum revelleret.

Distorsionis membri, vel malæ conformationis ossium est causa, vel Medici incuria dum aut extensionem, aut coaptationem, aut deligationem minorem, quàm par est, facit; vel ægrotantis vitium, quando membrum fractum ante calli confirmationem movet, aut ipso innititur; vel fracturæ culpa, quando præsertim femur rumpitur. Nam ossa femoris, neque, si diducta per vim extensionis deligaris, sic diducta vinculo contineri poterunt, sed cum primo intensio remiserit, inter se concurrent. Hic enim carnes crassæ ac validæ deligationem supe-

rant, non ab ea ſuperantur. Hippoc. de fract. Quod confirmare videtur Celſus, dum lib. 8. c. 10. de crurum femorumque curatione ſcribit: neque enim ignorari oportet, ſi femur fractum eſt, fieri brevius, quia nunquam in antiquum ſtatum revertitur; & Avicenna libr. 4. Fen. 5. tradit, raram admodum eſſe femoris fracti integram curationem. Quorum verbis nos admonent, ut integram curationem femoris nunquam promittamus, ſed omnem potius diligentiam adhibituri claudicationem dubiam prædicemus, ne ex fracturæ natura, aut, quod ſæpiſſimè contingit, ex ægrotantium impatientia, ſuperveniens, noſtro adſcribi errori, & præmii loco famam minuere poſſit. Fit etiam mala conformatio fracturæ culpa, quando fruſtulum oſſis inter ambo oſſa fracta continetur, quod eorum mutuum contactum impediat. Oſſa Medici & ægrotantis vitio diſtorta nunquam rumpantur (niſi aliter fieri nequeat, ob magnam membri in operationibus ſuis læſionem) ſi patiens ſenex, & debilis, callus vetuſtus & induratus, & os magnum, quale eſt femoris & humeri. At ſi læſio magna, patiens juvenis & robuſtus, callus recens, qui ſex menſes non exceſſerit, emolliatur callus per quindecim dies, perfuſionibus, balneis & emplaſtris: deinde membrum ab utraque parte, vel manibus, vel habenis, vel machinis, prout neceſſe fuerit, in diverſa extendatur, usque dum callus frangatur, & oſſis fracti partes manuum palmis coaptari poſſint: poſtea fractura curetur, ut ſupra dictum. Si oſſis fruſtulum membrum totum diſtorqueat, ſcalpello Tab. II. Figur. II. ſectio fiat usque ad os fractum, & volſella oſſis portio glutinationem impediens, extrahatur, de in fractura per extonſionem coaptetur, deligetur & deponatur, eodem modo quo fractura recens. In dicta femoris diſtorſione os minimè rumpendum, magis enim conducibile eſt vivere cum claudicatione, quàm periculoſam operationem, non ſine torminibus & recidivæ metu ſuſtinere. Femoris autem diſtorſio præcavetur, ſi membrum in, ante, & poſt deligationem inſtrumento gloſſocomo Tabul. XXI. Fig. IV. quod huic uſui ſecundario deſtinatum eſt, conſervetur extentum, usque ad perfectam fracturæ confirmationem.

Curatio Fracturæ aſſeralis.

IN fractura aſſerali, ſeu per longitudinem oſſis facta, faſciæ arctius ſtringendæ ſunt, quam in reliquis, ut oſſa fracta, quæ per latitudinē à ſe invicem receſſerunt, ad mutum contactum & actum ducantur, & recidere nequeant, Galen. l. 6. m. m. c. 5. Cæterum ea omnia agenda, quæ in curatione fracturæ trāſverſæ & obliquæ dicta sūt.

Atque iſta quidem de fracturarum curatione ſimplicium, in quibus neque oſſa eminent, neque alioqui vulnus acceſſit, ſufficiant: nunc pauciſſima tradam, quomodo fractura cum vulnere curanda ſit. Fracturarum cum vulnere variæ ſunt ſpecies, vel enim os à perioſtio & carne denudatum eſt, vel iis adhuc tectum: in utraque iterum vel oſſis portionem aut parvam aut magnam expectamus abſceſſuram, vel nullam.

Fractura cum vulnere ſimplici.

IN quâ nec os à ſuis tegumentis denudatum eſt, neque aliqua oſſis portio abſceſſura, curatur ut fractura ſine vulnere, nimirum, 1. congrua extenſione, 2. debitâ coaptatione (quam ſequitur labiorum vulneris ad mutuum contactum adductio, adductorumque conſervatio, per linteola emplaſtica cruciatim impoſita & faſciam) 3. deligatione, & deniq; 4. depoſitione.

Hic tamen circa curationem notandum, primò, ut extenſio fiat à chirurgo ſtatim vocato, prima aut ad ſummum ſecunda die, priusquam ſcilicet parti gravis ſuperveniat inflammatio. Si chirurgus opportunè non fuerit acceſſitus, ſed tertia, quarta aut quinta die, in quibus inflammatio vel imminet, vel cœpit, tunc tentanda non eſt extenſio, donec ſeptem vel paulò plures dies præterierint: totis interea viribus contra inflammationem pugnet Medicus, tàm removendo cauſam antecedentem, per diætam, chirurgiam, & pharmaciam, quàm reſpiciendo ad partem affectam anodynis, repellentibus, & congruâ, quantum licet, membri depoſitione, & vulnus ſuppurantibus contegendo. Præterito inflammationis periculo, vel per extenſionem ſolam, vel etiam vectis operam, fractura coaptanda, deinde tribus faſciis, & ſufficiente plagularum numero, deliganda, molliterque deponenda.

Secundò, ut extenſio non ſit adeo valida, ut in fractura ſimplici, propterea, quia ſubſtantia carnoſa, muſculoſa, & nervoſa, jam lacerata, contuſa & attrita eſt: alioqui inſignes dolores & convulſiones excitarentur, cum maximo vitæ diſcrimine.

Tertiò, ut faſcia prima paulò latior ſit, quàm vulnus ipſum, præcipuè circa principium, à quo incipienda eſt circumvolutio, ut ora vulneris utrinque comprehendat: Si enim faſcia anguſtior eſſet, tunc ulcus cinctum teneret, & dolorem inferret.

Quartò, Faſciæ etiam minus ſtringantur, quàm in fractura ſine vulnere, ne compreſſo vulnere, dolor & inflammatio oriatur: ob eandem cauſam ſint magis etiam molles, quam in fractura ſimplici. Pars, tertio poſt extenſionem & directionem die, ſolvatur, iterumque deligetur, ita tamen, ut deligatio aliquantum magis comprimat (ad membrum gracilius reddendum) quamdiu timor durat inflammationis, niſi dolor aliter ſuadeat. In ſecunda verò ſolutione, non arctior fiat deligatio, ſed potius laxior, ut detur exitus ſanguini futuro materia calli.

Quintò Ferulæ non apponantur ad vulnus, ſed ſi apponendæ, adhibeantur ad vulneris latera & partem oppoſitam, donec ſit ſanatum vulnus. Raro autem contingit, vulnus in tali fractura ſimplex, ſecundo vel tertio apparatu, cicatrice non obduci, vel ſaltem carne non repleri. Sanato vulnere, ſi os nondum eſt confirmatum, eadem agantur, quæ in fractura ſimplici.

Si autem interea (neque enim oſſis ſeparatio, niſi fractura conformatione fruſtrata, aut oſſe diutius detecto

ſemper ab initio poteſt præſentiri) die ſcilicet 18. vel 20. vel alio vulnus incrudeſcat, & fractura oſſis abſceſſum minetur, (quem indicat ſanies multa, quæ vulneris magnitudini non reſpondeat, labia vulneris inverſa, & caro hebes in vulnere generata) *conſiderandum oſſis fruſtulum ſit magnum, aut parvum? ſi magnum, ſigna propoſita erunt intenſiora, ſin parvum, remiſſiora. 2. an abſceſſurum à reliquo oſſe ſit ſeparatum, vel adhuc cum eo contineatur? Illud cognoſcitur, quando æger vel ad eam rem intentus, tacitam quandam motionem, vel minimè attentus, dolorem pungitivum percipit; Hoc, quando patiens, neque latentem, neque manifeſtum ſentit motum.*

Fractura cum Vulnere, ubi os nudatum non eſt, oſſis tamen fruſtulum parvum receſſurum expectatur.

Modus curandi, in fractura ſimplici adhibitus, nequaquam formidandus, ſed, omiſſis ferulis, continuandus, laxiori ſaltem deligatione, & crebriore (de tertio ſcilicet in tertium) reſolutione, quouſque naturæ medicamentis quàm citiſſimè juvandum, donec officulum omninò ſeparatum volſella arripi, ac citra violentiam extrahi poſſit. Officulo extracto, ferulæ adhibeantur ad latera vulneris, donec conſolidetur. Si vulnere ad cicatricem ducto, fractura nondum fuerit confirmata, ferulæ undique erunt apponendæ, ſicut in fractura ſimplici dictum.

Fractura cum vulnere, in qua os nudatum non eſt, magna tamen oſſis portio, vel plures (ut in vulneribus ſclopetorum) receſſuræ, vel ſtatim, vel poſtea cognoſcuntur.

Si ſtatim, aliam & à ſuperiore longè diverſam, pro citiſſima oſſis ſeparatione ligaturam expoſcit, ut membrum quotidie deligari & ſolvi queat, abſque eo quod fractura moveatur. Probatiſſimus autem deligandi modus eſt Hippocraticus, quo pus non intercluditur, fractura ſtabilitur, inflammatio arcetur, dolor non excitatur, & citiſſima oſſis receſſio procuratur. Ad hæc omnia præſtanda, ex panno lineo parentur plagulæ duplicatæ, non anguſtiores, quàm ut labia vulneris ſufficienter apprehendant, quoad longitudinem paulo longiores, quàm ut ſemel membrum circumeant, totq; numero ſint, quot ad faciendam faſciam aſcialem Tab. XXVII. Fig. X. opus erit. Hæ ænelæo, ex vino nimirum auſtero & oleo roſarum compoſito, ut dolorem ſedent, & inflammationem prohibeant, infuccatæ, apponuntur latiori linteo, eo ordine, ut media plagula ſibi proximas, & hæ remotiorum medietatem contegant. His præparatis, fracturâ coaptatâ, vulnerique appoſito ſuppuratorio, tetrapharmaco ſcilicet Galeni, linteum illud, unà cum diſpoſitis plagulis, membro deligando ſubjiciatur, ita ut media plagula ſub fracturam veniat: Tabul. XXVIII. Fig. VIII. Deinde miniſter alterum mediæ plagulæ caput tentum detineat, alterum Medicus, quæ adducuntur, ut longè ab extremitatibus ſeſe circulari modo interſecent, & arctè, quantum in fracturis cum vulnere & particula oſſis abſceſſura, licitum potius, quàm neceſſe eſt, partem læſam firment. Media in circulum adducta adducatur etiam ſuperiorum prima, deinde ſecunda, poſtmodum tertia, & ſic deinceps, donec ad partem illam perventum ſit, ad quam faſcia prima Tab. XXIX. Fig. I. ſi vulnus non adeſſet, aſcendere deberet. His ſuperioribus appoſitis, ſimiliter inferiorum prima, dein ſecunda, tertia & quarta, & ſic deinceps, deſcendendo etiam usq; ad partem ſanam. Tab. XXIX. Fig. II. Hæc medicamenta, cum ſua ligatura, (quotidie faſcias cum ænelæo ſolùm irrigando) *applicentur, quouſque tempus inflammationis præterierit, dein omni induſtriâ eò intendendum eſt, ut os recedens, quàm citiſſimè fieri poteſt, forâs extrudatur, naturam adjuvando injectione decocti divini, & appoſitione cerati ſacri Galeni, ſupra vulnus, (ut ejus tantum oras comprehendat) & diachalciteos circa partẽ affectam.* Nota; *inducatur ceratum diapalmæ ſpleniis ſeptem (pluribus vel paucioribus) ſimplicibus, & in circulum eorum capita adducantur, à medio incipiendo, ac poſtmodum aſcendendo & deſcendendo, ut cum plagulis duplicatis fieri ſolet. Splenii ex cerato adhibitis, plagulæ ex linteo duplicato confectæ, & vino ſaltem auſtero imbutæ, ut melius inter ſe cohæreant, apponantur.*

Oſſe in conſpectum detruſo, eoque volſellâ, ſi citra violentiam fieri poſſit, extracto, vulnus cerato divino conſolidandum. Vulnere autem ad cicatricem ducto, membrum in quiete conſervandum, donec fractura confirmetur; appoſitis undique ferulis. Obſervandum præterea, ſi faſcias, ob earum duritiem vel immunditiem, removeri neceſſe eſt, ut membrum elevetur quidem, ſed ſtatim iterum deponatur ſupra latius linteum, cui ordinatim linteola iſta duplicata jam fuerint appoſita Tabul. XXIIX. Fig. VIII.

Si non ſtatim, *ſed demum poſtea, os abſceſſurum appareat, deligatio (quæ tribus peragitur faſciis & ſpleniis) mutetur in aſcialem, modo deſcriptam, donec os abſceſſerit. Oſſe ſatis magno* (qualia ſunt illa Tab. XXVII. Fig. IV. & Tabul. XXIIX. Fig. IX. depicta.) *receſſo, ſpleniorum circularis apparatus* (Tabul. XXVIII. Figur. VIII. in crure) *in cruciformem* (Tab. XXVII. Figur. I.) *mutandus, deligatio, ab infima plagula incipienda, & ſuprema finienda,* (Tab. XXVIII. Fig. X.) *ut humiditates in cavitate oſſis ſeparati collectæ (quæ plagulis deſcendentibus deorſum truſæ ſinum magnum efficerent) è vulnere exprimantur. Vulnere ad cicatricem ducto, pro confirmatione fracturæ, ferulæ apponi poſſunt.*

Fractura cum vulnere, in qua os à periostio denudatum est, extra vulnus tamen non eminet.

Curatur primò moderata membri extensione, secundò convenienti coäptatione, tertiò labiorum vulneris ad mutuum contactum adductione, quartò apta deligatione, & quintò congrua depositione. In deligatione considerandum, an aliqua ossis portio sit recessura, vel nulla? Nulla abscedet, si os nudatum statim cutis operculo fuerit retectum: Aliqua recedit, si os diutius aëri fuerit expositum. Si nullum aut parvum os est abscessurum, deligatio tribus fasciis, & spleniis, est peragenda, velut in fractura cum vulnere simplici, & in qua ossis parvi expectatur separatio: si magnum est abscessurum, deligatione asciali pars affecta vincienda est, ut modò dictum in fractura cum osse magno abscessuro.

Fractura cum vulnere, in qua os extra vulnus eminet.

*Antequam reponatur, considerandum est, an os eminens in propriam cavitatem, beneficio debitæ extensionis, citra violentiam, & convulsionis periculum, restitui possit, nec ne? Unde, si potest citra periculum restitui, restituatur, sin minus, non restituatur. Periculosam restitutionem indicant, prominentia magna, inflammatio, & pars, ob musculorum contractionem, dura: Facilem, os eminens parvum, absentia tumoris phlegmonosi, & partis mollities. Quod si ergo restitui nequit, è duobus malis minus eligendum, os (*cum prædictione futuræ membri brevitatis, ne ea chirurgi adscribatur error*) eminens & nudum, forfice Tab. XX. Fig. I. præcidendum, & postea fractura, per modicam factam extensionem, coäptanda. Melius enim est membrum aliquantum brevius reddere, quàm ossa non coaptata relinquere, vel violenter extendere, quorum utrumque ægrotanti convulsionem, & mortem afferret. Si os imminutum modica manus extensione adhuc reponi nequeat, illa adjuvanda est extensio, juxta Hippocratem, vecte seu quodam scalpro incisorio, inter ossa fracta immisso, Tab. XXVII. Fig. IX. Fractura coaptata, membrum deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici dictum. Sed fasciis & Emplastris foramen supra vulnus incidatur, ad medicamenta vulneri magno quotidiè applicanda. Ratio perforationis fasciarum hæc est: quia vulnus magnum, & ideo per secundam intentionem curandum, copiosam generat saniem, indeque crebram inspectionem requirit; os autem comminutum ob metum novæ musculorum contractionis, frequentiorem membri elevationem, fasciarumque resolutionem prohibet, unde media via, ut vulneri & fracturæ satisfiat, incedendum.*


Hoc deligandi modo perplures curavi; inter præcipuos superstes vivit Iuvenis quidam, qui circa vigesimum ætatis annum, tempore nocturno ab alto cecidit, pedisque sinistri fistulam & tibiam in medio crure cum eminentia ossis fibulæ magna fregit quam nisi Forfice Tab. XX. Fig. I. abscidissem, fracta ossa minimè componere potuissem. Hic patiens spatio 4. mensium, beneficio scipionis ambulare cæpit, reliquo tempore ita incedens, quasi crus nunquam fregisset, aut nullam ossis portionem amisisset, quod probè observandum, quia raro contingit, ut æger, ex duplici fractura cum vulnere & deperditione ossis, restitutus non claudicet. Hæc ligandi ratio, quamvis magnam requirat diligentiam chirurgi, tamen non rarò ingratos se exhibent curati: quare non semper vitio verti debet Medicis circumforaneis, qui quandoque curationem, juxta Hipp. dictamen, à mercede exordiuntur, illamque exigunt, dum dolor est, cum

-- postquam pœna recessit,
Audeat & sanus dicere, multa dedi.


Cum os eminens parvum, citra violentiam & periculum convulsionis reponi possit, primò membrum extendatur moderatè, deinde fractura componatur: quod si ossa sola extensione difficulter coaptari queant, ob timorem magni doloris & periculosæ convulsionis, validior ne fiat extensio, sed inter ossis divisi partes extentas latius vectis extremum & tenuius imponatur, ut depressiori ossis parti subjectum, & eminentiori innixum, extensionem juvet, donec ossa è directo collocata videantur: deinde paulatim extensio relaxetur, & vectis extrahatur.

Si, fortè fortuna, os, quo innititur vectis idoneus, in superiore parte multa comminuta, vel aliquod acutum, habeat, ut vecti non detur commodus locus, illa scalpro rasorio, Tabul. VI. Fig. III. auferenda, hoc autem forfice, Tab. XX. Fig. I. præcidendum, ut vecti tuta sedes comparetur. Osse reposito, considerandum est, an aliquid de osse recessurum sit, necne? si statim facta erit repositio, nihil recedet; si verò non statim, aliquid recedere potest. Si nihil est recessurum, pars affecta (vulneri apposito prius suppuratorio) deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici dictum: Si vero aliquid recessurum expectatur, deligatio instituenda erit, juxta modum in fractura cum magni ossis separatione adhibitum.





TABVL. XXIX.
Fig. I.
A
B
C
C
C
E
D
E
G
F
II
F
H
III
G
G
I
I
I
I
I
I
K
K
K
K
L
IV
L
K
L
L




TAB. XXX.
I
II
III
IV
V
VI
VII
IIX
IX
X
XI
XII
30

TABULA VIGESIMA NONA.

De apparatu ad deligandum crus fractum, & ipsa ratione deligandi Hippocratica in luxationibus & fracturis observanda.

LIT. A. ostendit vitrum vino austero,
B. oleo rosato repletum,
C. tria ova.
D. agitationem albuminum ovorum.

E. F. duas fascias, de quibus Hippocrates de offic. Med. text. 3°. Linteorum autem subligationes duæ cum sint, una E. ex loco in superiorem partem desinit, altera F. ex parte affecta in inferiorem vergit.

G. Fasciam cum duobus capitibus.

H. Fasciarum madefactionem: lintea enim non arida, sed succo accommodato madentia sint oportet, Hipp. de offic. Med. text. 16.

I. Plagulas quadruplicatas, & succo expressas.
K. ferulas in utraque extremitate simas.
L. habenas, quibus alligantur ferulæ.

FIG. I. *monstrat, quomodo Hippocrates, dum membrum à duobus ministris tenetur extentum, fasciam E. versus dextram ter volvat circa partem affectam, deinde sursum ducat, usque dum ad bonam membri partem, quatuor, quinque, vel pluribus circumvolutionibus perveniat.*

FIG. II. *quomodo docet fasciam secundam F. quæ priore duplo longior est, contrario modo involvat, (prior enim versus dextram, & sursum, hæc versus sinistram, & deorsum) semel scilicet circa fracturam, deinde ter, quater aut sæpius, infra fracturam, usque ad aliquam membri partem: fasciæ reliquum, quod Chirurgus in sinistra manu habet, sursum versus circumvolvendum, quousque perveniat ad finem primæ fasciæ.*

FIG. III. *explicat, quomodo plagulas I. infuccatas per longitudinem apponat circa fracturam (ita ut inter unam & alteram, unius digiti transversi spatium non excedat) & fascia, duobus capitibus donata, G. firmet: caput G.* sursum volvendo, alterum vero G. deorsum, postea sursum, quousque pervenerit, ubi illud terminatur.*

FIG. IV. *docet, quomodo post septimam, qua plerumque timor inflammationis cessat, ferulas plagulis, & superligamini per fasciam G. facto, imponat, lorisque tribus alliget. Hipp. enim de fract. text. 23. his verbis fractorum curam describit: Tum demum* (præparatis prius necessariis, fractura coaptata, membroque adhuc in media figura extento) *linteo deligare oportet, initio* primæ fasciæ *ad fracturam injecto, sic ut firmet quidem* fracturam, *non tamen vehementer comprimat. Ubi circa eundem locum, iterum atque tertio fasciam* primam *involveris, sursum feratur, quo sanguinis affluxus retineatur, ibique desinat, eamque* respectu secundæ *minime longam esse oportet.*

Text. 27 Altera fascia initio quidem supra fracturam injecta, ac semel circa eandem voluta, tum demum deorsum feratur, minusque comprimendo longiora spatia transcurrat, quo possit ad eum locum, in quo prior finiit, recurrere.

*Text. 32. Posthæc splenia, modico cerato (*vel alio convenienti medicamento*) illita, superinjicienda, sic enim levius & firmius hærebunt. Quæ ita deinde fasciis* (fascia autem duobus capitibus prædita, trium fasciarum officia absolvit) *alligare oportet, permutato ordine inter se, modo quidem in dextra, modo etiam in sinistra ferantur, ac plurimum sane ab inferiore parte sursum, interdum vero à superiore deorsum ducantur.*

Text. 41. Ubi vero (post timorem inflammationis) *fascias deligaris, ferulæ sunt apponendæ, & quam maxime laxis vinculis comprehendendæ, ita ut quiescant, neque quicquam ferularum appositio, ad membri compressionem addat.*

Et hæc de curatione fracturæ & luxationis in genere dicta sufficiant.

TABULA TRIGESIMA.

De apparatu & modo fonticulum supra futuram coronalem inurendi & deligandi, vulnera capitis in crucem dilatandi, & rimulas cranii dubias abradendi.

HIC quidem declarandum esset, an cauterii actualis supra coronalem cranii commissuram usus sit opportunus? quia tamen hanc quæstionem Iulius Cæsar Claudinus 3. Responsione Medicinali, *Thomas Fienus* l. 3. de cauteriis c. 22. *& Marcus Aurelius Severinus* pyrotechn. Chirurg. l. 2. p. 2. c. 11. *ventilarunt, actum non agam, sed explicationem figurarum hujus tabulæ aggrediar.*

FIG. I. & VII. *monstrat* apparatum *eorum, quæ ante, in & post operationem requiruntur; instrumenta scilicet varia, folium brassicæ) butyro recenti illitum, linteum triplicatum, & fasciam quatuor capitibus præditam.*

FIG. II. *asteriscus designat* futuræ coronalis & sagittalis concursum, *quem capillitio, cute crassa, & membrana tectum, Chirurgus difficulter invenit. Ad hujus accuratissimam* inventionem, *tam veteres, quam recentiores Chirurgi, variis utebantur modis, quos omnes recenset Fabritius ab Aquapend.* de operationibus Chir. fol. 6. *Ego modos Arabum Principis Avicennæ, & Latinorum*

norum Celsi in unum reducens, suturarum conjunctionem inquiro, ut sequitur. Duco filum ab una media aure ad alteram mediam; deinde aliud ab apice narium ad verticem (Fig. III.) usque, ubi fila crucem efficiunt, ibi fonticulorum locus, qui, derasis capillis, atramento scriptorio signandus, sicuti Fig. IV. ostendit.

FIG. V. *docet* modum operandi, *ubi Chirurgus sinistra tenet instrumentum (a) minimè ignitum, quo cutim atramento notatam fortiter comprimit, ob rationes, quas supra Tab. I. Fig. I. adduxi: dextra vero manu instrumentum (b) optimè candens cannulæ (a) immittit, quod, cum simul vim incisoriam habeat, si ad cranium pervenerit, circumvolvendum est. Circumvolvitur autem non solùm, ut per poros ossis materiæ detur exitus, verùm etiam ne pericranium inflammationem concipiat,* quę facilis est, si instrumentum non circumvolvitur.

FIG. VI. *est* fascia quatuor capitibus, *cujus anteriora (h. i.) sub mento connectuntur: posteriora vero (k. l.) ad occiput filo consuenda,* ne nodus, dum ęger supinus jacet, compressione vigilias excitet, quę sępissimè inflammationem pericranii lethalem inducunt.

FIG. VII. *cernitur conveniens* fascię usus *& deligatio, pro retentione medicamentorum, quæ fonticulo supra suturarum concursum inusto applicantur.*

Sed ad quid apparatus iste figuræ primæ, si duo tantùm instrumenta ad operandum sufficiunt? servit ad fallendum patientem. Curo afferri sellam humilem & articulatam, ut Barbitonsores in tonstrinis habent, vertendo alterutrum latus, sive dextrum sive sinistrum, versus lumen atque fenestras, dorsum verò versus januam, idque ob hanc rationem, ne ęger in hac desidens, ferrum candens ex culina afferendum videre queat. *Ægro rectè collocato, depromo supra discum ligneum, & in mensa depositum instrumenta (c. d. e)* ferramentum verò *(a.)* in sacco absconditum servo; *instrumentum (b.) famulus* clam *ancillæ patientis tradit, & mandat ipsi, ut illud benè ignitum reddat,* nec afferat, donec carbones vivos apportare jussa fuerit. *His peractis, famulus pro necessitate capillos abradit. Figur. IV. ego autem fasciam Fig. VI. linteum duplicatum (f. Figur. I.) & reliqua post operationem necessaria præparo, loqens interea cum patiente, de hujusmodi Chirurgiæ præstantia, & (si discendi cupidus, ut non rarò fieri solet) de instrumentorum qualitatibus, & aliis, quæ animum ab ignis timore præservare possint. His præparatis famulo clarè præcipio, ut ambabus manibus tempora firmiter teneat (vid. Tab. XXX. Fig. I.) ut à tergo patientis me sistens, suturarum juncturam filis (Fig. III.) invenire, inventamque (Fig. IV.) atramento notare possim. Dum locus signatur, voco ancillam, ut ignitabulum afferat, mensæ illud apponat, & unum ex ferramentis (c. d. e.) moderatè tantum calefaciat,* & à prętereunte, adque mensam pergente ancilla clàm recipio instrumentum *(b.)* optimè candens, & ita ægro vix animadvertente *(credidit enim nondum calefactum esse ferramentum ad urendum necessarium)* futurę fonticulum coronalis paro. *Hic decipiendi modus etiam observandus in reliquis fonticulis, ad occultandum cauterium, & minuendum ignis timorem.*

FIG. VIII. *est* apparatus ad dilatanda capitis vulnera, *& abradendas rimas, quæ utramque laminam non penetrant.*

FIG. IX. *In vulneribus capitis cum læsione cranii* ante omnia *capilli removeantur, & caput abradatur, illud cum oleo rosarum humectando,* cum tali tamen cautela, ne pili aut oleum, quod vulneribus capitis non convenit, vulnus ingrediatur: *deinde dilatetur vulnus in formam crucis, nisi suturæ prohibeant: altera post dilatationem die, sedes instrumenti atramento scriptorio denigretur.*

FIG. X. *tertia post incisionem die* nigredo *ex atramento contracta, scalpris rasoriis abradatur.* Nota, quod in abrasione labia vulneris muniri debeant linteolis, velut in trepanatione Tab. XXX. Fig. V.

FIG. XI. *ostendit* rimulam, *in medio sedis abrasæ, adhuc scalpris delendam. Si Chirurgus certus est, rimulam non penetrare, derasionem non repetit, sed naturæ opus relinquit,* quę interdum squamam cum rimula *(n.)* separare solet: *Si autem suspicio est, rimulam hanc penetrare, illam abradat, ut omninò evanescat, & cranium ubivis æquale appareat; Figur. XII.*

TABULA TRIGESIMA PRIMA.

De apparatu & modo vulnera capitis in triangulum secandi, cranium modiolis perforandi, & caput fasciâ cancro dicta deligandi.

FIG. I. *est* apparatus *instrumentorum, ad capitis vulnera dilatanda, craniumque fractum perforandum, necessarius.*

FIG. II. *ostendit dilatationem vulneris in triangulum, scalpello Fig. I. (a.)* Cruciformem enim hic loci instituere sectionem prohibet sutura coronalis, & musculus temporalis: sectio incipità fronte, secus enim instituta, inciderentur musculi temporalis fibrę transversim. *Triangulus quæritur in latere fissuræ cranii dextro, quo modiolus, quem sutura coronalis lateris sinistri non admitteret, adhiberi possit: caput manibus tenetur, & pulvinari suffulcitur, ut firmum permaneat.*

FIG. III. *videtur* vulnus in triangulum dilatatum, *& cranium cum rima detectum angusta, per quam materia, quæ ad membranas descendit, evacuari nequit: ad rimæ igitur asterismo notatum latus, cranium trypano excidendum est, pro materiæ exitu.*

Perforaturus cranium accedat patientem instrumentis Figur. I. hujus Tabulæ depictis, terebello scilicet,

modiolo


TABVL. XXXI.
Fig. I
II
III
V
IV
VI
VII
IX
X
B C E D
A
IX
B C E D
31

TABVL. XXXII.



modiolo mare (b.) fœminis duabus (c.d.) specillis (e.f.) vol-sella (h.) & instrumento lenticulari cum vecte (i.) instructus, deinde præparet, quæ disco Fig. IV. sunt apposita, & fasciam Fig. X.

FIG. IV. *monstrat* vitrum aqua rosarum plenum *(a) qua imbuuntur linteola labiis vulnerum apponenda; (b.) linteolum sericum rubrum, oleo rosarum imbutum, & filo appensum (c.) globulum (d.) ex filamentis siccis*, ad obturandum foramen modiolo faciendum, ne materia vulneris ad membranas cerebri descendat; *globulos cranio denudato adhibendos (e.e.) siccis enim conveniunt sicca; globulos item (f f.) digestivo (g) illitos, ad digerenda vulneris labia; linimentum simplex linteo inductum (h) & linteum triplex vel quadruplex: (i) Officulum (k) styloferreo (l) truditur ex modiolo fœmina.*

FIG. V. *præparatis præparandis, suffulto capite, & labiis per linteola munitis, Chirurgus modiolū clavo præditum & asterismo Fig. III. notatum adhibeat, quo perforationem incipiat*, quam fœminis finire debet. Hic Chirurgiæ tyrones Porralius admonet: cum secundum Hipp. Aph. 1. sect. 1. experientia sit periculosa, ut frequenter sese exerceant in perforandis demortuorum craniis, supponentes, loco duræ matris, cranio chartam papyraceam.

FIG. VI. *ostendit cranium ad rimæ latus modiolis excisum.*

FIG. VII. *Ora foraminis lævigantur scalpro lenticulari.*

FIG. VIII. *monstrat linteolum oleo imbutum, quomodo supra membranam demittatur* filo alligatum, ut extrahi possit: *extracto substituatur novum quotidie.*

FIG. IX. *est* fascia *quæ* cancer *dicitur, in vulneribus capitis* ad continendum omnium optima *& accommodatissima, in medio lata A. & in utroque latere quatuor habens capita, quorum duo incipiunt à temporibus, & desinunt in occipite consuenda D. duo oriuntur ab occipite, & combinantur in syncipite B. duo post C. & totidem ante aures E. deflectuntur, & sub mento colliguntur.*

FIG. X. *est* caput fascia *cancro* obligatum: *combinantur 1. capita D. in occipite, 2. C. sub mento, 3. D. in syncipite supra frontem, & 4. E. sub mento: ligetur tamen caput delicate*, ita ut fascia quidem contineat, sed non comprimat.

TABULA TRIGESIMA SECUNDA.

De ratione elevandi vectibus cranium depressum, abrumpendi forcipibus officulæ membranas cerebri pungentia, excidendi serrâ versatili foraminum modiolis fractorum interstitia, & generali vulnerum capitis medela.

FIG. I. *Depressiones cranii quando ob rimæ angustiam elevari nequeunt vectibus, Tab. II. Fig. VII. & Tabul. III. Fig. II. III. B & IV. tunc ad rimæ latus sanum calvariæ bis* vel quoties necessarium erit, *modiolo perforatur, deinde foraminum interstitia serra Tab. V. versatili exciduntur, ut vectis necessarium genus cranio submitti possit.*

FIG. II. *Attollitur depressio cranii, triploidis (Tabul. III. Fig. III. A.) terebrâ.*

FIG. III. IV. & V. *monstratur usus forcipum, quibus abscinduntur partim, & partim abrumpuntur officula, quæ cerebri membranas pungere possunt.* vid. infra observ. Martini Kunzii & Michaëlis Schneideri.

FIG. VI. *officulo forcipibus abscindendo* membranæ custos *submittitur, ne iis lædantur membranæ cerebrum investientes.*

FIG. VII. *elevatur cranium depressum vecte Paræi submisso.*

FIG. VIII. *Quod si forcipes superiores ad manum Chirurgus non habet, officulum etiam hac tuto apprehenditur, & abscinditur forfice, submisso prius membranarum custode, ut Fig. V. cernitur.*

FIG. IX. *serra versatili nondum instructus, duorum foraminum interstitium hâc serrulâ intercidere & exemene solitus sum.*

FIG. X. *Interstitio foraminum exciso, omne vectis genus cranio elevando submitti potest: eligitur autem illud, quod magis est idoneum.* Ad hanc tabulam pertinet etiam fig. I. tabulæ sequentis, quæ indicat usum terebelli, quo deletur punctura cranium non penetrans, vel adhuc dubia.

Ut autem, hujus & præcedenti tabulæ figuræ, quæ de vulneribus capitis agunt, melius intelligantur, earum usum breviter ordine recolligam, morbos solutæ unitatis in cranio, membranis & cerebro percurrens.

De vulnere capitis simplicissimo.

VUlnera capitis ex sola & simplici cutis incisione ad pericranium, absque tamen hujus detrimento, *deducta, omnique symptomate destituta*, vel uniuntur, *unitaque conservantur, aut sutura, aut medicamento agglutinante*, vel per carnis repletionem curantur; *Posterior curandi modus priori tutior esse videtur, quoniam cute per integrum incisâ, ferè impossibile est, quin etiam lædatur pericranium.*

De

De vulnere capitis cum offensione pericranii, alteratione cranii, & sede instrumenti.

Reliqua vulnera cum læsione pericranii, aut sede instrumenti, per carnis generationem curari debent: illa non consuuntur, nec agglutinantur tutò, ob tres causas, quas Hieron. Fabrit. ab Aquap. l. 2. pentateuch. c. 16. adducit; non hæc, ut operationes manuaria, si fortè fuerint necessaria, absque dolore institui possint. Cum igitur, prima læsionis hora, ad vulneratum, ex sola pericranii incisione, vocatus fuerit Medicus, vulnus statim, globulis ex stuppâ cannabinâ confectis & albumine ovorum conquassato imbutis, dilatet, quo sanguinis fluxus comprimatur, vulnerisque labia disjuncta teneantur; inungat etiam partes vicinas cum oleis adstringentibus calefactis, ad præcavendam inflammationem, applicetque convenientem fasciam (quæ cancer dicitur Tab. XXXI. Figur. IX. & X.) cum linteo triplici, ne partes læsa ab aëre ambiente, qui vulneribus capitis est adversus, magis lædantur; aut medicamenta vulneri apposita decidant: De fascia hîc notandum, quod ejus capita D. in occipite colliganda debent consui, quoniam nodus aliàs multùm lædit, & cum vigiliis dolores excitat.

Secunda post offensionem die, stuppam omniaque extranea removeat, & constricto sanguine, capillisque in aream abrasis, vulnus linteamentis carptis, in globulos formatis, & digestivo illitis, tractet, desuper applicando ceratum diapalmæ forcipe perforatum, & unguento linimenti simplicis obductum, plagulam ex linteo triplici, & fasciam, non neglectis etiam inunctionibus prædictis: atque ita pergendum, donec pus appareat bonum, quod est album, & non fœtidum.

Eo apparente, pro vulneris mundificatione digestivo aliquid detergentis quotidie immisceat, donec omninò mundum fuerit, continuando usum lintei triplicis, & fasciæ, cum inunctionibus.

Vulnere à sordibus deterso, carnis generationi studeat; quapropter super labia unguentum sarcoticum (non oleum rosarum, quo quidam imperiti barbitonsores utuntur) filamentis aridis inductum apponat, desuper ceratum diapalma solùm, dein linteum triplex, in vino rubro, vel decoctionis adstringentium expressum, & fasciam. His utendum usque ad perfectam carnis generationem.

Quod si os detectum ab aëre ambiente, vel alteretur tantum, (si per duas ei horas modò exponatur) vel etiam nigrescat, (si diutius ei expositum fuerit) tunc demùm undique abradendum, vel ad mutationem coloris, vel donec sanguis ex eo dimanet, quando scilicet apparet pus bonum, & vulnus detersum. Hoc tempus si observet Chirurgus, unica vice derasum pulveribusque cephalicis inspersum, & filamentis aridis tractatum os, altera post derasionem die, carne obtectum inveniet. Neque enim audiendus est Iacob. Berengartus Carpensis, qui lib. de fractur. cran. c. 41. singulis diebus os superficialiter alteratum, raspatorio abradere præcipit: quoniam derasio dicto tempore peracta est sufficiens; ante tempus verò debitum instituta sæpius repeti debet, non sine ægri periculo; quia hac ratione ferè ad diploidem paulatim devenit raspatorium. Timidiores, desquamationem ossis alterati naturæ negotio relinquunt, sed curationem protrahunt.

Vulnus carne repletum tandem cicatrice est obducendum, aut linamentis aridis solùm, aut etiam superimposito cerato divino. Hoc curandi modo tutissimo pariter ac certissimo, præmissis tamen universalibus, & regimine rerum non naturalium benè observato, innumeros felicissimè restitui. Ex quorum ordine adhuc in vivis sunt, Iohannes Petrus Wils Ulmensis, qui Anno 1643. die 13. Martij præter aliquot fracturas cranii, tria pericranii vulnera ex fustibus accepit; Dn. Ioh. Rudolph. Straus à Kafenburg, Generosis. Comitis à Walnstein Oeconomus, cujus pericranium propè suturã coronalẽ transversim incisum reperi, Anno 1645. die 13. Augusti, Melch. Frick Fullo Ulmensis, eodem anno & die vulneratus; Ioh. Bucher Rusticus Achstettensis, qui propè musculũ temporalem anno 1642. die 13. Martij vulnus pericranii accepit. & Erhardus Velseker Bambergensis, Oeconomus Domini Præfecti N. Sals, qui anno 1645. Mense Iunio in capite læsus, à me apud Latrunculatorem Ulmensem tandem curatus, administrante Matthæo Stælzlino.

Apparens instrumenti sedes statim post vulneris dilatationem, quæ scalpello fit, abradatur: deinde vulnus dilatatum & cranium scalpris derasum medicamentis idoneis tractetur.

Vulnus capitis cum denudatione cranii, & rima capillari non penetrante.

Quod si Medicus prudens ad curandum vulnus capitis breve, cum denudatione cranii, vocatus fuerit, quàm primum capillos abradat oleo communi humectatos, & ossis statum quam diligentissimè perquirat, vel stylo exploratorio, vel oculis, vel utrisque simul, & si fracturam seu rimam invenerit, aut, ex antecedentibus & præsentibus symptomatis, fracturæ suspicionem habuerit, aut saltem de fractura dubitarit, vulnus statim, contra vulgarem Barbitonsorum consuetudinem, scalpello recto (Tab. II. Fig. II.) in crucem (Tab. XXIX. Fig. IX.) aut formam trianguli (Tab. XXX. Fig. II. ubi scilicet suturæ & musculi, temporales prætertim, sectionem cruciformem prohibent) dilatet, ut os nudatum operationes manuum necessarias (tutò, & citra partium sensibilium læsionem) per scalpra aut terebram, admittat. Si tamen abrasio cranii aut perforatio necessaria, sine vulneris per ferrum dilatatione institui poterit, à sectione tunc planè abstinendum erit.

Vulnere artificiosè dilatato, Medicus quamprimum

num ejus labia & pericranium simul, ungue pollicis & indicis digiti manus dextræ, *a calvariæ substantia separet, super os filamenta* arida *ponat, vulnusque reliquum globulis ex stuppa cannabina confectis, ovi albumine madidis, & pulvere stegnotico aspersis impleat, non solùm ut sanguinem sistat, verùm etiam ne vulnus concidat, sed in* proximam diem *nullo negotio optimè pateat. Desuper mittat linimentum simplex parvo linteo inductum* (ut vulneris labia tantùm comprehendat) *supra hoc Emplastrum seu cataplasma Hippocratis, cum decenti per* cancrum *deligatura, & partium vicinarum ex oleis adstringentibus inunctione, ad præcavendam inflammationem.*

Altera die, remotâ stuppâ, constricto sanguine, & expurgato vulnere ab omnibus extraneis, super rimam pennâ atramentum scriptorium ducat, cranium filamentis aridis tractet, labiis verò digestivo quodam illitis, desuper applicito linimento simplici, Emplastro Hippocratis, & fasciâ cancer dictâ, cum prædictâ inunctione.

Tertia *visitatione, religato vulnere, auribus ægri,* juxta quosdam, *lana oppilatis, ejusque capite benè collocato, & pulvinari fulcito, rimam, quæ atramentum scriptorium, aut potius typographorum (quod Jul. Cæsar Arantius* comm. in Hipp. de vulnerib. capitis, *scriptorio, propter calcanthum, quod mordax est, præfert.) absorpsit, scalpris raspatoriis abradat Tab. XXX. Fig. X. secundum longitudinem*, à latiori scalpro incipiendo, ac per gradus ad strictius, inde ad angustius procedendo, *donec rima penitus abdita sit, & os sub ea album & sanum appareat*, quod certissimum & demonstrativum signum est, rimam derasam non penetrasse. *Inter operandum scobem sæpius detrahat à scalpris*, &c. cautus sit, ne iis cutim aut pericranium lædat: *quod evitabit, si caput patientis sub operatione quietum persliterit, labiaque vulneris per linteola parva undique munita fuerint, Tab. XXX. Fig. V. Alii raspatoria sæpius oleo rosarum imbuunt, quo faciliùs currant*: at quia hujusmodi inunctio scalprorum aciem retundit, illa mutare soleo.

Ossi decenter & sufficienter deraso filamenta arida apponenda (cranio enim nudato & deraso non convenit digestivum, nec unguentum aut pingue quicquam) *labiisque digestivum linimentis carptis illitum admovendum; desuper linimentum simplex, cataplasma Hipp. & fascia cancer dicta, cum solita inunctione ex oleis, fluxionem arcentibus.*

Apparente pure laudabili, digestivo aliquod detergens immiscendum, donec omnino purum evadat vulnus. Vulnere deterso, tunc ossi deraso pulveres cephalici inspergendi, filamentaque arida adhibenda, labiis verò unguentum sat coticũ cum cerato diapalmæ, linteo triplici in vino decoctionis roborantiũ expresso & fascia, omissis oleis. *Vulnus carne repletũ, per epulotica nota, cicatrice obducendum. Hoc modo tractatus & curatus fuit Iohan. Rudolphus* Straus *à Kafenburg, & Casparus* Wirth / *molitor Xenodochii Ulmensis, qui rimam capillarem non penetrantem passi sunt, propè suturam coronalem.*

Vulnus capitis cum fractura Calvariæ capillari penetrante.

C*Um autem, dum tentativè sic scalpris operatur Medicus, inveniat rimam, quæ secundam laminam penetret, eam* nequaquam raspatoriis delere tentet (quoniam iis membranæ cerebrum investientes facilè offendi possint) *sed relictâ omni Chirurgiâ, procedat exiccantibus, quibus solis sæpissimè ægrotantes curantur; nec enim si maturè instituitur derasio, timendum est, quin natura materiam, quæ per rimulam ad crassam cerebri membranam (*dubio procul in parva quantitate.*) descendit, possit resolvere; neque etiam post derasionem, dura mater per rimulam in secunda lamina remanentem quidquam recipit; quoniam excrementa vulneris ad defluxum apta, filamentis aridis quotidie exiccantur.*

Interdum os scalpris derasum, & exiccantibus tractatum squamam separat, ut via, pro materia supra membranam collecta exitu, fit sufficiens. Hanc separationem observavi in Georgio Stürtzel / *qui Anno 1639. in dextro sincipite rimam capillarem*, quæ tamen utramque cranii tabulam penetravit, *perpessus, post derasionem rima ad internam usq; laminam, & spontaneam desquamationem, felicissimè curatus fuit, in Nosocomio patrio.*

Quod si symptomata gravia rimam in secunda lamina comitantur, quæ materiam copiosam inter crassam membranam & cranium collectam arguunt, remotis scalpris, cranium incunctanter *trypano perforandum est; juxta Hippoc. dictum text. 2. de vulnerib. capitis; postquam scalpro os deraseris, si tibi exigere sectionem videtur, secare debes, neque pati, ut res tertium diem excedat, priusquam seces, sed intra id spatium secabis.*

Vulnus capitis cum evidente, sed angusta cranii rima.

Q*Vando ictus ratione, ex instrumenti qualitate, & accidentibus supervenientibus, certum est fissuram penetrare; tunc* magna sanè diligentia *exploret Chirurgus & consideret, an rima sit satis lata pro evacuatione materiæ, quæ per ipsam ad membranam cerebri crassam defluxit, nec ne? non satis lata Chirurgiam trypano instituendam expetit. Medicus igitur ante omnia* prædicat periculum, ut sermones stolidorum vitentur; *angustiores enim cranii fracturæ majus habent periculum quàm latiores; nam rima stricta materiæ exitum prohibet. Deinde statim vulnus ad operationem in cranio peragendam, nimis angustum scalpello in formam crucis, aut trianguli (* eam scilicet quam locus affectus permittet) *dilatet, labia vulneris, panniculumque cranii unguibus ab osse divellat; quo facto, ossi linamenta sicca, labiis verò stegnotico imbuta apponat; & in reliquis procedat*, veluti in curatione vulneris pericranii.

Secunda, vel ad summum *tertia post læsionem die*, in pun-

in punctura præsertim duræ matris ab officulo) cranium modiolis, dum vires adhuc constant, perforandum: post triduum enim, & quamdiu adest aut imminet inflammatio, modiolorum usus est periculosus; neq; audiendi sunt, qui juxta sententiam Pauli l. 60. cap. 90. æstate diem septimam, & hyeme decimam quartam expectant, quoniam eo tempore instituta perforatio serum præbet auxilium, vires enim tunc debiles, & suspicari licet, cerebri panniculos à materia jam infectos. Quare Chirurgus in principio vocatus acceleret (fugiendo saltem juxta quosdam plenilunium, quoniam in eo cerebrum augmentatur, & cranio appropinquat, ita ut Chirurgus modiolis ἀβαπτίστοις non instructus, illud cum membranis facilè lædere possit) operationem (maximè verò in compressione & punctione panniculorum; quia ad ista citissimè sequuntur apostemata, & accidentia mala, monente Guidone de Cauliac de vulnerib. cap.) remotis è vulnere removendis, capite immobili reddito, labiisque per linteola artificiosè contectis Tab. XXX. Figur. V. (ne vel ab ambiente aëre refrigerentur, vel ab instrumentorum contactu offendantur.) cranium aperiendum, & terebra propè rimam Tab. XXXI. Fig. III. in loco decliviore (nisi eum prohibeat sutura, quæ certis de causis, quantum fieri poterit fugienda est.) pro faciliori exitu materiæ supra crassam membranam collectæ. Primò autem adhibendus modiolorum mas, in cujus medio clavus est, & debitè circumvolvendus, donec tale cranio impresserit vestigium, ut ei modiolus fæmina firmiter insistere possit. Dein remoto mare, trypani vertibulo modiolus fæmina dictus est adaptandus, qui fortiter & æqualiter, ut masculus circumvolvendus (donec ad laminam vitream devenerit) & per intervalla commutandus, ne circumductione nimium incalescat. Immersionem modiolorum in oleo antiquam recentiores reprehendunt, eo quod oleosa ossibus sint inimica, & instrumentorum aciem obtundant. Cum ad vitream pervenerit, non solùm cautiùs & mitiùs terebra comprimatur, verùm etiam sæpius eximatur ad conjectandum, quantum ossis perforandum adhuc supersit. Nec imitandus Glandorpius, qui perforando pergit, donec excisa pars cranii trypano adhæreat: sed si os ferè excisum vacillare incipit, Chirurgus vecte omnium minimo, & debilissimo Tab. II. Fig. VII. (inter os vacillans & firmum misso.) illud hinc indè moveat, & volsella parte dentata extrahat.

Nota, propter sanguinem inter operandum ex diploide promanantem, operatio non est differenda, sed cautè acceleranda. Sanguis enim post perforationem & ossiculi detractionem, supra membranam delapsus gossipio specilli cochleæ circumvoluto leviter abstergendus, foramenq; modiolis factum globulo ex filamentis aridis obstruendum, & statim fluxus iste sistetur.

Finita perforatione, & sanguine firmiter subsistente, asperitas foraminis instrumento lenticulari leviganda Tab. XXXI. Fig. VII. Si unum foramen modiolo paratum nondum videtur sufficiens, & alterum erit faciendum: ut ex Historia Happelii; Hebichii & Schneideri infra patebit. His ritè peractis, supra membranam duram per foramen demittatur linteolum ex serico rubro, vel lineo albo, instar orbis rotundum, filo alligatum (ut extrahi possit) oleoque rosarum completo & calefacto immersum Tab XXXI. Figur. IIX. ut materiam descendentem in pus convertat, & membranas ob motum, ab illisione ossis defendat. Linteolo immisso, foramini globulus ex filamentis siccis indendus, ne pus in vulnere genitum ad membranam cerebri descendat: ossi detecto linamenta arida, labiis digestivo quodam illita adhibenda; desuper linimentum simplex (ne pus includat) perforatum cataplasma & fascia, cum inunctione partium vulneri proximarum, ex oleis repellentibus, ad arcendum phlegmonen; Hic medendi modus strictè observandus, donec periculum inflammationis desierit; & admonendus æger, ut quotidiè, religato vulnere, materiæ ad membranas cerebri defluxæ egressum, expiratione per nares, ore clauso, promoveat.

Apparente pure laudabili, supra membranam crassam, loco olei rosati, mel rosaceum colatum, cum linteolo, quod filo alligatur, est demittendum, ossi filamenta sicca, & labiis digestivo quodam detergente imbuta apponenda, pro mundificatione membranæ crassæ & vulneris: externè continuandus etiam usus linimenti simplicis, emplastri Hippocratici, fasciæ & oleorum adstringentium.

Si vulnus mundum, & membrana à sordibus detersa, conspicitur, omisso serico, vel lineo linteolo & melle rosaceo, foramini globulus ex filamentis aridis indendus, os detectum pulvere cephalico aspergendum; ossi præterea filamenta arida, & labiis unguento quodam sarcotico illita admovenda, atque desuper ceratum diapalma cum linteo triplici, ex vino decoctionis capitalium rubro expresso, & convenienti ligaturâ apponenda sunt. His pergendum, donec os carne bona tectum, & vulnus ea repletũ fuerit. Tandem epuloticis cicatrix inducenda est: Hanc medendi rationem optimam inveni in Georgio Seiz Rustico Idelhusano: de quo vide Gregor. Horstii observationem Chirurgicam XX.

Vulnus capitis cum fissura cranii penetrante, & satis hiante.

Si fissura hiat, ut pus per eam liberè possit expurgari, neque perforatione cranii, neque dilatatione vulneris per scalpellum, (quæ propterea unicè instituitur) opus est: Unde eos animadversione & reprehensione dignos rectè judicat Chalmetæus, qui nõ tantum in parva cranii fissura (tametsi nõ penetret) verùm etiam in maxima rima satis audacter modiolum adhibent; quo errore non mediocri, curatio in longissimum tempus protrahitur, cum summo ægrotantis damno, & famæ Medici naufragio: quæ incommoda, an ignorantiæ, an avaritiæ medentium adscribi debeant, anceps hæreo. Cum

igitur

igitur fissura magna modiolum rejiciat, quid Medico cordato & prudenti, *in simili casu, tentandum erit? sequatur* strictè *curationem fissuræ angustæ*, post *modiolorum usum necessariam & (* omisso tamen trepano tanquam supervacaneo & noxio*) supra membranam crassam demittat linteolum oblongum, magitudini fissuræ respondens, filo alligatum, & oleo rosaceo imbutum &c: Hunc curandi processum extollet, adhuc superstes* *Iohannes* Antwander / *Ratiarius Kirchdorfensis, in cujus sinistro syncipitis latere (anno 1633. Mense Ianuario) fissuram inveni* (tam latam, ut digitum majori proximum facilimè imponere potuissem*) cum ingenti duræ matris inflammatione, quæ præmissis universalibus, ex olei rosati, cum linteolo serico tepide admoti & cataplasmatis Hippocratici diligentissimo usu, post triduum evanuit.*

Vulnus capitis, cum læsione duræ matris.

SUpra vulnus duræ matris, cum rima cranii satis hiante, demittitur pariter linteum sericum, oblongum, filo alligatum, & oleo rosarum imbutum: apparente pure bono, linteum novum melle illinendum rosaceo, & supra membranam demittendum, quâ detersa, vulnus ejus unguento de betonicâ liquefacto, & per foramen tepide infuso incarnandum. Cæterum os & vulnus externum tractetur, uti supra in fissuræ cranii penetrantis, & satis hiantis cura indicabam. *Cum verò fissura fuerit angusta, ut soluta membranæ crassæ topica applicari nequeant, tunc vulnus scalpello debitè dilatetur, calvaria modiolo perforetur, omniaq. observentur;* quæ supra de curatione rimæ angustæ leguntur.

Vulnus capitis cum læsione piæ matris & substantiæ cerebri.

VUlnera piæ matri vix infliguntur, absq. offensione sibi subjecti cerebri, quare abstinendū ab omnibus oleosis & pinguibus medicamentis, propter quæ substantiam cerebri facilè putrescere verè scribunt: *quidam etiam mel rosaceum, ob suam acrimoniam & calorem, rejiciunt, & ipsi syrupum ex rosis substituunt;* in hujusmodi tamen vulneribus, & syrupo & melle rosaceo sæpius, & nunquam cum noxa aliqua usus sum. *Præ reliquis tamen remediis non satis laudare possum illud unguentum, quod Hieron. Fabritius ab Aquap. l. 2. sui Pentateuchi cap. 20. describit, & felici successu sæpius adhibuit: cujus & ego virtutem expertus sum in Michaële* Schneidero, *de quo infra singularis extat observatio.* Vulneri & rimæ prospiciendum, sicut in vulnere duræ matris monitum.

Vulnus musculi temporalis, cum læsione pericranii & vasorum.

VUlnerum capitis periculosissima sunt ea, quæ musculi temporales patiuntur; velantur enim externa sui parte pericranio, quod super ipsos vehitur & involvit: in interna verò parte nudi sunt & nudo immediatè accumbunt ossi: Undè probè observandum, *si pericranium (quod dictos musculos involvit, ab interna cerebri crassa membrana, per suturas cranij ortum)* vel leviter saltem *inflammabitur, quod statim in consensum trahit membranam crassam & tenuem, ipsisque subjectum cerebrum; periculosa etiam sunt musculorum temporalium vulnera*, ob sanguinis profluvium, *ex arteriis incisis, quod selectissima nonnunquam vix sistunt stegnotica. In simili casu nihil præstantius inveni emplastro Galeni* (cujus encomium videatur apud Zacutum Lusitanum Prax. Med. admirand. l. 1. ob serv. 85.) *ex aloë, thure, pilis leporinis exactissimè trituratis, & cum ovi candido mixtis, quo vulnus impletur, ad obturandas arterias: quo pretiosissimo remedio si sanguis non supprimeretur, ob crapulam aut furorem, valdè ebulliens, optimo successu exhibentur gr. iiij. spermioli compositi Crollii, & circa collum applicatur emplastrum* (cujus mentionem facit Jonstonus in sua Idea Medicinæ, c. de Hæmorrhag. narium*) ex argilla furnacea, cum aceto rosarum acerrimo compositum, & fasciæ quatuor digitos transversos latæ inductum, & quoties exiccatur renovatum, donec sanguinis fluxus*, ferè post horam dimidiam, vel etiam citius, *mirabiliter consistat. Hæc tria autem remedia hic obiter annotare placuit, quoniam non solùm in sistendo temporum sanguinis fluxu miram vim exerunt, verùm etiam deploratam narium, vel gingivarum hæmorrhagiam, quæ extractionem dentis violentam sequitur*, infallibiliter *compescit, ut testabitur Iohann. Iacobus* Mäyer / *textor Ulmensis, & Gallus* Breittinger / *Rusticus & caupo Dornestattensis.* Pulvis *ore assumptus sanguinis ebullitionem refrenat*, Emplastrum vulneri *impositum, vasorum incisiones conglutinat*, & illud collo applicitum *sanguinis ad caput fluxum intercipit. Hoc vulnus (ut & profundiores plagæ absq. tamen læsione cranii) consistente sanguine per primam intentionem curari* minimè *debet, sed, contra Vesalium, carne impleri, & dein cicatrice obduci, summopere* cavendo, *ne ipsi inflammatio superveniat, quæ emplastro Hippocratis arcenda & depellenda.*

Vulnus Musculi temporalis superficiale.

Primò sanguis sistendus stuppis ovi albumine imbutis, & pulvere Galeni adstringente aspersis: altera die ablatis stuppis, labia vulneris ad mutuum contactum unienda linteolis, cerato diapalma, obductis, & in crucem applicitis, & partes circumcirca inungendæ oleo rosarum, ad arcendum phlegmone: supra linteola emplastica etiam, ne decidant, *ponendum est medicamentum, quod facultatem habet reprimendi humores (quale est, linimentum simplex, vel album coctum) & fascia cancer dicta.*

Vulnus musculi temporalis, cum cranii rima angusta.

Cum autem cranium sub musculo temporali rimam conceperit, non statim convenit carnem producere, *sed rimæ quantitas expendenda, an sit lata, vel angusta, aut capillaris? Si capillaris est rima, & vulnus angustum, tunc illud globulis ex spongia paratis*, si modo possibile, *prout opus, dilatetur: sin minus possibile, cutis scalpello usque ad os cranii incidenda est*, cautè tamen, ne aut vasa aut musculi fibræ per transversum incidantur. *Si igitur Chirurgo vulnus in tempore dilatandum, cum rimâ cranii capillari, occurrit, statim prædicat inflammationem & convulsionem partis oppositæ, dein illud* (frustra prius tentatâ dilatatione per spongiam) *secundum fibrarum seriem incidat*, ne accidentia *prædicta, si fortè supervenerint, artificiali vulneris dilatationi adscribantur: quæ prognosis, in Germania præsertim, ubi Chirurgicæ operationes, non sunt adeò consuetæ, sicut in Italia & Gallia*, diligentissimè observanda. *Vulnere itaque secundum fibrarum ductus dilatato, carne musculosâ ab osse separatâ, rimâque diligenter derasâ, in reliquis procedat Chirurgus*, uti supra in curatione vulneris, cum rimâ capillari & angustâ, didicit.

Vulnus musculi temporalis, cum rima cranii satis patente.

Cum sub musculo temporali rima cranii satis hiat, ut materia, quæ ad duram membranam delapsa, sufficienter possit expurgari, tunc neque vulnus scalpello dilatandum, neq; rima scalpris deradenda, neq; cranium ad latus rimæ modiolis perforandum, *Recensita enim operationes (ob rationes supra, in cura fissuræ magnæ, allatas) in rimâ magna reprobantur.*

Contusio capitis sine laceratione cutis, introcessione cranii, & suspicione alicujus fissuræ.

Mirabili successu curatur recens mactatorum animalium pellibus, præsertim verò canis vel muris, quæ contusiones, dum adhuc calent, adhibitæ, & per viginti vel plures horas relictæ, egregiè *dissolvunt. Si contusio unica pelle in totum non discutiatur, altera ipsi admovenda. Cum verò non cujusvis sit canem excoriare, semper elegi* pellem agninam, *quæ omnibus ferè horis potest acquiri, & reliquis parem digerendi facultatem obtinet.*

Hoc unico, & experitissimo (nunquam enim me fefellit) *remedio, præter multos pueros & adultos, curavi puellam fabri lignarii 4. annorum, quæ ob casum ab alto, magnam supra bregma contusionem passa est, quam Medicus quidam novacula aperuisset, nisi ego ipsi adjunctus apertionem dissuasissem* ex Hippocratis sect. 8. Aph. 7. *quo implicitè docet, nullum affectum requirere chirurgiam, nisi medicamenta ipsi frustra fuerint applicita. Cum igitur symptomata sectionem urgentia abfuissent, nec ullum remedium topicum adhuc frustra applicitum; ille, spreta Chirurgia, pellem agninam apposuit, ejusque miram efficaciam* (non solùm in hâc puella, verùm etiam posthac in adultis non rarò) *expertus, mihi sæpissimè gratias retulit maximas, pro dato consilio & auxilio.* Quapropter adhortor chirurgiæ tyrones, ut nunquam contusiones, aliosve tumores, scalpellis aperiant, nisi eos topicis rebelles inveniant.

Depressio cranii simplex, sub integra cute, in pueris.

Ob contusiones cranium, integro sub corio, patitur nonnunquam depressionem simplicem, & citra rimam; interdum fissuram solam; quandoque fissuram & depressionem simul. Depressio citra fracturam in solis contingit pueris; rima vero tam simplex, quàm cum introcessione, in adultis sæpissimè evenit.

Cranium in pueris sub illæsis integumentis, & citra divisionem depressum, ita, ut tangentibus vel intuentibus fovea mediocris (& quam nulla prava sequuntur symptomata) *appareat, Paræus* l. 9. c. 3. *cucurbita communi in suum situm naturalem optimè reducit. Ingeniosissimus noster Hildanus, in eundem finem, excogitavit duo præsidia, cucurbitam nimirum corneam, & Emplastrum, quibus nihil conferentibus, ad sectionem cutis, & elevationem ossis, per suam triploidis terebram, veniendum esse censet* cent. 2. obs. 5. *quæ duæ tamen operationes mihi neque necessariæ, neq; fructuosæ, videntur.* Non sunt necessariæ, *quoniam depressiones in pueris tales, quæ cerebrum ejusque ventriculos comprimunt, quo minus spiritus animales elaborari, elaboratique in*

torum corpus distribui possint, sunt incurabiles. Non fru-ctiferæ sunt; quoniam primo, teste Hippocrate, vulnera capitis simplicia, & ex sola cutis incisione, Medico negotium, & ægrotis periculum, afferunt: absque autem dubio negotium illud, & periculum augebitur, quando, præter cutim, etiam pericranium & os, ex instituto, inciditur. Quia secundò, dum elevatorium centro depressionis infigitur, fovea cranii facile increscit: Quia tertiò, cum torcular cranio adhuc tenero & molli, ad diploidem usque vi quadam debeat infigi, certè timendum erit (quoniam elevatorii triploidis torcular αβδάπλιςον non est) ne internam cranii tabulam perforet, & cuspide membranam crassam lædat: Quia quartò, os tenerum aëri exponitur, unde nigredinem concipit, quæ corruptionis nota est: quæ corruptio si naturæ separanda relinquitur, non raro interiora versus serpit, ita ut derasionem per scalpra vel excisionem cum modiolis periculosam expostulet: neglecta autem Chirurgiâ vulneris curatio, cum periculo patientis, producitur. Qui autem os cranii puerilis superficialiter corruptum scalpris abradere sibi proponunt, incrementum foveæ exspectent; Hinc sapientis est medici, omnem potius operam manualem omittere, quum nihil prodesse possit, quàm rationales Medicæ artis administrationes aliqua infamiæ nota afficere.

His ego rationibus motus, in depressionibus puerorum, sine rimâ & sævis accidentibus, ab omni Chirurgia abstineo, & crebra experientia suffultus, circa depressionem capillos abradi curo, & pellem agni calidam, cũ decenti fasciæ cancer dictæ ligatura, adhibeo, inunctis partibus vicinis, collo & temporibus præsertim, cum oleis adstringentibus, ad impediendum humorum influxum, & præcavendam inflammationem. Si prima vice pellis tumorem non consumserit, aliam applico, relinquendo eam per diem iterum naturalem; Discusso tumore, si fovea tactu parva deprehenditur, nullaque symptomata, gravia adsunt, quæ partium sub cranio noxam portendant, pelli agnina ceratum diapalmæ Galeni linteo latiori inductum substituo, pro corroboratione partis affectæ. Hanc medendi rationem tutissimam esse, pluries mecum observarunt chirurgi illi, qui mihi in ejusmodi casibus sæpissimè adstiterunt, inter præcipuos Ulmæ sunt, peritissimi præ cæteris Chirurgi Georg. Riedlin / & Nicolaus Reutte / quos testimonii causa nominare placuit. Modum quoque medicamentis tutò, nec magno quidem negotio, graves collisiones puerorum feliciter ad sanitatem restituendi, invenient Chirurgiæ Tyrones apud Julium Cæsarem Arantium, ad calcem doctissimi sui commentarii in Hipp. librum de vulneribus capitis &c.

Contusio capitis cum depressione, sed sine rima cranii, sub integra cute, in adultis.

IN adultioribus ejusmodi foveæ sub integra cute, rarissimè (in iis nimirum, quibus natura molle dedit cranium) vel certè nunquam sine rima, in cranio reperiuntur: si enim post dissectionem cutis rima in externa cranii lamina non apparet, timendum erit, ne interior tabula fissuram patiatur, per quam materia ad cerebrum quidem descendere, sed iterum per eam evacuari minimè potest. Hujusmodi fracturam observavi Anno 1632. Ulmæ in milite Suecico, qui ob depressionem cranii, secundo decubitus die, mortuus est. Ego sciendi cupidus, quæ tàm citæ mortis causa extiterit, cranium serrâ divisi, & inveni ejus internam laminam non solùm fissam, sed etiam ossiculum (quod absque dubio cerebri matres assiduè pupugit) de se remittentẽ, integra existente externa cranii lamina. Quoties igitur in adultorum capitibus talis apparet fovea, certissimum est calvariam esse divisam: Nisi enim fissum esset cranium, inquit Hipp. medium desidere nequiret. Sed posito, nondum tamen simpliciter concesso, dari introcessionem cranii sicci oris sine rimâ, illa soli naturæ negotio (ut Felix Würtzius præcipit) committenda non est, sed cutis statim scalpello in triangulum, vel crucis formam, incidenda, pericranium â cranio separandum, vulnusq; hians globulis conservandum, non solùm ut Medicus certior fiat, an cranium sit fissum, verùm etiam, ut si depressionem comitetur rima (quod maximè timendum) vectis convenientis instrumentum adhibere possit.

Altera, post incisionem cutis usque ad cranium, die (si rima nulla in externa lamina oculis conspicitur, nulloque specilli globulo deprehenditur, nec aliquam, ob symptomata suspicari licet, hac integra existente, internam calvariæ tabulam esse fractam) sumatur Terebelli (Tab. III. Fig. I.) pars triangularis, asterismo notata, quæ cranium, in centro depressionis, modò non ultra laminam externam leniter perforetur. Facto per terebellum foramine; terebra triploidis est infigenda, beneficioque superioris cochleæ tam diu circumvolvenda, donec infigatur parum interna laminæ. Deinde cranium depressum, inferiorem triploidis instrumenti cochleam deorsum volvendo, perpendiculariter, erigendum. Cranio, quod erat depressum, elevato, instrumentum triploidis removendum, vulnusq; tractandum, ut supra de cura vulnerum capitis, cum denudatione cranii & sede instrumenti legitur.

Contusio capitis in adultis, cum depressione cranii & fractura laminę internę, citra vulnus cutis & rimam laminę externę.

CUm, cute capitis artificiosè incisâ, exterior lamina apparet integra, & depressionem mala comitantur accidentia, dubitandum non est, quin tabula interior aliquam patiatur noxam: quare cranium in medio depressionis terebræ triploidis affixum non erigatur, sed ad latus depressionis trepano perforetur, ut materia, quæ, per fissuram laminæ internæ occultam, ad cerebri crassam membranam defluxit, exitum habeat,

& cranium, quod introcessit, necessarii vectis operâ elevari possit.

In contusionibus capitis, cum fovea, in homine adulto, cutis integra in crucem, vel triangulum, incidatur, aut ejus vulnus, pro trepano & vecte adhibendo non satis latum, scalpello dilatetur. In contusionibus verò sine fovea, neque scalpello, neque trypano, neque vectibus quidquam est tentandum, *sed sola pellis agnina contusioni apponenda, nisi symptomata supervenient, quæ fracturam cranii indicant, scalpro vel modiolis opus habentem.*

Introcessio cranii, cum rima in medio depressionis latâ.

SI depressioni calvariæ jungitur rima (quæ, nisi sit satis hians, cranii denudationem à pericranio requirit) *evidens, ea vel est in medio depressionis, vel ad latus. Quæ in medio depressionis, ea vel est lata, vel angusta. Si rima est lata, & depressio modica, cranium elevetur vecte, Tab. II. Fig. VII. quando rima lata, & depressio modicâ major apparet, submittatur vectis robustior Tab. III. Fig. II. Quod si, cum rimâ latâ, multùm intercessit calvaria, tunc allegati vectes parùm valent, quare triploidis elevatorio Tab. III. Fig. III. B. erigenda est.*

Introcessio cranii, cum rima in medio depressionis angusta.

AD depressionis terminos, cranium modiolis excidatur, dein duorum foraminum interstitium serrula mea versatili Tabul. V. sine omni læsionis metu, *auferatur, non solùm, ut prædictorum vectium aliquis cranio submitti, verum etiam, ut ossicula quæ interdum ab interna cranii lamina separantur, & instar aculei crassam, vel etiam tenuem, cerebri membranam pungunt, volsella eximi queant.*

Introcessio cranii cum rima, ad latus depressionis lata, & angusta.

RIma in medio depressionis vel est lata, vel angusta. Si lata, tunc vectis conveniens cranio submittatur. Si angusta, similiter ad rimæ latus sanum & detectum calvaria modiolo perforetur, & vectium beneficio erigatur. Si vectis, per unum foramen submissus, cranium attollere nequit, paretur etiam foramen secundum, dein foraminum interstitium serrula versatili separetur, ut in quocunque fissura dilatata loco necessaria vectis instrumentum applicari, eoque cranium reduci possit.

Vulnus capitis, cum dedolatione cranii.

NUllam operationem manualem exposcit, sed carne obducenda, ut calvaria scalpris recens derasa: vid. infra observation. Alphons. Schadai: Patricÿ Ulmensis.

Contrafissura.

QUam Hippocrates calamitatem *appellat, inventa curatur, ut contusio cranii cum fractura, sub integra cute, incisione nimirum cutis per scalpellum, separatione pericranii ab osse, &* (si rima penetrans fuerit angusta.) *cranii perforatione, per modiolos, &c.*

Punctura cranii non penetrans, & penetrans.

TErebellis deleatur Tab. XXXIII. Fig. I. punctura quæ non penetrat. Cum verò utramque perforat laminam, cranium modiolis aperiatur, adhibendo ipsi puncto clavum modioli maris, donec vestigium aderit, cui fæminæ possint insistere: quæ duæ operationes, ut citò, tutò & jucundè peragantur, pericranium ab osse separandum est.

Traditus curandi modus, fracturas & vulnera capitis, certè præstantior est eo, quem Felix Wurtzius lib. de curat. varior. vulnerum cap. 7. 8. & 9. *commendat, nostrique passim in Germania barbitonsores, tanquam Apollinis oraculum sequuntur, non rarò tamen cum magno ægrotantium vitæ periculo. Neque miror, quod curatio votis sæpissimè non respondeat, cum citatus Wurtzii locus multos errores contineat, quos tyrones animadvertent, si brevem, & Hippocraticam operandi & curandi rationem, cum Wurtziana, vel obiter saltem, contulerint.*

TABULA TRIGESIMA TERTIA.

De abrasione puncturæ cranii, sectione vasorum temporalium, curatione ancyloblephari, suffusionis perfectæ, & ægilopis, ratione firmandi oculum.

FIg. I. *ostendit, quomodo punctura cranium non penetrans, post sectionem cutis & detectionem ossis, Terebello, Tab. III. Fig. I. deleatur.*

FIG. II. *digitus, pilis derasis, locum sectionis vasorum temporalium,* quæ fit inter verticem, musculum temporalem & frontis, *inquirit: explorat etiam, an vas ipsi subjectum sit vena, vel arteria. Si, maxillâ inferiore motâ, digito persentitur musculorum tempo-*


I
II
III
IV
a
b
V
c
VI
d
VII
VIII
VIIII

temporalium motus,in altiore loco vena vel arteria quærenda est: vas est arteria, si percipitur pulsus, vena, si nullus.

Altera manu curatur, ancyloblepharon. *Palpebra autem vel inter se, vel cum alba, aut cornea, aut utraque oculi tunica, coalescunt. Palpebrarum coalitus inter se curatio, peragitur scalpelli falcati (Tab. VIII. Figur. VIII. cujus apici annexus est pusillus & acutus ex argento globulus) operâ, qui immittitur ab interiore angulo, ubi nunquam ferè cohærent, inter oculum & palpebras (ut partem retusam oculo, & secantem palpebrarum commissuræ opponat) usque ad exteriorem: deinde digito locus incidendus pertentetur, antequam secatur, quo percepto palpebrarum commissura incidatur. Sectione factâ, inter utramque palpebram linamentum interponatur, ne denuo coalescant.*

Ubi palpebræ tunicis oculorum adhærent, adversus scalpellus (qui nihil aliud est, quam latior specilli pars Tab. VIII. Fig. VI.) *magna moderatione inter palpebram & tunicam oculi immittatur, quo separentur ea, quæ cohærent, sine læsione, si fieri potest, utriusque partis. Si tamen aliquam lædere fuerit necesse, potius palpebra adnata, quàm oculus incisionem patiatur. Post liberationem verò oculi à palpebra, interponatur etjam linteum mundum, ne iterum invicem glutinentur.*

FIG. III. *in dextro oculo exhibet suffusionem in Figur. IV. acu deponendam; insuper tuberculum tunicatum, inter nasum & sinistri oculi majorem angulum, subortum, & ad interiora ruptum (quod ægylopem vocant) curari medicamentis nequit, unde tuberculum volsellæ dentibus apprehenditur, & in fundo circumciditur scalpello (Tab. II. Fig. I.) ita tamen, ut aliquid de caruncula spongiosa relinquatur, secus enim perpetuum sequeretur lachrymarum profluvium per genas.*

FIG. IV. *docet, quomodo antè depositionem suffusionis perfectæ, oculus sanus gossipio & fascia claudatur; locum quoque, ubi apponitur acus, (Tabul. VIII Fig. IV.) quem describit Albucasis l. 2. c. 23. seqq.* verbis: *pone acus extremitatem propè tunicam corneam, per crassitiem radii (seu specilli obtusi) in ipsa albedine oculi, quæ respicit minorem seu externum angulum.*

De suffusione.

CAtaractâ perfectâ, matura & consummata, quæ in pelliculam, ut vocant, concrevit, hanc ab ambitu pupillæ, cui accrevit, secernere, immissa acu per tunicam corneam, ultimum est remedium: quod si feliciter succedat, eo momento, quo detractio facta est, visus restituitur.* Antequam verò incipiatur operatio, Oculista consideret, an unus, vel uterque oculus, patiatur. *Quod si utroque oculo obducto patientes cæci penitus existant, facilior sit ad operandum, quoniam pejus metuendum non est, licèt non benè succedat operatio.* Unico vero tantùm læso, cum sanus ad visionem sufficiat, minus temerè opus tentandum, præsertim si pellicula seu tela non omninò concreta, quæ interdum trium, quatuor, quinque aut plurium annorum spatio vix perficitur. *Neque tamen materia pelliculam efficiens, ullo modo incrassanda, veluti hanc quæstionem Iohan. Baptista Silvaticus Controv. 56. elegantissimè decidit. Et licet plerique Autores requirant mediocrem humoris concretionem, experientia tamen constat,* cataractam faciliùs deponi, quando perfectè concreverit. *Nam quæ immatura est, mollis & mucosa adhuc, apici acus non resistit, nec integra removeri potest, sed scissa rursum concrescit, vel callosior facta, vel aqueo humore perfusa facit, ut ægri non tantùm nihil videant, sed & omnis spes sanationis, per reiteratam operationem* (quæ si bis instituatur certè frustra fit) *ipsis adempta; quod etiam accidere solet, si instrumenti acumine, humor vel crystallinus vel vitreus, eorumq; tunicæ, offendantur, vel solùm uvea in ambitu pupillæ laceretur. Ex quibus patet, quòd hoc remedii genus valdè anceps sit & dubium, &, ob ejusdem summam difficultatem, facilè error irremeabilis committi possit: unde sanitas temerè, ut consueverunt circumforanei* (qui pudore, licet promissa non præstent, minimè erubescunt, dummodo eos spes alat lucri,) *nunquam est promittenda patienti, sed diligentia. Ego, ut rem fatear, hanc chirurgiam nunquam tentavi, quamvis instrumenta parata habuerim, sed eam vidi bis ab Italo, bono successu administrari, in uno oculo Nobilis cujusdam Patavini, & Monachi Veronensis. Operator autem, qui erat Patavinus, Chirurgiam sequenti instituit modo. Præparato corpore, & implorato Numinis Divini auxilio, elegit conclave aliquod mediocri lumine perfusum, & die sereno ac tranquillo, tribus horis ante prandium,* ægrum adhuc jejunum, *in sella propè lectum collocavit (à cujus tergo erat aliquod fulcimen & pulvinar) ità ut versus lucem spectaret; ex opposito sedili Chirurgus ægrum, diductis cruribus, cum sella excepit, illiusque manus utrinque femoribus suis innitentes sustinuit: à tergo ægri, minister (caput patientis erectum & firmum ambabus manibus tenens) oculum dextrum, qui sanus erat, gossipio & fascia obvolvit Tabul. hujus Fig. IV. Quo facto, inter Chirurgum & patientem pulvillos posuit minister, ut operantis brachium firmiter sustineri possit.* Vid. apud Guilhelm. Fabricium Hildan. cent. 4. obs. XVI. instrumentum, quo cubitus Chirurgi, veluti basi aut columnæ, firmissimè incumbit. *Hoc pariter peracto, Chirurgus pollice dextro fricuit oculum affectum* (palpebras claudendo, moxque recludendo) *& masticato prius semine fœniculi, halitu ejus fovit: Postea sumpsit acum auream (quoniam suffusio deponenda fuit alba, argenteum verò instrumentum requiritur, cum humor concretus fuerit niger, vel alterius coloris) quæ longa, manubrio striato & intorto, ad firmiorem apprehensionē, versusque cuspidem acutissima, & sensim attenuata sit. Tab. IIX. Fig. IV. Hanc itaque manu sinistrâ, propè oculi sedem, innixa in latere oculi externo, in albo parùm ab iride distante, paulò altiore sede quàm in medio, impressit, & quidem non violenter, sed sensim eam contorquendo, donec corneam tunicam penetraret, intrusit: quod æger facilè tulit,*

cum minimo doloris sensu: sic intrusam acum mox versus pupillæ foramen, ubi tela accrevit, direxit, & usque ad pelliculæ interiorem sedem paulatim propulit, quod commodius fiebat, cum per corneam acus aurea videri potuisset. Eo blandè adactâ, & ut telam ab ambitu foraminis removeret, aliquoties sursum & deorsum ducta (cum prima vice non semper succedat.) depressit, & alicubi liberatam pelliculam, acu penitus, ubi adhuc adhærebat, separavit, ac deorsum, in infimam scilicet, & obscuram oculi sedem, deposuit: Cum pellicula infra pupillæ regionem devenisset, Chirurgus oculum clausit, & acum per quadrantem horæ reliquit, ut tela in parte inferiore, in quam decussa est, permaneret, quod cognoscitur, si ex oculi commotione pellicula non redeat. Interim cavendum, ne in depositione cataractæ, illa in plures partes scindatur: portiones enim illæ licet depressæ fuerint, facilè tamen rursus in pupillæ sedem deferuntur, & illic fluitando visum obscurant. His omnibus ritè peractis, etiam benè successit depositio, pupilla iterum nigra apparuit, & æger mox videre cœpit. Tandem palpebrâ depressâ, oculoque clauso, acum sensim rursus extraxit, ne materia, suffusionem qua fecit, in pristinam sedem reflueret, aut humor vitreus, seu crystallinus, læderetur. Nec est aquei humoris effluxus metuendus, cum foramen in crassa hâc tunica factum, statim post acus exemptionem, rursus collabatur.

Operatione sic finita, oculo restituto & sano, attamen utroque clauso per 6. dierum spatium, quotidiè, ter aut quater, apposuit gossypium ex una parte imbutum aquâ rosarum & fœniculi, cui modicum croci & pulveris fœniculi addidit, pro corroboratione: ad præcavendam verò inflammationem, fronti applicuit linteum unguento illitum ex ovi albumine conquassato, & pulveribus Galeni adstringentibus, supra gossipium & defensivum modò dictum, aliud linteum, & fasciam alligavit. Ab eo tempore, ægri victus ratio non fuit libera, sed tenuis solùm concessa. Et ne visus, luce multa nondum assuetus, obruatur, ut in tenebris, obseratis undique fenestris ligneis, aliquandiu moram traheret æger, & sensim luci assuesceret, præcepit. Ut etiam spiritus nulla vi ad oculos ferrentur, præcavit omnem vehementem motum, utpote tussim, sternutationem, clamorem, conatumque magnum in reddendis excrementis alvi & vesicæ. Supinus cibum & potum sumpsit, neque surrexit ad alvum deonerandam, sed vas ex ligno recipiens ano submisit: atque ita æger pristinam lucem adeptus, diligenti prohylacticorum usu, & gestatione fonticulì, brachio inusti, per plures annos incolumis vixit. In utroque oculo suffusionem juxta Celsum, me præsente, felici quoque successu deposuit Ulmæ 1637. Mense Decembr. Domino Tobiæ Neubronnero, & Dominæ Kazenbæckin Ophthalmiater insignis. N. Marianus, Origine Romanus. Atque hæc de suffusione, feliciter deposita, dicta sufficiant: quæ ex observatoricina mea ideo transtuli, ut Medicinæ studiosi, si circumforanei, quibus hodiè ut plurimum curandi concreduntur, ipsis præsentibus non ritè procedant, haberent quod corrigere possint. Et cum suffusionis Chirurgia omnium subtilissima sit, eam Cels. l.7.c.7. de natura oculorum & eorum suffusione luculentissimè proposuit, quem consulat lector, & qui plura desiderat, adeat Platerum, vel Georgium Bartisch Oculistam Dresdensem. Pro discussione cataractarum incipientium, multæ reperiuntur apud Autores collyriorum descriptiones, quibus præstantissimi effectus ab iis tribuuntur: ego expertum habeo Fel Lucii piscis modico sacchari mistum, quod post purgationem totius, & adhibitum vesicatorium retro aures, sinistro oculo ex fratre nepotis instillatum, septimanæ spatio suffusionem, in principio existentem, resolvit: quod remedium sæpius feliciter usurpavit Adrianus Spigelius, qui præter hoc mihi valdè commendavit oleum hepatis mustelæ fluviatilis, de quo vid. Forestus l.11. observ. 35. & aquam Martin. Rulandi Ophthalmicam, & illam socialem, utpote valdè utilem & Neapoli in magno usu. Hanc descripsit Ioh. Anglicus in Practica sua, quam Rosam Anglicam appellat, ejusque mentionem facit Sennertus Pr. l. 1. p. 1. sect. 2. omissâ tamen descriptione, quæ talis est: ℞. Fœnicul. Rut. Euphras. Verben. Tormentill. Beton. Rosar. Endiviæ sylvestr. Callitrich. Anagall. Pimpinell. Chelidon. Papyri, pæon. Fol. vitis, Apii, Agrimon. Caprifol. ana p. æq. Terantur & prid. ponantur trita in vino albo: Secunda die in urina pueri venerem non experti: Tertia, in lacte mulieris; & quarta in melle optimo, quo tempore destillentur, & ad usum reserventur. Ambas has aqq. in usum nunquam revocavi, easdem tamen juventuti studiosæ, præter institutum, proponere volui, ut effectus earum, quæ mihi à celeberrimo Medico summoperè commendatæ fuerunt, datâ occasione, explorarent.

FIG. V. monstrat foramen post excisionem tumoris in angulo majore tunicati: supra hoc foramen ponitur cannula (a. Tab. I. Fig. I.) ut oculum defendat, & compressione cutis vicinæ sensum obtundat, dum os nudatum vel cariosum, ferramento olivari (b. Tab. XIX. Fig. VI.) candente, & per cannulam immisso, aduritur. Ossi adusto filamanta carpta apponantur, donec squama ossis abscedat; dein sinus fistulosus spongiolâ, vino aluminoso expressâ, & instrumento umbellato compressus, agglutinetur, quo agglutinato, ulcus sarcoticis, & ultimo epuloticis, tractandum.

FIG. VI. monstrat oculum dextrum annulo (c. Tabul. VIII. Figur. V.) firmatum, polypum de nare dextro propendentem, & sectionem tumoris sub cute tunicati in maxilla superiore exorti: cujus folliculum imprudenter adamante (d.) ruptum, evacuatâ materia specillo lato a cute, & subjectis musculis, separavi usque ad radicem, quem scalpello (Tab. XII. Fig. II.) præscidi, & ostiolum cauterio actuali (Tab. XIX. Fig VII.) optimè candente tetigi: quo facto, vulnus linteolis emplasticis ad mutuum contactum adduxi.

FIG. VII. exhibet vasculum vitreum (e. Tabul. VIII. Fig. X.) oculo alligatum, per cujus infundibulum oculo affecto collyria guttatim instillantur: dein modum extrahendi è naribus polypum instrumento ab Hieron. Fabrit. ab Aquap. invento: polypum insuper forcipe comprehensum, & extra forcipem collocatum. Matthæus Glandorpius elegantissimum tractatum conscripsit de natura & curatione polypi, quem ejus curatores summo cum fructu perlegent.

FIG. VIII. ostendit, quomodo inter excisionem tumoris




TABVL.XXXIV.
I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
a
b
c
d
e
g
h
i
k
l
m
34

moris tunicati, qui inter musculos superioris labii, ad magnitudinem ovi gallinacei, subortus, honestissimam & pulcherrimam matronam, non sine dolore, planè deformem reddiderit, labia pro excisione tumoris à se invicem, hamulis duobus, fuerint diducta, vid. infra sing. Histor.

FIG. VIII. *Monstrat excrescentiam carnis instar fungi, in anteriore palati parte, retrò dentes incisorios, exortam, quæ magnitudine nucem juglandem superavit, & quoties digito, vel etiam lingua, leviter saltem tangebatur, magnam sanguinis copiam profudit: de quo cas. vid. infr. singul. obs.*

TABULA TRIGESIMA QUARTA.

De abscissione uvulę corruptę, perforatione asperę arteriæ, inustione occipitis, & modo parandi acu ignita setaceum in nucha, & auriculæ lobo.

FIG. I. *ostendit medietatem uvulæ sphacelo tentatam, quæ, antequam corruptio serpat, & integram uvulam, cum vicinis partibus, afficiat, filo per annulum (a. Tabul. IX. Figur. VII.) admoto & constricto præcidenda est.*

FIG. II. *præparato annulo (a. Tab. IX. Fig. VII.) minister speculo oris (Tab. XI. Fig. IV.) linguam deprimat (Tab. XXXVI. Fig. VII.) Chirurgus verò partem uvulæ corruptam, annulo apprehendat, dextraque sive sinistra filum (b.) notatum vehementer attrahat, & sic uvulam arctissimè constringat. Facto ad uvulam nodo, filum (c.) forcipe abscindat, & extracto instrumento, utrumque filum extra os propendere relinquat, donec uvula, secundo vel tertio die, decidat.*

Si uvula ob influxam pituitam relaxabitur, optimo successu pulvis, ex alumine crudo & pipere albo mistus, inflatur. Modus autem ejusmodi pulverem inflandi talis est: Lingua, speculo oris (quod Chirurgus sinistra teneat) depressa, mox dextra cochlear (d) pulvere repletum uvulæ admoveat; deinde fistulæ basin (e) ore arripiat, & inflando pulverem in cochleari admotum uvulæ undique aspergat. vid. Guilh. Fabrit. Hildan. cent. 2. observ. 21. de uvulæ relaxatæ curatione.

FIG. III. Aspera arteria *in affectibus laryngis, qui suffocationem minantur, à Chirurgo Anatomiæ non ignaro* tutissimè perforatur, *modo sequenti; Inclinato ægrotantis capite retrorsum, non solùm ut aspera arteria reddatur conspicua, verùm etiam ut longior fiat, & ejus interstitia membranosa magis appareant, atramento ducenda est linea, per mediam & anteriorem colli longitudinem, ferè usque ad juguli cavitatem. Deinde digitis tangendum est caput asperæ arteriæ, hinc ex anteriori parte exactè digito finis laryngis inquirendus, quo invento descendere oportet, usque quo tres aut quatuor asperæ arteriæ annuli præteriti sint (tres quidem in brevi, quatuor in collo longo præditis, quem terminum cognoscimus vel sensu vel ratione: sensu in collo excarni; ratione verò, imaginantes conjicientesque latitudinem trium circulorum, quò in casu contulerit, asperam arteriam alicujus sani videre.) ut ibi sectio fiat, non autem statim sub larynge, ne inflammatio, sectioni facilè superveniens, laryngi communicetur, antea plusquam satis occlusæ. Inventus ita locus membraneus, inter duos circulos cartilagineos medius, atramento signandus est secundum latitudinem colli: postea cutis cum subjecta membrana carnosa, hinc inde digitis ministri, pollice scilicet & indice utriusque manus, apprehensa per longitudinem lineæ à larynge ad jugulum factæ* (sic enim nullum periculum est, ut vasa, nervus aut musculus, lædatur.) *scalpello falcato (f.) secanda, ita ut transversa linea in medio sectionis sit, & ipsa sectio tàm longa facienda, ut dilatata pollicis transversi latitudinem contineat, & scalpelli ancipitis (g) usum admittat.*

FIG. IV. *Sectione factâ, digitis labia vulneris diducenda, & sanguis spongiâ (i.) abstergendus, ut musculi duo, qui asperæ arteriæ immediatè incumbunt, & sternohyoidei appellantur, appareant. Tum musculi, quos alba quædam distinguit linea, per longitudinem manubrio scalpelli (h) ut asperæ arteriæ corpus in conspectum veniat, diducendi sunt.*

FIG. V. *arteria apparente, spatium retuso hinc inde hamulo conservandum, donec sectio per aciem spathæ dimidiæ g. inter unam & alteram cartilaginem fiat transversa. Scalpellus autem tàm altè immittendus, ut ad cavitatem asperæ arteriæ penetret: cujus penetrationis indicium erit, si spiritus cum murmure per vulnus exibit. Hinc cannula (k) argentea, foraminata, incurvata, magitudine vulneri arteriæ exactè respondens, brevis, ne interna arteriæ latera attingat; alata, ne à spiritu intrò trahatur, filisque duobus alligata, ut extrahi & firmari possit, vulneri arteriæ facto immittenda, in eoque tàm diu relinquenda, donec metus inflammationis præterierit. Postea extrahatur cannula, & renovato, si opus fuerit, cutis & membranæ carnosæ vulnere per scarificationm, labia adducantur suturâ, adductaque conserventur linteolis emplasticis, & decenti ligatura.*

FIG. VI. ostendit setaceum auriculæ sinistræ lobo inustum, *pro interceptione materiæ, quæ illinc per venam, acu nunc perforatam & adustam, quotidiè fluxit, ad nutriendum & augendum tumorem, qui ex crassiore basi de collo propendens, ob venas jugulares, & arteriæ carotidis internum ramum, neque amputari, neq; à cute separari potuit. Eschara à butyro ablatâ, setaceo immisi annulum primò plumbeum, donec illud undique consolidaretur: quo facto, plumbeo substitui aureum & margarita pulcherrima adornatum, qualem hodie mulieres Arabum in utroq; aurium lobo gestare decorũ existimant. Hâc annellatione non modò fuit impeditum tumoris incrementum, verùm etiam per accidens in tantum decrevit, ut patiens nobilis, thorace induto, ipsum facili negotio occultare potuerit: De excisione & amputatione tumorum cum folliculo vid. Tab. XXXV. Fig. II.*

FIG. II. monstrat inustionem occipitii *adultorum ferramento candente & rotundo, ubi apoplexia, aliorumque soporosorum affectuum, est periculum. Solet autem occipitis cavitas ferramento candente aduri, potissimum in infantibus nuperrimè natis, & pueris lactentibus, quos gravissimus ille morbus, quem comitialem vocant, frequentissimè infestat, ob eorum cerebri temperiem frigidam & humidam. Pro hujus morbi, tam curatione quam præservatione, Medicina præsentaneum invenit auxilium, nempe occipitis inustionem, quæ ut tutissima est, ita etiam humores pituitosos, qui caput aggravant, sæpe numero, cum manifesta utilitate, revellit, derivat, & evacuat. Hinc etiam occipitis inustio, in quibusdam locis, tam frequens est, ut Florentia nulli, vel certè paucissimi, inveniantur pueri, qui eam non statim post baptismum sustinuerint. Abrasis igitur capillis ferramentum occipitis cavitati; quæ est inter primam & secundam colli vertebram, respondens, ovale & oblongum (Tab. VII) candefiat, quo cavitas in exiguo periculo tenella ætate, & extra paroxysmum, semel & leviter saltem tangatur. In majori verò periculo, provectiore ætate, ipso paroxysmo, & ubi per multos dies locus apertus conservandus est, ferramentum, bis vel ter, altius adigatur. Postea loco adusto applicetur, vel butyrum cum diapalma, vel triapharmacum, ut eschara decidat, qua ablata, ulcus per necessarium tempus detineatur apertum, & fluens cerato Sacro aut diachylon; ultimò cicatrice obducatur cerato de cerussa, vel alio epulotico.*

In eodem loco setaceum *tribus instrumentis, forcipe nimirum, acu ignita, & setone paratum, evacuat humores, qui caput replent, revellendo ab oculis ad cervicem; derivat, qui ad partes oris & pectus defluunt, & intercipit, qui ad spinalem medullam artuumq; juncturas destillant.* Cum autem tanta sit setacei utilitas, visum est ejus inducendi rationem & modum, in studiosorum gratiam, verbis & figuris aliquot subjicere.

Æger scabello humili insideat, & Medicus digito indice locum pro setaceo aptum, seu cavitatem illam, quæ est inter primam & secundam colli vertebram, inquirat. Qua percepta, capilli statim deradantur, & locus perforandus atramento scriptorio per longitudinem notetur, ita ut linea in media cavitate fiat: ne autem medius ille locus fallat, æger rectam cervicem chirurgo offerat. Mox chirurgus ambo foramina adhuc facienda, tum a dextris, tum a sinistris, similiter atramento scriptorio signet, ut utriusq; signi interstitium sit unius & dimidii transversi digiti, plus minusve, prout ægri cutis crassa, aut tenuis fuerit.

FIG. VIII. *Loco signato, atramentoque exiccato, æger caput retrorsum ita inclinet, ut cutis panniculusque carnosus laxentur: hinc chirurgus cutem, & membranam carnosam, digitis primò à musculis subjectis abducat, dictorumque integumentorum, quam plurimum fieri potest (intactis tamen cervicis musculis, ob convulsionis, aliorumque accidentium malorum, timorem) tenacula (l. vel m. Tab. VIII. Fig. I. II. & III.) idoneâ comprehendat, ad se trahat, & arctè constringat, ad bonam laborantis tolerantiam, vel potius ad dolorem, ut sic constrictis nervis pars perforanda quasi obstupescat & patiens sensum pyrotici, alias satis dolorifici, minus percipiat. Ea autem ratione, cutem & membranam, forcipe apprehendat, ut anterius linea per longitudinem cavitatis ducta, & utrinq; foraminum faciendorum nota, per forcipis foramina oculis objiciantur. Deinde acum (n. Tab. VII. Fig. IV.) optimè ignitam, ut facilius & citius penetret, per utrumque forcipis foramen, ictu quasi oculi trajiciat, iterumque extrahat.*

FIG. IX. *Postea immota forcipe, puntale, quod in una extremitate globulum obtinet cereum, in altera sericum funiculum habet adnexum (Tab. VII. Fig. V.) transmittat, funiculumque, ovi albumine imbutum, trahat usque ad medietatē, butyro recenti illitā, ibiq; immotū relinquat.*

FIG. X. *His factis utrumque serici extremum ad anteriora colli & pectus ducat, & partem linteo quadruplici aquâ rosarum & albo ovi, ad prohibendam inflammationem, expresso, atque convenienti fasciâ, deliget. Sequentibus, plærumque usque ad sextam, diebus, antequam funiculum, nunc ad dextram, nunc ad sinistram, paululum ducit, eam funiculi partem, quæ cuti submittenda, aliquo digestivo oblinat, & extra diplomā quadruplex, dicto medicamento expressum, apponat, quousque ulcus bonum generet pus, & timor inflammationis præteriit. Tunc funiculum submittendum sequenti, vel similis, unguento illinat:*

℞. Terebinth. Venet. in aq. malv. lot. ℥j.
Syrup. rof. ℥ß.
Pulv. turbeth. & Rhab. ana. ℈js. M. pro Ung.

& desuper emplastrum ad fonticulos Tab. ultima Litt. E. descriptum, applicet, quam diu ulcus apertum tenere est animus. Ultimò funiculum, sensim & sensim, extrahat, & cutim musculis subjectis adglutinet, imposito cerato divino, plumaceolo quadruplici & ligatura cōpressivā.

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

De sectione setacei, evulsione pilorum oculos irritantium, excisione tumorum cum folliculo, curatione palpebræ superioris, quando nimirum vel relaxatur, vel contrahitur, staphylomatis, & pterygii, vulneris labiorum in gena mediantibus plagulis emplasticis ad mutuum contactum adductione, & oris leporini correctione.

FIG. I. *est modus parandi setaceum cum forcipe, Tab. VII. Fig. X. & scalpello, Tab. XVIII. Fig. VI. depictō, quem Guil. Fabr. Hild. cent. 1. obs. 40. describit & priori, qui sit ferro candente, præferendū censet, propterea quod ignis tum partem desiccet & roboret, tum etiam ægrotantibus dolorem, & horrorem, inferat. Quoniam verò siccitas illa butyro recenti corrigitur, dein calor & dolor mediocris, ad attrahendos peccantes humores, multum valent, ægrique à sectione aquè abhor-*


Fig. I
TABVL. XXXV.
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
35



reant, quàm ab inustione, neglectis Hildani rationibus, quam plurimis setaceum inussi optimo etiam successu, ratione decipiendi ægrum observans, quem Tabul. XXX. Figur. VII. tradidi.

Fig. II. *monstrat* 1. evulsionem pilorum, *in palpebris Paulinam; Palpebra digitis invertatur, pili oculum pungentes & irritantes volsellâ extrahantur, cutisque globulo specilli candente comburatur, ut condensetur, ne pili in eâ iterum renascantur.* 2. Excisionem Atheromatis, *quod* in medio frontis *enatum, magnitudine nucem juglandem superavit. Inciditur in hâc figura cutis, quæ atheromatis folliculũ tegit, per transversum, scalpello aliàs falcato, in quarta verò figura per longitudinem, ut integer abscessus cum sua tunica, separari possit. Incisionem frontis transversam considerabiles sequuntur affectus. Incisis namque per transversum fibris musculorum frontis, supercilia dependent, & palpebrarum apertionem impediunt: succedit etiam paralysis palpebrarum incurabilis, ob incisionem nervorũ: quod expertus est Adrianus Spigelius, in levi tantum vulnere nervi frontis, ut annotavit* in Fabr. corp. hum. l. 7. c. 2. *Quia tamen hujusmodi tumor in medio musculorum frontis oriebatur, sectioque transversa paucissimas musculorum fibras lædebat, eam nulla sequebatur aut paralysis, aut aliud vitium, quod palpebrarum elevationem impediret. Ut autem atheromatis hujus excisio melius intelligatur, tumorum tunicatorum curam hîc brevissimis describam verbis.*

Tumores tunicati, ut meliceris, atheroma, & steatoma, aut velut ex tenui pedunculo ficus propendent *Tab. XXXIII. Fig. II.* aut latiore basi partibus quibusvis inhærent. *Propenduli non exciduntur, sed amputantur ad imum in pusillanimis, filo ad stuporem partis constricto, & relicto, donec tumor decidat; in cordatis scalpello. Quòd si, post tumoris propenduli abscissionem, sanguis copiosè profluat, aut filum aliquid de radice relinquat, tunc, ne recidiva sit metuenda, locus ferro candente leviter tangatur, escharâque ablatâ, cicatrice obducatur. Hic chirurgiæ modus expeditissimus est, & ob ulcus parvum ac æquale, curatio compendio transigetur. Qui latiore basi partibus incumbunt, vel sunt exigui, vel mediocres, vel majores, vel maximi: exigui nucem avellanam, mediocres juglandem, majores ovum gallinaceum, & maximi peponem magnitudine æquant. Maximi, ob venas & arterias, separari nequeunt, hinc amputandi sunt. Amputatio autem, seu abscissio, juxta Hier. Fabrit. ab Aquap. fit forcipe, qui recipit & constringit totum abscessum, ad ejus radices, qui postmodum, ad evitandum sanguinis profluvium, scalpellis incidentibus ignitis, præsecatur totus supra forcipem (qualem depingit Guilh. Fabr. Hild. cent. 1. obs. 2.) absque eo, quod cutis à folliculo diducatur. Locus deinde concoquentibus, mundificantibus, sarcoticis, & epuloticis tractetur. Reliqui exciduntur, non amputantur. Excisio autem fit hoc modo.*

Primò patiens, tum ad lumen illustre; tum ad chirurgum, quàm commodissimè vel in sella, vel in lecto, collocandus est; & si timidus sit, sive puer, sive fæmina, sive alius pusillanimis, manibus ad dorsum retractis religandus, ne vel doloris impatiens sectorem in agendo variè manibus impediat, aut pavens quoquo versum agitetur, ut ex Hipp. de offic. Medic. Marcus Aurel. Severin. l. de abscessib. anom. c. 23. monet. Collocato ægro, capilli (si tumor est in capite, alias opus non est) deradantur, atramentoque signetur sectionis longitudo, quæ tanta sit, quanta est tumoris rotunditas. Interdum tumor postulat duplicem & cruciformem cutis incisionem, & tunc incisio prima longior sit, quàm secunda. Fit unica incisio supra tumorem exiguum & mediocrem, præsertim cum musculo frontis, vel temporali inhæret, ne transversim lædantur eorum fibræ, aut vasa. Cruciformem sectionem requirit mediocri proximus & major: eam etiam admittit tumor capillis tectus. In simplici & cruciformi tamen incisione cavendum, ne folliculus subjectus incidatur, in meliceride præsertim, evacuatur enim humor, & concidit tumor, ut folliculus difficulter separari possit. Necesse enim est, tunicam, quæ materiam melli vel pulticulæ similem continet, integram auferri: nam si vel minima illius portio relinquatur, renascendi illius occasionem præbebit. In steatomate autem, cum adiposa illa pinguedo, vel solidior sevi substantia, difficulter effluat, in folliculi læsione usq; adeò urgens periculũ non est; quod si non concidat abscessus, levi occasione tunica potest diduci. Debet igitur scalpellius falcatus, quo sola incidatur cutis, aciẽ exterius recurvatã habere Fig II. Facta sectione, vel una per longitudinẽ, vel duplici per crucem, latior specilli pars Tab VIII. Fig. VI. inter cutim & folliculum, qui diversum à cute habet colorem, immittatur, quâ sensim folliculus apprehensus à cute diducatur, quod facilè fiet, quoniam folliculus cuti non valdè adhæret. Quod si folliculus in circuitu cuti magis adhæreat scalpelli obliqua manu detenti acie (Tab. II. Fig. I.) & subter manubriolo scalpelli Tab. XII. Fig IV. separetur. Inter separandum sanguis effluens sæpissimè spongia abstergendus, ne sectorem turbet. Si chirurgus ad fundum folliculi pervenerit, venam, tumori nutrimentum afferentem, scalpelli acie, per transversum oportet incidere, ne vel minima relinquatur folliculi portio, & tumor regeneretur. Hoc peracto & folliculo ad unguem extracto, vulneris labia (si laxiora, prius cutim redundantem resecet, deinde) conjungat (dimissâ ob patientes multis doloribus jam pertæsos suturâ) linteolis emplasticis in crucem appositis. Hâc ratione duo atheromata, ad magnitudinem ovi anserini accedentia, in genu religiosi cujusdam felicissimè curavi.

Quod si folliculus jam sit ruptus, vel per se, vel per chirurgi incuriam, tum necesse est, ut vel tumor revertatur, vel remaneat ulcus fœdum, & fermè incurabile. Ubi considerandum tempus ruptionis. Si modò sit ruptus, immittatur, inter cutem & folliculum, latior specilli pars, vel scalpelli manubriolum, donec membrana tumoris in totum fuerit separata. Quod si multò ante sit ruptus, is vel septicis consumendus in timidioribus, vel ferramentis candentibus in fortioribus: quo consumpto vulnus concoquendũ, mundificandum, carne replendum, & cicatrice obducendum. vid. Aëtium Tetrab. 4. serm. 3. cap. 7. & 8. & Celsum l. 7. c. 6. de cura meliceridis, steatomatis, & atheromatis manuali, quam his verbis describit. Omnia derasa ante, si capillis conteguntur, per medium in longitudinem, vel crucem *oportet incidere: sed steatomatis tunica quoque secanda est, ut ef-*

fundatur quicquid intus coiit, quia non facilè à cute, & subjecta musculorum *carne, ea tunica separatur. In cæteris,* ut meliceride, & atheromate, *ipsa tunica inviolata servanda est. Protinus autem* cute incisa, tunica *alba & intenta se ostendit. Tum, scalpelli manubriolo,* tunica *diducenda à cute & carne est, ejicienda q; cum eo, quod intus continet. Si quando tamen ab inferiore parte tunicæ musculus* firmiter *inhæsit, ne is lædatur, superior pars illius* tunicæ forficula *decidenda, alia,* vel reliqua portio, *ibi relinquenda. Ubi tota* tunica *exempta est, oræ* vulneris *committendæ, fibulaque* seu sutura, (modò eam admittat æger) *his injicienda, &* desuper *medicamentum glutinans dandum est. Ubi vel tota tunica,* vel dimidia, quæ musculo firmiter inhæret; *vel aliquid ex ea relictum est, post erodentia,* vel leviculum ignem, *pus moventia adhibenda sunt.*

FIG. III. *ostendit, in dextro oculo, palpebræ superioris relaxationem, & in sinistro ejusdem curationem: quam Hier. Fabritius ab Aquap. crudeli & obsoletæ Celsi chirurgiæ præferre, & sequentib. verbis commendare videtur: Ego autem, quando oculum superior palpebra operit, pono unum glutinum* (seu linteum glutino meo imbutum.

> ℞. Sang. Dracon.
> Thuris.
> Sarcocoll.
> Mastich. ana ℥. F. Pulvis, & cum ovi albumine agitato fiat mixtura, instar mellis, crassa.)

cum duabus vel tribus *habenis supra totam superiorem palpebram; alterum verò simile* priori linteo, quoad habenas, *supra supercilium in frontem, tum ambas,* vel omnes tres *habenulas superiores attractas inferioribus* habenulis *alligo. Et ita aperitur oculus, fit quoque, ut spatio temporis congruo, curetur palpebra relaxata, beneficio dicti glutinis adstringentis & siccantis,* & palpebram ac frontem *contrahentis. Hæc curandi ratio optimè succedit, quia non tantùm exiccat quod influxit, verum etiam novum humoris affluxum prohibet, quam expertus sum, in nobili quadam fœmina, teste Iohann. Georgio Baulero, qui huic fidem adhibere noluit, donec ipse effectum, cum admiratione, viderit.*

FIG. IV. *ostendit in fronte sectionem cutis cruciformem supra atheromatis folliculum, de quo supra Figur. II. Sectione per scalpellum falcatum, cutis facta, eam, si specillo separari nequit, Chirurgus à folliculo diducere incipiat scalpello Tab. II. Fig. I. quod ut rectè assequatur, cautè incedat, cultrumque transversim potius quàm rectum adhibeat;* rectus enim nimis velociter incidit, & follicum necessariò lædit.

In dextro oculo vitium τῶ λαγωφθάλμου (quod est, quando palpebra superior oculum contegere nescit.) exhibet, in sinistro curationem, ab Aquap. inventam & propositam, quæ mitissima est, &, si continuatur, felicissima. Applicetur linteum glutino imbutum, tribusque habenulis appensum superiori palpebræ (1) & aliud genæ, ita ut superiori linteo ex adverso, cum suis habenulis, respondeat (2) Glutino exiccato linteisque cuti firmiter adhærentibus, eorum habenulæ invicem alligentur valenterque subindè adstringantur. Quod si hæc duo lintea non sufficiant, tertium, cum suis habenulis, applicetur fronti supra supercilium (3) & quartum genæ infra secundum, & tertio ex adverso respondens (4) apponatur, quibus similiter agglutinatis, habenulæ colligantur, nodoq; duplici adstringantur, sic fiet, ut palpebra superior distendatur; adque inferiore m perducatur palpebram, & oculum tegat. Hunc curandi modum ipse nunquam sum expertus, sed administrare sæpius vidi.

FIG. V. *docet* staphylomatis *(quod interdum latiorem habet basin (b) quàm sit ejus corpus reliquum, quandoque angustiorem (a) reliquo.)* curationem, *quæ fit per constrictionem appellatam. Si staphyloma fuerit in dextro oculo, commodissimè æger ad pedes Chirurgi collocatur, capiteque reflexo ipsius genibus innititur: Si vitium in sinistro, patiens sellæ chirurgo adversæ insideat.*

Staphylomatis, quod angustum obtinet fundum, constrictionem Celsus lib. 7. c. 7. *describit.* Diductis palpebris *ad ipsas radices, per medium* staphylomatis fundum *transversè* (ab eo angulo, qui manui dextræ est commodus, ad alterum) *acu duo lina,* seu filum duplicatum, *ducente, deinde* medio fili duplicati inciso, acuque remotâ, *unius lini,* seu fili simplicis, *duo capita ex superiore parte, alterius ex inferiore* strenuè *adstringere inter se* oportet, *quæ paulatim secando id excidunt. Chirurgia autem hæc, & sequens, adhibetur, non ut visus jam deperditus revocetur, (hoc enim impossibile est) sed ut moderatus decor ægrotanti reparetur.*

Staphylomatis, quod latiorem habet basin, curationem Paulus Æginetæ lib. 6. de re Med. c. 19. *tradit: Acum igitur* sine filo, *ab infernis sursum, per staphylomatis fundum trajicere, & alteram acum, duplex filum ducentem, ab* oculi *angulo, qui ad manum est* dextram, *ad alterum, per staphylomatis fundum transfigere, & manente priore acu,* quæ trajecta fuit sine filo, *fili ansam* seu medium *secare & ablatâ acu, alteram staphylomatis partem ad superna, alteram ad inferna, per fila deligare oportet. Hieronym. Fabrit. ab Aquapente, in utroque staphylomate, utitur filo serico, simplici & non torto, atque etiam rubro, quoniam tinctura etiam strictionem atque sectionem adjuvat. Filis in utroq; vitio constrictis album ovi concutiatur, lanaque exceptum oculo imponatur, ad arcendam inflammationem. Altera die, post solutionem fasciæ, oculus lenibus medicamentis tractetur, donec fila, unà cum staphylomate decidant.*

FIG. VI. *ostendit curationem pterygii, quod ab interno oculi angulo obortum, ultra pupillam se extendit, &, visum impediens, operam requirit Chirurgicam, quæ quinque manibus peracta optimè succedit, si eo, qui indicabitur, modo instituatur. Ægro, ut in staphylomatis remotione dictum, rectè collocato, Chirurgus palpebræ, tum superiori tum inferiori, linteum applicet glutinatorium, quorum utrumque habenulam longam, quam ministri manus ab oculo longè distans apprehendat, adque se trahat, ut palpebræ diducantur, & absque incommodo Chirurgi operantis, diductæ conserventur. Alius minister oculum annulo Tab. VIII. Fig. V. firmet applicito.*


Fig. I.
II
TABVL. XXXVI.
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX

plicito. Palpebris hac ratione diductis, oculoque per annulum firmato, Chirurgus hamulum, mucrone suo modicè incurvatum Tab. VIII. Figur. IX. pterygio elevando circa medium pupillæ cautus submittat, ne corneam oculi tunicam lædat, deinde acum modicè inflexam, quæ filum ex serico simplex, & rubro colore tinctū habet transmissum, sub pterygio, per hamulum submissum, elevato trajiciat, fili ambo capita manu sinistra apprehendat, & pterygium, filo distentum, manubrio scalpelli Tab. XII. Fig. IV. in dextra detento, à medio usque ad extremum, sensim & sensim separet. Quo facto, filum removeat, & partem unguis separatam hamulo apprehendat, apprehensam distendat, & separationem pterygii manubriolo scalpelli continuet, donec ad majorem oculi pervenerit angulum, ubi unguis scalpello Tab. XII. Fig. II. tam accuratè excidendus, ut neque ex eo aliquid relinquatur, quod ulceratus vix ullam recipiat curationem; neque ex caruncula aliquid detrahatur, ne affectus, quem ῥυάδα vocant, excitetur. Hac expletâ Chirurgiâ, apponantur oculo exiccantia, de quibus vid. Sennert. Fabrit. ab Aquap. & Celsus.

FIG. VII. ostendit vulnus genæ dextræ cæsim inflictum, & labium superius in medio ad dentes incisorios, instar ossis leporini, fissum.

FIG. VIII. monstrat dictorum affectuum curationem. Vulneris labia ad mutuum contactum ducuntur, & appositis linteis Emplasticis adducta conservantur, donec consolidentur. Os vero leporinum sequenti modo corrigatur: Labiū fissum in utraq. parte hamulis apprehendatur, & à gingivis scalpello idoneo Tab. II. Fig. I. separetur deinde linteum inter gingivas & labium, ne rursus vicem agglutinentur, immittatur, & glutinum utrinque, cum habenulis applicetur: quo facto, labia fissuræ forfice renoventur, & renovata admutuum contactum adducantur suturis, quæ, ne tàm citò abrumpantur, attractis glutini habenulis conserventur, donec labia in totum, beneficio Balsami Hispanici, coalescant.

TABVLA TRIGESIMA SEXTA.

De dentis cariosi adustione, buccam offendentis excisione, ægrotantium, ore validè constricto, nutrione, foraminis in palato p. n. facti obstructione, liquoris in aures periculosa infusione, dentium constrictorum diductione, maxillæ inferioris depressione, vinculi sub lingua incisione, faucibusque inhærentium exemptione.

FIG. I. docet, quomodo dentes cariosi & perforati, ad cariem sistendam, ferramentis candentibus (ex Tabul. XIX. petitis) & in foramen adactis adurantur.

FIG. II. monstrat, quomodo dens in alieno loco genitus, & buccam offendens, ferramento Tab. XI. Figur. II. excidatur.

FIG. III. exhibet applicationem infundibuli, Tabul. X. Fig. XI. delineati & descripti: cujus extremitas intra gingivas extremas immittitur angusta, latior cibum liquidum excipit, & per angustam ad œsophagum eorum, qui valdè constrictos habent dentes, demittit.

FIG. IV. monstrat palatum ex lue Gallica erosum adeò, ut foramen illud in nasi etiam cavitatem penetraret, & vocem articulatam pronunciari prohiberet: quod instrumento aureo, cui spongiola fuit adnexa obturavi, ut patiens verba articulatè & distinctè proferre potuerit. Post usum decocti, foramen illud ferramentis candentibus tetigi, quod natura, separatis prius aliquot offiçulis, carne replevit: ulcus carne repletum, collutionibus oris, & errhinis exiccantibus, cicatrice obduxi.

FIG. V. admonet Chirurgiæ tyrones, ut in curandis aurium affectibus liquores convenientes, blandè potius instillent, quam per siphonem auricularem violenter immittant, ne membrana tympani rumpatur, & incurabilis auditus gravitas subsequatur.

FIG. VI. dentes constrictos valideque commissos diducit instrumento dilatatorio Tab. IX. Fig. IX adumbrato, ne æger fame pereat: ubi dilatatorii usus non conceditur, felicissimo successu clysteres nutrientes in anum infunduntur, quod expertus sum in Melchiore Frisch qui ob vulnus ventriculi per 14. dies solis clysterib. fuit nutritus.

FIG. VII. ostendit applicationem speculi oris, ad explorandos faucium affectus summè necessarii Tabul. XI. Fig. IV. deprimit enim prædictum instrumentum non solum linguam, sed etiam maxillam inferiorem depressam conservat, donec loco affecto penitius perspecto medicamenta fuerint adhibita. Spatula * ad latus posita, pluribusque perforata foraminibus, sola plærumque deprimitur lingua, ut oris vitia innotescant: spatulæ annulo, qui acie præditus, absterguntur crassiora linguæ excrementa, quæ ipsi, in febribus ardentioribus ut plurimum, tenaciter inhærent.

FIG. VIII. docet modum incidendi vinculum sub lingua nimis strictum, & loquelam, ut putant, impediens: quod obstetrices passim ungue, & barbitonsores nostri imprudenter phlebotomo dilacerare solent, non rarò cum magno sanguinis profluvio, & dolore, qui aliorum postea malorum causa existit, quæ Hier. Fabrit. ab Aquap. cum annexo Chirurgiam hanc debitè administrandi modo, verbis sequentibus recenset. Præter linguæ depressionem, & detersionem, tertia linguæ chirurgia est, ut administretur, quando subjectum linguæ vinculum inciditur, de qua antequam dico, vos admonitos velim, de obstetricum ubique locorum temeritate, qua passim, & sine discrimine, in quocunque recens nato infante, digiti indicis ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuò gestant, incidunt, sub eorum lingua ligamentum, quod incisionis opus nisi præstarent, posse in futurum loqui infantem nequaquam credere possunt: quasi verò natura (ô admirabilem & nondum satis deploratam obstetricum ferè o-

mnium inscitiam) non possit loqui homo, qui locutionem, tanquam hominis propriam actionem, obtinet, sine alicujus fatuæ mulierculæ operâ, quæ ipsi auxilietur, & præsidio sit. Et ego vidi infantem nuperrimè natum, qui dum diutius detinebatur, ut expectaret secundinas, neq; plorabat, ne quicquam molestum persentiebat, postquam verò obstetrix vinculum sub lingua imprudenter incidit ungue, statim ex dolore ploravit. Sed hoc minimum est, illud certè longè majoris momenti est, videlicet propter eam unguium Chirurgiam, inflammatione obortâ sæpenumero infantes papillam genetricis vel nutricis conductæ, apprehendere nequeunt, neque lac sugere, propter quam causam sæpissimè moriuntur infantes, aut lactentibus intumescunt mammæ, quod adhuc longè pessimum est, parentes etiam potius vel in partum immaturum ac difficilem: vel in simplicem impotentiam apprehendendi papillam, vel in quodcunque aliud vitium, quàm in veram obstetricis imperitæ culpam rejiciunt. Quæ cum verissima, miror valdè, quod lege sancitum cautumque non sit, ut prohibeantur infantum neces, ab obstetricibus sæpissimè illatæ. Vos igitur moneo, ut præcipiatis, ne unquam obstetrices filios, prolemque vestram aut aliorum, unguibus ad linguam attingant. Quod si vinculum illud in lingua majus fuerit, poterit quocunque ætatis tempore exscindi, quod ligamento tamen huic rarò, imo rarissimè, accidit, quia natura non hominem conderet ad loquendum idoneum, nisi etiam instrumenta ad id aptissima, construeret concederetque. Quod si ex centum millibus unus nascitur infans, cum ligamento majore, quod Chirurgiam expostulet, nihil interest, sive statim post partum, sive post lactationis tempus, sive postea, à Chirurgo exercitato, incidatur. Quod si hoc eveniat, solemus præcipere, ut æger linguam extra dentes exerat, quam Celsus quidem volsellæ dentatæ parte, sed nos forcipe apprehendimus. Interdum neque volsellâ, neque forcipe linguam apprehendere possumus, ut in infantibus aut pueris, qui linguam exerere aut nesciunt, aut nolunt. In his curandum ut plorent, deinde posito inter duos digitos, pollicem nimirum & indicem sinistræ manus, linteo quodam tenui & aspero, quo lingua apprehendatur, foras trahatur, sursum revellatur & incurvetur, ut vinculum appareat, quod dextra tandem manu excidimus. Sumptoq; (non phlebotomo barbitonsorum vulgari & inepto, sed) scalpello ad cuspidem modicè recurvato vinculum linguæ, si majus, quam par sit, transversè secamus, semel, bis, iterumque, donec universum sit dissectum, magnâ curâ adhibitâ, ne subjecta vasa, (quorum incisionem sequitur sanguinis fluxus, huncque aut suffocatio, aut ad minimum virium, in tàm tenerrima ætate, dispendium) violentur, quod sub perito Anatomiæ Chirurgo evenire non potest, qui vasa sub lingua exactissimè novit, & scalpello falcato evitat. Huc usque Hier. Fabrit. ab Aquap.

FIG. IX. docet, quomodo spina piscis, vel ossiculum angulatum, vel aliud inter comedendum faucibus inhærens, nec in ventriculum descendens, convenientibus instrumentis extrahatur, vel in ventriculum depellatur. Eximuntur hæc extranea variis modis. Si sint in conspectu, volsellâ Tab. IV. Fig. I. rectâ apprehenduntur, & è faucibus extrahuntur, adhibito interim oris speculo. Quod si spina, ossiculum, vel alia, hiante ore & linguæ speculo oris depressa, in conspectum non veniant, cum altius in guttur descenderint, tunc volsella recurvata Tab. X. Fig. I. apprehensa verò instrumento Tab. X. Fig. II. sæpius gulæ immisso, impacta educantur. Alii, à cibo, ventriculum digitis, vel pennis oleo amygdalarum dulcium inunctis, & in fauces demissis, ad vomendum irritant, ut unâ cum cibo spina, vel quodcunque extraneum per os expellatur. Verùm cum dictis modis & instrumentis, sæpè frustra spinarum & ossiculorum extractio tentatur, Hieron. Fab. ab Aquap. sumit candelam, ex cera alba ad crassitiem digiti minimi confectam, & nonnihil incurvatam patienti tradit, ut ipse eam in fauces demittat, donec impulsum corpus extraneum in ventriculum descendat.


Nonnulli, in eundem finem, majores deglutire bolos jubent. Aliqui globulum plumbeum filo fortiter alligant, quo sæpius deglutito & retracto illud, quod gulæ firmiter inhæret, in ventriculum detruditur. Cum res gulæ infixa, nec instrumentis per os eximi, nec aliis modis in ventriculum descendere potest, Fabritius ab Aquap. ex Paulo & Leonide, totum negotium naturæ & tempori committit.

TABVLA TRIGESIMA SEPTIMA.

De inustione narium in ozæna præsertim & post excisionem polypi, & ratione instituendi paracentesin thoracis Paulinam & Hippocraticam, dilatandi & curandi vulnera thoracis, pectoris & abdominis, atque provocandi papillas lactantium.

FIg. I. quomodo nares exulceratæ solùm, vel cum corruptione ossis, ferramentis candentibus, & per cannulas immissis, adurantur, docet. His adjunguntur ea, quæ supra Tab. IX. Fig. III. IV. V. & VI. dicta sunt. Curavi sartorem Patavinum ozæna Gallica domi detentum, quæ etiam, post internum decocti ex ligno guajacino usum, per duos annos continuos, â barbitonsore ejusdem loci primario, fuit tractata medicamentis ex antimonio & mercurio præparatis. His tamen nihil conferentibus, patiens per chirurgum, D. D. Spigelii consilium & operam petiit. Spigelius autem eo tempore valetudinarius, domo exire, ægrumque visitare non potuit, unde me Chirurgo illi ordinario adjunxit, mihique præcepit, ut turandam ex linteo puro conficerem, eamque nari læsæ immittterem, ibique per diem naturalē relinquerem, ut ozænæ situs, quantitas & qualitas addisci possit. Mandatis obtemperavi, & turundā extraxi, quam ferè in apice, ac in dextro latere, velut in orbem maculatam, summeq;

fatentem


Fig. I
II
III
IV
A
B
C
C
D
V
E
F
G
VI
I
H
L
K

fatentem inveni; & Spigelio monstravi: qui, hanc subito atque vidit, dixit ulcus esse in summo ferè naris loco, supra scilicet partem cartilagineam, idque in latere dextro, non adeò quidem magnum, sed cum ossis corruptione conjunctum, quod inustionem postulet. Quærenti rationem dictorum, dedit sequentem: quia turunda ferè in apice est contaminata, ulcus situm habet in summitate naris: quia eadem exterius est solùm commaculata, necessariò sinistrum duntaxat latus afficitur; ulcere non adeo magno, quoniam macula est parva; cum osse tamen corrupto, quia turunda est nigra, & valdè fœtet; Chirurgia opus habet, quoniam huic affectui, usque in præsens tempus, medicamenta talia fuerunt incassum adhibita, quæ, si os corruptum non fuisset, ulcus jam pridem ad citatricem duxissent. Quam chirurgiam, seu inustionem naris, per cannulam mihi perficiendam reliquit, utpotè facilem, quæ mearum operationum prima fuit. *Quare cannulam elegi (varias enim habebat Spigelius.) idoneam, (eam scilicet, quæ in latere foramen habuit, Tab. VII. Fig. IV. delineata) illamque linteo, quod vino nigro austero erat expressum, pro illæsarum partium defensione, involvi, ac nari exulceratæ immisi, ut foramen dictæ cannulæ ulcus æquaret; præparatâ & nari immissâ cannula, recepi ferrum, Tab. IX. Fig. VI. optimè candens, quod per cannulam immisi usque ad locum affectum, idemque statim retraxi, repetendo styli candentis immissionem & retractionem ad summum quater vel quinquies,* quàm citissimè tamen, unde ad minimum duo ferramenta ignita, ut loco citato monui, requiruntur. *Post inustionem natura (mitigato prius dolore, & eschara ablata,) medicamentis adjuta, intra 14. dies particulam ossis separavit, & ulcus, applicitis exiccantibus, fuit cicatrice obductum.*

Hanc chirurgiam posthac in pluribus felici cum successu expertus sum, (quamvis Germani, & præcipuè Ulmenses, ab inustionibus quibusvis maximè abhorreant) utroque ægrotantium oculo, ad evitandum instrumenti igniti aspectum, gossipio, & fascia clauso.

Ozæna narium, cum vel sine venereæ luis suspicione, absque tamen ossis carie, si medicamentis curari nequit, exposcit cannulam omninò solidam Tab. IX. Fig. V. quam tamen nunquam, ut verùm fatear, adhibui, neque unquam adhibere vidi. Mihi autem narravit studiosus quidam Mediolanensis, se inustionem per cannulam omninò solidam ab Excell. Hieron. Fabrit. ab Aquapendent. adhibitam felicissimo successu admisisse.

Modus absque dubio fuit iste, quem Autor ipse describit. Immittenda cannula ferrea, (omninò solida. Tab. IX. Fig. V. nec linteo involuta, sed albumine ovi probè agitato, oblinita,) *tam longa, ut ulceris longitudinem adæquet, nariumque cavitatem amuletur, & per ipsam ferramentum candens indendum, quod tamen non nisi cannulam attingat. Sic fiet, ut ferrum candens calefaciat cannulam, & hæc nares & ozænam: nolo autem, ut nares ex hoc calore doleant, sed locus exulceratus citra dolorem calefiat, ad bonam laborantis tolerantiam, qua perfecta, tunc cannula è nari usè vestigio eximenda, rursumque immittenda, totiesque ferramentum candens, quod tantum calefaciat, repetendum, quoûsque exiccata sufficienter pars extiterit: ex pluribus enim iteratis vicibus, & sine dolore iteratâ calefactio supplet ad vicem adustionis parte scilicet exiccando & corroborando & tumores digerendo, atq; ita ulcus sanando.*

F IG. II. *ostendit costas thoracis detectas, ut ea, quæ infra de perforatione thoracis dicentur, chirurgiæ tyrones melius intelligant;* ☿ *igitur locum Paulinum;* ☉ *Paulino inferiorem;* & ♃. *Hippocraticum. Locis enim assignatis thorax in quavis empyematis specie solet aperiri.*

F IG. III. ☿. *monstrat filum triplicatum, quo Paulinus ipsoque inferior locus invenitur:* ♄. *incisionem solius cutis supra musculos interrostales, quæ fit* σκολοπομαχαιρίῳ.

F IG. IV. *monstrat 1. quomodo in vulneribus in thoracis cavitatem penetrantibus, sanguis per canalem (A. Tab. XII. Fig. IX.) descriptam, extrahatur. 2. Qualis, post sectionem thoracis & cannula (B. Tabul. XII. Figur. XII. &c.) pileolus argenteus (C. Tab. XIII. Fig. VIII.) spongia D. & sipho pro injiciendis in thoracem idoneis liquoribus necessarius (☾. Tab. XIII. Fig. II.) sit adhibendus. 3. Quomodo thorax perforandus, & quid post thoracis apertionem, sive Paulinam, sive Hippocraticam, agendum. Ante apertionem verò thoracis quatuor considerandæ sunt. 1. An Chirurgia sit facienda nec ne? 2. quo tempore. 3. quo in loco; 4. quo pacto.* An sit facienda *significabunt quatuor 1. morbus, 2. anni tempus, 3. vires ægri, & 4. magnitudo mali, seu quantitas humoris evacuandi.*

I. Morbus, si scilicet in capacitate thoracis, vel pus ex vomica peripneumonia aut pleuritide, vel biliosus ichor ex erysipelate pulmonû, vel aquosus humor ex hydrope thoracis, vel sanies cruenta, loturæ carnium similis, vel sanguis ex vulnere in thoracem fluens. Hanc collectionem materiæ dignoscimus, primò ex respiratione, quæ tantum est difficilis in inspiratione, ob pulmones liberè, propter materiam collectam, sese expandere non valentes: non verò in exspiratione, cum materia suo pondere pulmones comprimat. Secundò ex pulsibus celeribus vehementioribus, frequentibus, parvis, inæqualibus, & inordinatis. Tertio ex prægressa febre, cû accidentibus vehementioribus. Quartò, ex decubitu in sanum latus difficili, quod materia peccans pulmonibus incumbat, & eos gravet, ne liberè huc vel illuc moveri possint. Quintò ab inundatione in thoracis cavo percepta. Quibus sextò addi potest tussis, quæ tamen non est semper in omni empyemate, sed tunc saltem, quando materia in bronchiis pulmonum continetur, quæ interiorem asperæ arteriæ tunicam & ejus caput, partes exquisito præditas sensu, *sua vel copiâ vel acrimoniâ, irritat, atque ita tussim excitat.*

II. Anni tempus, Hippocrates solstitium hyemale & æstivum evitare jubet, quod iis temporibus maxima & quasi repentina fiat aëris permutatio: vel cum semper post sectionê aliquid aëris thoracem ingrediatur, præsertim verò dum evacuatur materia per vulnus recens factum, tempora dicta quantum possibile erunt fugienda.

III. Vires. *Nisi enim vires benè aut mediocriter constent, intermittenda erit hac manualis operatio, ne scilicet nobilissimum aliâs perforationis præsidium, ægro mortuo, diffametur. Vires autem metiuntur Medici plærumque à pulsibus, qui tamen illos in hoc casu decipere possunt, quod talis materia in thorace collecta pulsus faciat parvos, celeres, frequentes & inordinatos. Certissimum*

simum autem earum, si constant, signum est, cum ægri vel sedere, vel ambulare queunt, beneficio naturæ benevalentis, aut subsidio scipionis alicujus.

IV. Quantitas. *Si enim pauca materia in thorace fuerit, non opus est apertione. Natura enim ipsam aut digeret, aut per urinarias vias, aliaque loca, secernet: Si verò copiosa, sine mora & incunctanter instituenda est apertio, ne quantitate materiæ suffocetur æger, aut ejus qualitate prava corrumpantur pulmones.*

Sed quo tempore? *Id nobis insinuasse videtur Hippocrates l. 6. Epid. s. 7. text. 9. inquiens: hydropicos in thorace θᾶσσον secare oportet, tabescentes verò αὐτίκα urere. Interpretes utrumq; vocabulum verterunt statim, sed θᾶσσον hic minus significat, quasi Hippocrates dicat, hydropicos minus citò, tabescentes verò citissimè & statim secandos esse, aut urendos. Ratio est; quia Hydropicis, cum materia colligatur sensim in thorace, non opus est, ut ab initio statim fiat operatio: quia tùm demum nocet collectio illa, ubi in magna quantitate fuerit: At tabescentes & Empyematici, materiam unico quasi tractu, ruptâ vomicâ, colligunt, undè statim thorax aperiendus. 1. ne patiens suffocetur propter dilatationem pulmonum, à materia purulenta quantitate, impeditam. 2. ne ab erodente pure, vel in pulmonibus, vel in alia thoracis parte, ulcus aliquod nascatur, quod aut difficilima, aut nullius postmodum sit curationis.*

Quo loco? *Debet esse locus talis, in quo tutissimè apertio fieri potest. Loca autem sunt multiplicia, anterius, posterius, ad latus, inferius, & superius. Sed anterius & posterius neque benè neq; tuto fit thoracis apertio, propter musculum pectoralem, & musculos dorsi admodum nervosos, qui valdè periculosè inciduntur. Ergo restat, ut apertio instituatur ad latus, & vel superius vel inferius, nam in hoc musculi pectori non ita adhærent. Anterius tamen aliquando, in regione scilicet sterni, si materia inter mediastinum fuerit collecta, fieri solet apertio. Paulus ergò* lib. 6. c. 44. *in superiori lateris parte; Hippocrates verò* lib. 2. de morbis *in inferiore thoracem aperit. In superiore quidem inter 5. & 6. costam numerando à supernis. Tab. XXXVII. Fig. II.* ♀ *in inferiore inter 3. & 4. numerando ab infernis Tab. XXXVII Fig. II.* ♃.

Paulus *locum suum invenit, numeratis vertebris thoracis, à supernis incipiendo, inter 5. & 6. vertebram filum imponit in apice spinæ dorsi, & ad medium sternum deducit: Deinde tertiam fili partem, eamque à sterno ad spinam demetitur & quo extremitas fili triplicati pertingit, locum atramento signat: qui ita signatus rectam & perpendicularem cum papilla mammarum facit lineam Tab. XXXVII. Fig. III.* ☿.

Hippocrates *inter 3. & 4. costam pectus aperit numerando ab infernis, & causa est, quia hâc ratione pus, aliaque in thorace contenta materia, melius effluit; & eligit locum, ubi est eminentia illa & flexura costarum, quibus musculi adnascuntur, non tamen super illam, aut retroversus dorsum, eò quod ibi musculi nervosi apertionem impediant, sed paulò anterius versus sternum. Tabul. XXXVII. Fig. II.* ♃. *Videtur quidem in hoc loco periculum esse propter diaphragma, ne lædatur, nullum tamen est, quia diaphragma, ubi costis adhæret, tàm altè non ascendit (copia enim materiæ deprimitur) ut lædi possit. Ubi ergò materia collecta fuerit, ibi apertio molienda est. Si in parte sinistra, in latere sinistro aperiatur thorax; si in dextra in dextro; si in utraque utrobique. Ex his tamen recensitis locis, Hippocraticus eligendus, quod pus, vel aliena materia in thorace collecta, ob declivio rem apertionis situm, melius evacuetur, quàm in Paulino. Hic tamen non simpliciter contemnendus, siquidem si re paulò diligentius consideratâ, in latere dextro sit administranda apertio, locus Paulinus Hippocratico præferendus, quod in dextro latere hepar gibba sui parte diaphragma sursum pellat; in sinistro vel Hippocraticus, quod diaphragma, ob humiliorem lienis sedem, & copiam materiæ, ad inferiora detrudi possit; Unde Hipp.* lib. 2. de morb. *inquit, optandum esset, ut in sinistra parte materia evacuanda semper decumberet, vel Paulino inferior, scilicet inter costam 6. & 7.* ☉. *Tab. XXXVII. Fig. II. In vivis namque non ita altè ascendit diaphragma, ut in mortuis. His igitur in locis thorax aperitur sine offensione, pericardii, pulmonum, & septi transversi.*

Modus *autem hic est. Thoracis apertio fit vel sectione, vel ustione, vel perforatione. Sectionis & ustionis mentionem facit Hipp.* sect. 7. aph. 47. *dum inquit quicunque suppurati uruntur vel secantur, &c. ustionis verò* l. 2. de morbis. *In omnibus tribus modis consideranda sunt ægri decubitus, respiratio, instrumenta & operatio.* Quod decubitum attinet, *ægri corpus & brachium lateris aperiendi mediam habeant figuram, ne musculi nimium contrahantur: Unde in modo Pauli supinus jaceat æger, in Hippocratis autem pronus.* Respirationem *quod concernit, in modo Hippocratico æger debet expirare, ut pulmones concidant; in Paulino autem spiritum continere, ut diaphragma deprimatur.* Instrumenta *pro diverso operandi modo variant. In sectione Hippoc. utitur scalpello, Tabul. II. Fig. I. descripto, & spatha dicto. Paulus verò thoracem aperit σκολοπομαχαίριῳ gladiolo scilicet longo, & ad cuspidem paulùm recurvato, Tab. XII. Fig. I.* Recentiores utroque scalpello. *In ustione verò Hippocrates usurpat ferrum oblongum, nec admodum crassum, quod post inustionem foramen majus fiat, quàm instrumenti est crassities. Hippocrates etiam costam terebrâ cavâ, in cochleæ formam fabrefacta (non* solida, qualem habent sutores, dum perforant calceorum soleas ad filum trajiciendum.) *perforat. Hæ tres operationes, pro diversitate materiæ in thorace contenta, sunt adhibendæ, nam cum alia materia crassa sit, & alia tenuis: illa foramen majus, hæc verò minus requirit. Incrassa itaque, ubi pus collectum est, debet fieri sectio, in tenui verò & aquosa, veluti in hydrope thoracis, vel ustione vel perforatione pectus aperiendum censet Paulus, & Hippocrates. Recentiores ustioni & perforationi præferunt sectionem, quam minorem faciunt in hydrope thoracis, majorem in suppuratis, & maximam in materiæ pituitosæ collectione.*

Sectio thoracis *ita peragitur; invento loco atramentoque notato, æger in medio collocetur situ: deinde scalpello (Tab. XII. Fig. I. & Tab. hujus Fig. III.* b. *) oblique posteriora & superiora versus incidatur: hinc scalpellus (Tab. II. Fig. I.) panniculo albo obligatus (*ita ut summa ipsius pars saltem ad unguis magni digiti mensuram expedita restet, ne altius, quam par est, intromitti

aliqu

aliquid lædat) musculisque intercostalibus externis adhibitus, sensim & paulatim adigatur, donec in cavitatem thoracis penetret. Tab. hujus Fig. IV. ♂. Quodsi vulnus hoc præter spem angustius fuerit, & materia crassior, tunc vel illud scalpello, Tab. XII. Fig. I. & Tab. hujus Figur. V. E, quod pulmones propter obstaculum in extremitate positum offendere nequit, dilatandum: vel ut materia liquidior reddatur, aqua mulsa per siphonem, Tabul. hujus Fig. IV. ☾. infundenda est in thoracem. Facta sectione, emittatur quidem materia in thorace contenta (non tamen tota unica vice, ne vires ægro deficiant, aut majus malum succedat. Si unica vice velimus evacuare, tunc natura, collecta materia quasi assueta, persentit aliquod vacuum, pro quo evitando, in subsidium mittit omnes in toto corpore contentos humores, unde majus empyema, quam fuit antea, orietur) quotidie ad ℥vj. vel quantum vires ferunt. Hac materiæ quantitate emissa, vulnus turunda, ex stuppa, vel lino crudo confecta, & filo alligata, singulis diebus obturetur usque in decimum diem: ubi materia fere omnis evacuata est, per quinque dies vinum & oleum tepefactum per fistulam (Tab. hujus Fig. IV. ☾.) infundatur, ne pulmones humectari soliti derepente exiccentur; deinde cannula argentea Tab. hujus Fig. IV. B. indatur, ut liquor, mane vel vesperi infusus, emitti possit: quod enim mane in thoracem infunditur, ad vesperam evacuetur, quod vero vesperi, mane. Post decimum quintum sectionis diem, cannulæ argenteæ substituatur turunda ex linteo cera alba oblinito, cava, ne vulnus in fistulam immedicabilem degeneret, aut materia in thorace remaneat. Quando thorax omnino exsiccatus est, penicillus ex linteo incerato cavus, in crassitie & longitudine quotidie minuatur, donec vulnus carne repletum, cicatrice possit obduci. In materia tamen aquosa, vel pure tenui, statim post apertionem thoracis, foramini imponatur cannula exacte respondens, & cannulæ penicillus filo alligatus, ne aqua vel pus tenue universim effluat, & ægri moriantur (monente Hipp. sect. 6. aphor. 27.) sed ut tantum materiæ, quantum virium ratio permittit, evacuetur. Quodsi ob aëris frigiditatem, aliamque causam, consultum non est, ut quotidie semel vel bis materiæ detur exitus, cannula spongiola Tab. hujus Fig. IV. D. imponatur, pileolusque Tab. hujus Fig. IV. C. addatur, ut materia omni quasi momento per ejus foramina, paulatim & citra virium jacturam, transudet.

FIG. V. *Vulnerum thoracis & abdominis dilatationem exhibet, quæ scalpellis peragitur.*

Vulnus cuicunque thoracis loco inflictum vel penetrat & pleuram perforat; vel non perforat, & eam minime pertundit. Illud iterum vel est angustum vel latum, & utrumque vel cum partium internarum læsione, vel sine ea.

Vulnus thoracis infra 6. costam acceptum, in cavitatem penetrans, & sine partium internarum læsione satis latum, nunquam consuatur, aut per primam intentionem curetur, ne materia, quæ in cavitatem thoracis fluxit, cum ægrotantis vitæ periculo, præcludatur exitus: sed immittatur primum turunda ex lino crudo parata, filo alligata (ne in inspiratione in thoracem rapiatur.) & sanguinem sistentibus imbuta, ut apertum maneat vulnus. Secundo, & reliquis diebus, vulnus turunda ex linteo parum detrito confecta, & medicamento pus movente oblinita digeratur, & apertum conservetur, ut materia collecta libere possit exire.

Quodsi materia intra thoracem collecta fuerit crassa, atque ad exitum per vulnus inepta, illa attenuetur injectis per aliquot dies lavacris, ex decoctione hordei, passularum & melle rosato, & vulneri imponatur cannula argentea, Tab. hujus Fig. IV. B. digestivo oblinita, spongia ejusdem Tab. Fig. IV D. obturata, & pileolo, ibidem C. cooperta, ut pus injectaque decoctio sensim & sensim expurgetur. Quando purulenta materia convenienter expurgata fuerit, loco cannulæ ex argento alata, vulneri immittatur turunda ex linteo incerato cava, sarcoticoque imbuta, quæ quotidie, ut supra dictum, minor & brevior fiat, ne carnis generationem impediat: Quando prædictum vulnus fuerit angustum, statim scalpello, E. Fig. V. hujus Tab. dilatetur ad materiam expurgandam.

Vulnere supra quintam thoracis costam penetrante, sive lato sive angusto, turunda foramen, stegnotico imbuta, & filo alligata, apertum teneatur, ut eodem, vel sequente die, sanguis in thorace nondum concretus, per applicitum canalem, Tab. hujus Figur. IV. A. extrahi possit.

Quodsi materia ob sui crassitiem, vel sublimiorem vulneris situm, per hunc canalem haud effluat, apertio thoracis mature proponatur, eaque ab ægro vel adstantibus consanguineis concessa, peragatur, modo sub explicatione Fig. III. & IV. hujus Tab. fusius tradito. Hoc præsidio chirurgiæ præsentaneo non admisso, cum materia per vulneris orificium, vel ex se satis latum, vel scalpello frustra dilatatum, effluere nequeat, illa, prædicto vitæ ægrotantis periculo, diureticis potius per os exhibitis tentetur evacuari, quam eclegmatibus expectorari.

In vulneribus thoracis cum parva pulmonum, vel diaphragmatis ad partem carnosam incisione, non solum procuretur materia vel per vulnus ex se latum, aut scalpello dilatatum, vel per foramen novum, vel per vias urinarias exclusio, verum etiam per siphonem in thoracem infundatur, primo decoctum venas sanguinem fundentes constringens, secundo materiam crassam attenuans, tertio vulnus internum detergens, & denique quarto illud consolidans.

Ex vulnere abdominis penetrante, vel prolabitur omentum, vel intestina. Si omentum prolapsum sit, considerandum erit, an sanum adhuc sit, vel putrefactum. Si sanum est, tunc statim, vino calido lotum, blande manuum digitis intro pellendum; deinde vulneris labia ad mutuum contactum ducenda, adductaque suturis, Tab. XXXIX. Fig. V. delineatis, conservanda. Quodsi omentum putrefactum sit, erit extrahendum, & filo, ex serico simplici & rubeo, fortissime constringendum; tum vero portio corrupta supra filum adstrictum, scalpello amputanda, reliquum vero, quod sanum est, vino calido abluendum, blandeque in abdomen reducendum, filo longo

longo extrorsum propendente: deinde vulnus suturis modò citatis conjungendum, sic tamen, ut aliquod spatium, ubi filum propendet, relinquatur. Quodsi intestina fuerint prolapsa, statim & antequam flatibus repleantur, digitis citra violentiam impulsa, in abdomen recondantur. Si foramen, seu vulnus abdominis sit angustum, & intestinum prolapsum, & ob longam extra ventrem moram, à frigidi aëris contactu, flatibus repletum, & adeò turgidum, ut manuum opera ipsum intromittere impossibile sit, tunc diu foveatur spongiâ vino albo & calenti expressa, aut massâ lini crudi in lixivio acri *decocta ut flatus dissipentur, deindè reducatur, & vulnus abdominis debitè consuatur. Si hac ratione intestini prolapsi reductio non succedat, vulnus syringotomo G. & F. dilatetur, ut intestinum intromitti, & vulnus dilatatum, juxta Galeni regulam, consui queat.*

FIG. VI. H. *Quodsi sub vulnere abdominis penetrante,* intestina *crassiora* cæsim vulnerata *sint, tunc blandè protrahantur*, & consuantur, *eo modo, quo pelliones pelles consuere solent; relicta portione fili ex lino contorti, ut extra vulnus abdominis propendeat; postea vino calenti abluantur, & sensim in suum locum reponantur; Ultimo repositorum suturæ inspergantur pulveres ex thure, mastiche, pyrethro, &c. vulnusq; abdominis fibulis uniendum.*

Papillæ lactentium *I. non raro intra mammas ita occultantur, ut ipsas infans recens natus neque ore apprehendere, neque ex iis lac sugere valeat. In simili casu vel nutrix infantis vitri, Tab. XVI. Fig. V. depicti, basin admoveat papillæ occultatæ, & orificium fistulæ ore apprehendat, suctuque papillam extrahat: vel natu grandior vitrum oblongum K, papillæ applicet, & fascia mamillæ alliget, quo facto, angustiorem vitri partē labiis apprehendat, pariterque sugendo papillam evocet latentem. Amatus Lusitanus vitrum angustioris orificii L ferventi aquâ implet, quam, eo impensè calefacto, rursus effundit, vitriq; orificium statim papillæ admovet: hoc namque subitò papillæ firmiter adhæret, eamque tàm validè extrahit, ut ore infantis facilimè apprehendi possit. Dicta instrumenta non solum papillas, verum etiam lac evocant. Quodsi igitur necesse non est, ut simul cum papillis lac extrahatur, tutissimè papillis extrahendis applicatur digitale, ex ligno hederæ paratum.*

TABULA TRIGESIMA OCTAVA.

De abscissione mammæ carcinomate exulcerato affectæ, perforatione fundi fistularum subter costas reptantium, constrictione umbilici Celsina, & cingulo umbilicali.

FIG. I. *ostendit* mammæ *dextra carcinomate exulcerato affectæ.* basin *duabus acubus Tab. XII. Fig. VIII quæ filum ex lino contortum trahunt*, trajectam.

FIG. II. *monstrat, quomodo Chirurgus filorum transmissorum capita collecta, manu sinistra apprehendat, & dextrâ scalpellum Tab. XII. Fig. VII. adigat; eoque* cancrum radicitus abscindat.

FIG. III. *exhibet cancrum à pectore abscissum, qui sex libras Medicinales pependit.*


FIG. IV. *docet, quomodo Chirurgus, post abscissionem mammæ exulceratæ, locum ferramento candente leniter adurat (vid. infr. singul. histor.) saltem pro corroboratione partis.*


FIG. V. *est* instrumentum Hieron. Fabr. ab Aquapend. quo pertunditur fistula thoracis, *quæ à spatio intercostali superiore subtus costam unam vel alteram, vel etiam plures, sese insinuat, videlicet inter pleuram & costas, donec in aliquod costarum subjectarum spatium terminetur. Immittitur cannula argentea & incurvata (a) extremitas, usque ad fistulæ fundum, ut exterius spectet: dein per cannulā fistulæ immissam impellitur acus (b) longa (quæ longè à cuspide foramen habet, & filum ducit) ut fistulæ fundus perforetur, & filum per superiorem & inferiorem sinus portam exeat. Perforato fistulæ fundo, eximatur acus per novum sinus foramen, & fili extremitates colligantur, ut fistulæ foramina teneantur aperta, & materia purulenta per inferius effluat; donec sinus subtercostalis, vel carne repleatur, vel agglutinetur: de reliquis thoracis fistulis vid. infra Tab. XXXIX. Fig. IV.*

FIG. VI. *est Sostrati vinculum, quod maximè convenit, ubi pectus morbo afficitur, qui deligationem requirit. Hanc Galen. l. de fasciis. c. 81. describit. Maximè convenit, ubi medium pectus, vel dorsum, aut latera seu thoracem*, ob vulnus præcipuè thoracis, aut fracturam costæ *volumus devincire: duas igitur fasciolas, tres digitos latas, justæ longitudinis*, summis *humerorum capitibus injicimus, earumque* ambo *capita recta sinimus dependere: deinde fascia glomerata*, vel unius capitis *thoracem totum & latera, ut contegantur, extremamque fasciam nodo alligamus; capita verò, quæ & à priori & posteriori parte pendebant, fasciæ circuitibus assuimus, ac si longiora fuerint, sursum conversa, quà jugulum cum lato scapularum osse committitur, inter se colligimus.*

FIG. VII. *ostendit, quomodo* Celsus prominentiam umbilici chirurgiâ curet. *Resupinato corpore ægrotantis (ut sive intestinum, sive omentum, sive utrumq; per umbilicum plærumque dilatatum prolabitur, recondatur) umbilicum forcipe apprehendit, ad se trahit, & ad basin acu (quæ duo fila serica, simplicia & infecta, ducit) trajicit: postea filorum ansam scalpello incidit, & colligatis utriusque fili extremitatibus umbilici exaltati basin validissimè constringit, ut id, quod supra vinculum est, emoriatur, & decidat. Quia tamen dictam Celsi chirurgiam tàm facilè non admittunt ægri, mitiorem*

& à


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
C
D
D
D
L
F
G


TABVL.XXXIX.
I
II
III
IV
V
VI
VII
IIX
IX
X
39.

& à me sæpissimè expertam excogitavit Hieron. Fabrit. ab Aquapendente, quam administrat medicamento & cingulo sequentis Figuræ.

Occasione hujus materiæ, rarissimam in infante, umbilici relaxationem, & intestinorum extra corpus propendentium p.n. prolapsum, ex matris repentinâ imaginationis impressione, mihi 14. Ianuarii 1643. à Clarissimo Domino Doctore Ioann. Georgio Gockelio, Reipub. nostræ Physico ordinario Medicoq. assiduo, & collega meo plurimum honorando, acceptam, non immeritò hic inserere placuit. Villica (ita sonabant verba) quædam Berenstattensis, Vlmanæ ditionis, Iacobi Höckeri conjux, præcedenti messis tempore, sed primis gestationis mensibus, suburbanis rusticisq. operationibus incumbens, & frumenti per agrum hinc inde sparsos manipulos colligens, sub eorundem uno, reptantium viperarum acervum subitò animadvertit, harumque & motum & figuram, umbilicali regioni superimpositâ manu, ita strenuè sibi imaginata est, ut toto quidem quo utero gerebat tempore, utcunq. benè habuerit, at heri, circa crepusculum vespertinum, filiam, sacrâ mox undâ Barbaram initiatam, quoad reliqua vividam quidem peperit, sed, ex radicatâ illa imaginatione, non benè formatam, adeò ut omnia natæ hujus intestina, aliàs, secundum naturam, in inferiore ventre occultanda, hic, præter naturam, per relaxatum umbilicum, extra corpus, tanquam magno in culeo recondita, soloque peritonæo investita, conspicienda se præbuerint; quæ etiam extra jam uterum posita (materno videlicet & salutari calore destituta, à circumstante insuper aëre frigidiore læsa, & coarctata.) nec hypocausti calidioris beneficio, non tegumentis, non ullo Medico & artificio, & auxilio, in suo naturali statu conservari potuerunt: Hinc elapso biduo, & sequenti Dominico die, vix hunc ingressa Mundum, ad beatorum iterum sedes migravit.

FIG. VIII. *A. est* cingulum umbilicale *ex linteo duplici gossipino paratum, quod ea parte E, qua umbilicum contegit, scutum, veluti placentam, duriusculum obtinet, in cujus centro globulus ex adstricto linteo est, qui in umbilici dilatationem sese insinuet, ut intestinum, aut omentum, vel utrumque rursus exire prohibeat; sed prius ceratum constrictivũ super alutam extensum, debet apponi, postea, cingulo applicito, abdomen constringi. Aliqui cingulo umbilicali A. addunt fascias scapulares B. C. quæ tribus transversis linteis D. colligantur & cingulum humeris annectunt, ne descendat, sed firmiter regioni umbilicali inhæreat. Sed eæ necessariæ non sunt, quoniam ossa ilij descensionem cinguli, subligamina F. G. verò ejusdem ascensionem prohibent.*

TABVLA TRIGESIMA NONA.

De cingulo prominentiæ umbilici applicito, & modo perforandi abdomen, incidendi fistulas thoracis externas, suendi vulnera abdominis, applicandi bracherium, & evocandi urinam suppressam.

FIG. I. *ostendit* cingulum umbilicale, *Tab. præced. Fig. VIII.* viro applicitum; *quo solo plurimis mediocres umbilici prominentias tam in viris quam fœminis, cum in adultis tum pueris, curavi, & majores, ne creverint, prohibui.*

FIG. II. & III. *monstrat locum, modum & instrumenta paracenteseos, in abdomine hydropicorum peractæ. Circa hanc operationem chirurgicam etiam quatuor consideranda sunt, primò an sit facienda? secundò quo tempore? tertiò quo in loco? quartò quo modo? An facienda, significabunt morbus & ægri vires. Morbus est Ascites tantum, aut cum reliquis hydropis speciebus aqua permista est: si scilicet tumor abdominis, à copiosissimo præsertim aquæ potu, brevi temporis spatio ad insignem magnitudinem pervenit, & medicamenta per os exhibita non juvant, eo quod virtus eorum, calore naturali humoris copia oppresso, in actum deduci minimè possit. Vires constantes sint oportet, quas cognoscimus, quando æger adhuc erectus stare; aut sedili sine incommodo assidere potest. In malo itaque inveterato, viriumque debilitate (quam indicant senium, pueritia, tussis, ventris fluxus, cachexia, febris ardens prægressa, viscerumque schirrhus & corruptela) operatio nullum habet locum.* Tempus *est statim, antequam scilicet in abdomine conclusus humor visceribus & cæteris interioribus partibus noxam notabilem inferat.* Locus, *in quo sit paracentesis, vel est in umbilico, vel sub umbilico, tribus aut quatuor digitis ægri transversis interpositis, idque vel in dextra, vel in sinistra, nunquam media abdominis parte ad lineam albam. Vbi umbilicus ita laxatus est aut tumens, ut inter exteriorem partem, ac internam cavitatem & aquam, tenuissima tantum cutis intercedat, quæ vel ipso tactu, digitique compressione & perspicuitate deprehenditur, commodissimè in umbilico aperitur abdomen. Verum si laxitas illa umbilici non appareat, tum abdominis pars umbilico inferior, & dextra perforetur cum lienis vitio, sinistra, si hepatis culpa ascites orta fuerit.* Modus *comprehendit situm patientis, instrumenta, & operandi rationem.*

Æger, qui propter aquam abdomen valdè tumidum & distentum habet, supinus in lecto collocetur, vel scabello insideat. Instrumenta quibus hydropicorum venter commodissimè aperitur, sunt duplicia, videlicet vel instrumentum ex cannula alata H. & acu I. compositum, Tab. XII. Fig. XVII. pro perforatione umbilici; vel scalpellus K. ad cuspidem parumper recurvatus, & ex unâ tantum parte aciem habens Tab. XII. Fig. I. pro apertione abdominis infra umbilicum. Umbilicus tutissimè perforatur, si instrumentum Tabul. XII. Fig. XVII. cannulatum fascia assuatur, illudque in medio ipsius adigatur L. usq. ad cannulæ alterissimum, postea acus è cannula eximatur, & cannula usque ad alam abdomini immittatur, ibique relinquatur. Sectio infra umbilicum necessaria variat. Fallopius sectionem administrat hac ratione. Secat prius cutem per transversum abdominis ad pollicis magnitudinem, gladiolo falcato, & ex altera parte obtuso, qua incisa, reliquum cautè perforat scalpello, quo Germani venas ad emittendum sanguinem incidunt, phlebotomo nimirum vulgari. Hieronym. Fabritius ab Aquap. eodem utitur gladiolo quo Fallopius, sed illud quadantenus oblique in cutem demittit, donec ad cavam usq. regionem penetraverit, & peritonæum etiam perforârit. Ad cavitatem scalpellum penetrasse, non solum aqua exitus indicio est, verum etiam dignoscitur à chirurgo in sectione abscessuum exercitato, quando prementi nihil renititur. Sectione facta, gladiolum extrahit, & cannulam argenteam, tersam, alatam, à lateribus perforatam, longiorem prima vice (in posterum breviorem N. quæ tantummodo in cavitatem pertingat) *ad extremum obliquam*, scalpello exactè respondentem, *& fascia annexam, ne extra foramen labi possit, O. Per hanc cannulam humorem serosum non confertim, sed tantum emittit, quantum vires, qui ex pulsu rectissimè & certissimè cognoscuntur, concedunt. Sero in debita quantitate evacuato, cannulam non extrahit, sed in abdomine relinquit, & turundâ ex linteo claudit, P. postea aquam iterum educturus. Hydropici perforati diligenter custodiantur, ne ipsis insciis solvatur fascia, procidat cannula, unica vice effundatur aqua, & cum patientis interitu, tanti morbi aliâs unicum fermè auxilium infametur. Ad imitationem Fabritii Anno 1625. die 7. Augusti aperui Ulmæ abdomen Nobilissimæ virginis, quæ Ascite, Anasarca & tympanitide laboravit, & annum unum & dimidium à perforatione integerrimè vixit, postea syncera tympanitide affecta obiit.*

FIG. IV. *ostendit* incisionem fistulæ thoracis *citissimam & quasi momentaneam, quæ fit syringotomo, quod in altera extremitate habet aciem Q. Tab. XIV. Figur. I. circa cuspidem globulo cereo R. obvolutam, quo minus in immissione carnes laceret. Hinc infistulam immittitur, & ubi ad fundum ejus pertingit, per carnem & cutem superincumbentem dextrâ adigitur, ut globulo cereo in ulcere remanente cuspis syringotomi per foramen factum exeat, qua digitis sinistra apprehensa, amborum foraminum interstitium, uno quasi ictu, inciditur. Monstrat praterea vulnus abdominis pro repositione intestinorum dilatatum, quod in sequenti figura, juxta Galen. l. 6. meth. med. c. 4. sententiam, consuitur, peritonæum scilicet cum musculis, & musculi vicissim cum peritonæo.*

FIG. V. *docet* modum, quo labia vulneris in abdomine ad mutuum contactum ducantur, *adductaque suturis seu fibulis conserventur. Repositis intestinis Minister manibus apprehendat vulneris labia, & Chirurgo tantam vulneris partem porrigat, quanta ad consuendum est necessaria. Infigit autem (1) acum qua filum trahit ex lino contortum ab infernis & externis (u) introrsum per cutem (a) & musculos (b) subjectos, ad peritonæum (c) usq., postea in tacto peritonæo. (c) hujus partis, per alterius partis peritonæum, atque etiam per musculos, ab internis ad extra, acum transmittit, post, exempta acu, ambo fili capita constringit, facitque punctum. Hinc (2) interjecto spatio unius digiti transversi, per abdomen ejusdem partis, à supernis & externis (x) introrsum, intacto peritonæo acum transfigit, postea per peritonæum, musculos & cutim, ab internis ad extra, acum transmittit, facitque punctum, & ita deinceps pergit, modo perforando modò prætereundo peritonæum, donec tot fiant puncta, quot sunt necessaria ad perfectam abdominis suturam.*

Hic modus suendi etiam observandus, quando abdomen, post partum cæsareum fibulis uniendum est.

FIG. VI. est bracherium, seu retinaculum herniæ, inguini adultorum *sinistro applicandum. Bracherii cingulum (a) & subligaculum (β). multis foraminibus pertusum, ut claudi rursusque aperiri possit, conficitur è corio levi aut linteo xylino duplicato. Scutum (γ) pilis capreoli impletur, ut duriusculum fiat, & intestini, vel omenti prolapsum impediat; habeat quoque pronexum, ne transmissum subligaculum ab eo vacillet.*

FIG. VII. *est* bracherium pueris adhibendum, *quod ex eadem materia concinnatum est, ex qua superius: differt tamen in eo, quod hujus cingulum non in latere, neque subligaculum anterius, sed utrumq. ad posteriora claudi debeat, ne tàm facilè aperiri possit pueris.*

FIG. VIII. *monstrat* bracherium inguini sinistro applicitum. *Repositis reponendis & adhibito cerato super locum affectum idoneo, scutum seu pulvillus pilis capreoli, aut lana, duorum vel trium digitorum altitudine infarctus apponitur, qui ut firmiter hæreat, nec loco facilè moveri queat, cingulo anterius inguini per lumborum regionem cincto & constricto ad latus α, nec non subligaculo latiusculo β, (quod posterius cingulo annexum, deorsumque ductum, sub crurum divisione sursum denuò reflexum, per scuti medium permeans, & pronexum illum,* qui scuto propterea adjungitur, ne subligaculum ab eo declinet, penetrans, cingulo anterius arctè alligatur) comprimitur.

Ratio

Ratio curandi enterocelem, à me sæpissimè experta.

HÆC consistit in tribus, 1. repositione intestini intra abdomen; 2. conservatione repositi, ne rursus per inguina ad scrotum descendat; & 3. peritonæi, vel relaxati constrictione, vel disrupti consolidatione.

Ante repositionem chirurgus exercitatus diligentissimè consideret, an hernia sit parva, vel magna? an recens, vel phlegmone correpta? an etiam intestinum adhuc flaccidum, vel materia aliqua repletum?

Si hernia parva sit, & recens, intestinumque vacuum, facilimè reducetur, si æger supinus in lecto collocetur, capite paulum declivi, & pedibus elevatis, quoniam hâc ratione intestina ad septum transversum ruentia, secum trahunt id, quod ad scrotum descendit.

Si autem hernia magna sit & recens, chirurgum oportet intestinum nulla materia distentum digitis tractare, & illud, capite prius patientis declivius posito, sensim & sensim, tam diu molliter circumagere, donec paulatim rursus abdomen ingrediatur. Quod si chirurgus manu lassius fuerit, opus est, ut ministrum habeat cordatum, & in hujusmodi operatione optimè informatum, qui ipsum adjuvet, & intestinum digitis similiter tractet.

Herniæ cum associatur aut inflammatio, quam indicat dolor, calor, & febris; aut flatus, quorum indicium est rugitus, & dolor extendens sine gravitate; aut fæces, quæ cognoscuntur ex biduana vel triduana alvi suppressione, magna scroti duritie, & dolore gravissimo: tunc à reductione intestini desistendum est, tamdiu, donec inflammatio abierit, fæces egressæ, & flatus dissipati fuerint.

Inflammationi confert seq. cataplasma.

℞. Farin. hord. ℔j.
Furfur tritic. ℔.ß.
Ol. rof. compl. ℥iij.
Vini rubr. q. s. Misc.

Quod calidè scroto & inguini impositum valdè digerit, humores modicè repellit & partes efficacissimè roborat. Si post 24. horas non recesserit inflammatio, cataplasma toties renovetur, & applicetur, quoties ad curandum phlegmone opus videbitur. Cataplasmati, ob caloris vehementiam, nimis exiccato, atque ideò separatu difficili, affundatur Oenelaum calidum. Inflammatus quoque locus, pari utilitate ex Fallopio fovetur lixivio calido, in quo cineres ex ligno fagino ebullierint. Accipiatur igitur duæ fili crudi (quod suam digerendi vim loturâ fullonum nondum amisit) massæ, indantur cacabo, & coquantur cum manipulo dimidio seminum cymini in lixivio acri: deinde massarum una extrahatur, inter duos discos, exprimatur, expansa calidè, quantum ferre potest æger, circa scrotum apponatur, tepescens removeatur, & alia substituatur, eaque repetatur, donec inflammatio omninò sublata fuerit. Cũ dolor inflammationem comitatur ingens, tunc cataplasmati, vel fomento, aliqua vel major portio addatur olei rosati.

Si cum inflammatione concurrant fæces, quæ repositionem intestini impediant, casus quidem est maximè desperatus: nihilominus tamen (omissis purgantibus per os exhibitis, quæ majorem aliàs humorum ad partem affectam affluxum causarent, & ut ipsa mors, teste Fallopio, ægrotantibus acceleretur.) fæcum tentetur eductio, balneis aut fomentis distensionem relaxantibus, & clysteribus lenientibus, moderata quantitate injectis. Vitetur fæcum interim generatio; exhibitis patienti cibis boni succi & pauci excrementi, quales sunt juscula carnium tenuia, contusa, ova sorbilia &c.

Flatus etiam sæpissimè absque inflammatione intestinum replent, quo in casu nihil præstantius est fomento, quod ex decoctione lixivii acris, seminibus cymini & filo crudo, atque pauca additione vini malvatici potentis paratur. Inflammatione curatâ, fæcibus excretis, & flatibus dissipatis, reponatur intestinum in propriam sedem, digitis sensim ac sensim impellendo.

Post repositionem intestini, ob relaxationem peritonæi, in scrotum prolapsi, ceratum constrictivum ab Hieron. Fabrit. ab Aquapend. commendatum, quod

℞. Boli Armen.
Sanguin. Dracon.
Mastich.
Sarcocoll. ana. ʒj.
Bisling.
Tegul. pulv. ana. ʒiij.
Resin. pin. ℥ß.
Ovi album.
Ceræ, ana. q. s. M. f. Ceratum.

extendatur super corium tenue & molle, ad magnitudinem loci affecti, ut eum non multum excedat, ac, derasis prius inguini pilis, applicetur, nec renovetur, nisi amplius cuti adhærescere nolit. Apposito cerato, bracherium Fig. VI. inguini arctè adalligetur Fig. IIX. ut foramen peritonæi, per quod intestina prorumpunt, comprimat.

Si propter disruptionem peritonæi, intestina ad scrotum dilabuntur, adstringentibus glutinantia immisceantur, ut

℞. Cerat. constrict. Hier. Fab. ab. Aquap.
Empl. Apostolicon. Nicol. ana. p. æq.
M. & malax. cum ol. mastichin.

extendatur in corio, & cum bracherio inguini applicetur, pro conservatione intestini in suo loco & consolidatione aperturæ, per quam sibi viam ad scrotum parat intestinum. Præcipua enim cura consistit in remediis externis, & exquisito subligaculo.

His non conferentibus, necessaria est universa corporis expurgatio, ab humoribus serosis præsertim & pituitosis; qui peritonæi, vel rupti, vel dilatati, consolidationem ac constrictionem, ex se difficilem, impediunt: adde etiam, quod cum necessarium sit, non modò externis uti adstrictoriis, verùm etiam internis, si omissa universalium administratione corpus excrementitiis humoribus scateret, obstructionibus viscerum inde enatis, in febres, aut alia mala, incidere posset. Expurgatio autem

fiat blandis medicamentis. *Præmissis universalibus, confugiendum erit ad constringentia interna & externa. Inter assumenda expertissimum habeo sequens Electuarium*

℞. Conserv. Symph. ℥ij.
rosf. antiq. ℥j.
Cortic. citr. cond.
arantior. cond. ana ʒß.
Pulv. herb. perfol.
Herniar.
ling. serpent.
Rad. consol. maj. ana ʒjs.
Semin. plantag. ℈iiij.
Cichor.
fœnicul. ana ʒj.
Corall. rubr. præp. ʒjs.
Marg. præp. ʒß.
Lapid. chrysol. præp. ℈j.
Syrup. myrtin. vel corall. q. s.
M. F. Electuar.

De quo patiens, quatuor horis ante prandium, & tribus ante cœnam, deglutiat quantitatem nucis juglandis, & superbibat scyphum vini rubri austeri, aut albi, *in quo infusus sit sequens sacculus.*

℞. Herb. Fragar.
Consol. med.
Vinc. per vinc.
Equiseti.
Ling. serpent.
Perfol. ana. Mj.
Rad. sigill. Salom. ℥is.
Consol. maj. ʒj.
Semin. plantag. ℥ß.
Cichor. ʒiij.
fœnicul. ʒij.
Cumin. ʒj.
Incis. & contus. Misc. ad sacculum, qui in tribus mens. vin. alb. infund.

Si febris ratione vinum non conceditur merum, aqua illud diluatur, & foliis alchimillæ alteretur. In infantibus etiam præstantissimus est pulvis sequens.

℞. Radic. consol. maj.
Herb. ling. serpent.
perfoliat.
Herniar. ana. ʒj.
Semin. plantag. ℈iiij.
Fœnicul.
Cichor. ana. ʒj.
Corall. rubr. præp ℈ij.
Marg. præp. ℈j.
Lapid. Chrysol. præp. ℈ß.
Sacch. rosf. tab. q. s. ad grat. sapor.
M. F. pulvis

de quo, manè & vesperi, exhibeatur cochlear parvum in pulmento. Assumpto pulvere infans bibat de hac mixtura, vel sequente decocto


℞. Aquæ plantag.
Fragariæ ana. ℥vj. M.
& si lubet, edulcor. sacchar. vel


℞. Radic. consol. maj.
Herb. vinc. pervinc.
consol. med.
semin. plantag. ana. ʒij.
Incis. Misce ad chartam
pro decocto.

Inter usum remediorum internorum, ceratum etiam idoneum, sub bracherio accommodato, *inguini applicetur, & quotiescunque renovandum, locus affectus*, (dum patiens resupinus in lecto decumbit.) *foveatur seq. decocto.*

℞. Rad. consol. major.
Tormentill. ana. ℥js.
Herb. vinc. pervinc.
Fragar.
Ling. serpentin.
Bisling.
Herniar.
Persol. ana Mj.
Flor. rosf. rub.
Balaustior. ana Mß.
Cortic. granat.
Cupul. gland.
Semin. Sumach. ana ʒij.
Incis. decoq. in vin. rubr.

novum postea ceratum apponatur, & relinquatur, donec cuti amplius non adhæreat. Hac autem cerati mutatio, locique affecti fomentatio tam diu repetatur, quousque peritonæi vel dilatatio, vel ruptura constricta, aut adglutinata fuerit. Hæc etiam, tam interna quam externa remedia, minimè proderunt, nisi recta victus ratio observetur. Evitanda igitur edulia quæcunque dulcia, flatulenta, & pravi succi, è quorum numero sunt omnes herbæ crudæ, legumina, fructus horarii, lacticinia, & his similia. Utendum pane probè cocto, addito anisi vel cumini semine. Vescendum præterea carnibus siccis ad constringendum, & viscidis ad consolidandum: illas suppeditant turdi, merulæ & perdices; has vitulorum, ac anserum, anatumque pedes & alæ, elixæ potius, quam assæ subministrant. Potus ordinarius sit vinum minimè dulce, nec album, sed rubrum subadstringens, aut saltem medii saporis. Sed cibus & potus, in parva quantitate assumptus, ad maturam sanitatis recuperationem plurimùm conducit. *Æger supinus, & capite & pedibus elevatus, in lecto se contineat* ad minimum *per quadraginta dies, & summam subligaculi curam habeat; nec unquam sine bracherio per brevissimum temporis spatium surgat; multò minus ventrem exoneret, ne intestina procidentia, id quod jam medicamentis constrictum vel consolidatum fuit, rursus aperiant. Opera etiam danda est, ut quotidiè alvus laxa sit, ne dum indurata fæces cum labore excernuntur, conatus ille plurimum obsit. Adleniendam alvum strictiorem prosunt pruna laxativa Augustanorum, si eorum quatuor vel quinque hora ante cibum, assumantur. Nec obest, cum semel in septimana superfluitates primæ regionis expurgantur, pilulis Aloeticis Hieron. Fabrit. scrupuli pondere hora ante cœnam, assumptis vel clystere ad vesperam injecto, quisi componatur ex decocto emolliente & refrigerante, melle rosato, elect. lenitiva & oleo chamomillæ, per plurimos dies alvum lubricam relinquet.*




A
F I.
II
B
C
D
E
III
F
IV
G
V.
H
I
K
VI
VII
VII
VIII
X
L
XII
XIII
XI
M
XIIII
XV
XVII
M
XVI
XVIII
P
O

Elapsis quadraginta diebus, æger surgat quidem, sed cæratum cum bracherio gestet, donec tutò removeri posse videantur. Etsi nullus castratorum herniosos absq. periculosissima illa testiculorum excisione (Tabul. XL. Figur. IIX. &c.) citra recidiva metum curari posse credat; innumeros tamen, quorum cognomina silentio lubens prætereo, longo temporis progressu, & magna adhibita cura, dictis remediis, victus ratione, atque bracherio, pristinæ sanitati tutissimè restitui: quos verò vel ob affectus magnitudinem, vel diuturnitatem integrè sanare non potui, eos saltem præservavi, ne morbus adaugeretur.

FIG. IX. *Ostendit, quomodo* urina suppressa per catheterem educatur; *quæ operatio chirurgica experto Medico est facilis, imperito è contra satis difficilis, & periculosa. Hanc describit Celsus l. 7. c. 26. Res verò interdum cogit emoliri manuali* opera *urinam, cum illa non redditur, aut quia senectute ejus iter collapsum est, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex sanguine, intus se opposuit. At mediocris quoque inflammatio,* aut caruncula meatum urinarium obstruens, *sæpè eam reddi naturaliter prohibet. Idque non in viris tantummodo, sed in fœminis quoque interdum, necessarium est. Ergo aneæ,* vel potius argenteæ, *quas καθετῆρας appellant, fistulæ fiunt, quæ ut omni corpori grandiori minorique sufficiant, ad mares tres, ad fœminas duæ, Medico habendæ sunt. Ex virilibus maxima decem & quinq; sit digitorum, media duodecim, minima novem: Ex muliebribus major novem, minor sex. Incurvas verò esse eas,* muliebres scilicet, *paulum, sed magis viriles oportet,* omnesque *leves admodum: ac neq; nimis crassas neque nimis tenues. Homo* æger, *tùm resupinus super subsellium, aut lectum, collocandus est. Medicus autem à dextro latere, sinistrâ quidem manu, colem masculi continere, dextrâ verò fistulam* argenteam oleo inunctam, E. leniter demittere *in iter urinæ debet. Atque ubi ad cervicem vesicæ ventum est, simul cum cole fistulam inclinatam, in ipsam vesicam compellere, eamque urinâ redditâ, recipere.* Huc usque Celsus. *In hac chirurgia maximè animadvertendum, ne in immissione fistulæ argenteæ, valvula carnosa, quæ vasorum seminalium orificia in meatum urinarium desinentia claudit, violetur, quod cognoscitur ex intrusionis difficultate, dolore, & sanguine emanante. His enim signis apparentibus, retrahenda paulum fistula est, rursusque leniter intrudenda, donec, valvulâ intactâ, vesicam ingrediatur, per eamque urina reddatur. Alii filo argenteo, fistulæ cavitati respondenti, gossipii floccum alligant, & in catheteris cavitatem immittunt, eumq; cum fistula in vesicam impellunt. Ubi fistula in vesicam pervenerit, filum cum lana alligata è fistula retrahunt, & ita quasi per siphonem eliciunt urinam. Sed neque gossipium, neque filum est necessarium. Non gossipium, quia per syringam ad lateral perforatam liberè exit urina: Non filum, quia propter dictam rationem, magis officit, quam prodest; dum enim filum è cannula trahunt, non rarò fistulam simul educunt, cum majori difficultate iterum immittendam. Ubi urina supprimitur ob vesicæ inflammationem, catheteris immissio periculo non vacat, laceratâ enim cervice inflammatio augetur, & ea cessante sequitur inemedabilis quasi urinæ incontinentia. Satius igitur est, parvâ candelâ cereâ. Tab. XIII. Fig. IX. modicè inflexâ, oleoq; communi illitâ, prius chirurgiam tentare, quam catheteris usu malum exasperare. In Ischuria quoque renum vitio subortâ, frustrà adhibetur syringa & cereolum, cum urina in vesica non continetur.*

TABULA QUADRAGESIMA.

De collocatione ægri ad explorandum & eximendum calculum è vesica & meatu urinario; mitigatione ardoris urinę chirurgica, extirpatione carunculæ in uretra p.n. enatæ, perforatione penis, ligatura verrucarum in præputio venerearum, herniarum cum deperditione testiculi curatione, hymenis integri incisione, vulvæ clausæ apertione, uterique extra abdomen in suum locum prolapsi & repositi conservatione.

FIG. I. *docet* situm ægri calculo laborantis: *in hoc enim explorant calculum vesicæ cathetere A. per uretram immisso, & digito indice ano indito.*

FIG. II. *præter rationem explorandi calculum, ostendit incisionem perinæi B. supra itinerarium C. vesicæ immissum, scalpello Tab. II. Fig. II. factam. Sectione facta, lithotomus itinerarium retrahit, & per vulnus perinæi catheterem immittit, ut dilatatorium seu vesicæ specillum super syringam sine offensione in vesicam perveniat. Specillo applicito catetherem extrahit, cervicem dilatat, instrumento idoneo calculum apprehensum educit, &c. De extractione calculi legatur Ambros. Paræus l. 17. à cap. 35. usque ad 48. & absolutissimus tractatus Guil. Fabrit. Hildan. de lithotomia vesicæ.*

FIG. III. calculus ex meatu urinario *sine sectione educitur, propterea, quod si ex angustiori loco lapis exivit, puta ex vesicæ collo & orificio, multò magis ex latiore protrahetur, ut est canalis colis. Sumo specillum Aquapendentis quod in cochlearis similitudinem excavatū, in extremo sit D. ut auricularis scalper, quod in canalem demitto; ita ut lapillum E. prætereat ac superet, ipsumque quadantenus suo labro & cavo comprehendat: tum per specilli stylum canalatum, uretræ oleum amygdalarum dulcium immitto, & specillum sensim ad me traho, ita enim deducitur sensim foras lapillus, tùm ipsum digitis comprimendo, tùm specillo cavo trahendo. vid. Tab. XIV. Figur. VIII. Imò sæpissimè observavi, lapillos ejusmodi, qui in urinarium meatum prolapsi sunt, sine sectione, & citra specilli operam, exiisse: si patiens balneo emolliente frequenter insederit, & lithontriptica moderata prius assumserit, aut in canalem urinarium stillari permiserit.*

FIG. IV.

FIG. IV. demulcet urinæ ardorem, *qui in Gonorrhœa virulenta, dum redditur urina, tam vehemens est, ut patientes potius velint mori, quàm mingere. Quando igitur talis inter mingendum percipitur ardor & dolor, qui nullis medicamentis, sive assumptis sive infusis, potest mitigari, patiens glandis meatui immittat fistulam argenteam politissimam, filisque alligatam F. quam manibus apprehendit, ne fistula, ab irruentis urinæ impetu, extra meatum colis pellatur, sed ut firmiter maneat, donec per ipsam urinam absque contactu meatus aut doloris sensu, profluat.*

FIG. V. *Non rarò* caruncula ex ulcere in meatu urinario *oritur, atque ita interdum augetur, ut urinam supprimat. Hac manuali operâ, & idoneis medicamentis extirpatur, quæ erodendi vim obtinent. Ne tamen aliæ partes, quàm sola caruncul in meatu erodantur, urinave medicamenta applicita profluens eluat, Hieron. Fabr. ab Aquapend. excogitavit instrumentum, cujus beneficio nihil nisi caruncula exeditur, prohibeturque ne medicamentum carunculæ admotum ab urina, quæ sæpius excernitur, elui possit. Fit autem cannula G. ex linteo, cerâ albâ oblinito (longitudine digiti transversi, & latitudine ea, ut æquet argenteum catheterem I.) quæ filum longum habeat appensum. Hæc cannula, prius tamen extra idoneo medicamento oblita, v.g.*

℞. Mell. in ciner. ust.
Tutiæ præp.
Butyr. recent. in aq. plant. lot.
Terebinth. similit. lot.
Cerę flav. ana ℥ß.
Alumin. usti, ʒß.
M. F. Linimentum

quod, crebra experientia teste, carunculas meatus urinarii absque dolore & sanarum partium excoriatione consumit. Quidam experimentum Rochi Cervieri summis laudibus extollunt.

℞. Pulv. ♃. viv.
Merc. pręcip.
virid. æris
Antimon. crud. ana. ʒiij.
Cerę albę ℥j.

Misc. f. a. in mortuo plumbeo ad formam unguenti cannula Medicamentorum uno oblinita, stylo extra fistulam argenteam prominenti H. adaptetur, atque unà cum argentea fistulâ & stylo, in urinarium canalem immittatur, ne occurrat carunculæ. Et cum jam est in loco carunculæ, argentea fistula cum suo stylo retrahatur, cannula verò, ex linteo cerà inducto parata & immissa, relinquatur in meatu, ut per eam urina excernatur, quæ simul prohibet, ne medicamentum carunculæ admotum ab urinâ elui possit.

FIG. VI. *Evenit interdum, ut* infantes sine foramine in glande, *per quod urinam reddant, nascantur, cui statim gladiolo acuto occurrendum, qui cuspidem habet angustiorem. Æger supinus collocetur, & colis, propè glandem, sinistra apprehendatur, ac, gladiolo in dextrâ detento, foramen clausum aperiatur, quo facto, foramini immittatur penicillus ex plumbo, subtilis, solidus, & epulotico inunctus, qui dum æger mingit, debet auferri, postea iterum intrudi, idque per tres & quatuor dies, donec labia foraminis cicatrice obducantur. Quod si nascantur cum glandis foramine valdè stricto, illud quàm citissimè ampliandum immissâ parva turundâ (quæ conficitur ex medulla sambuci compressâ, & unguento rosaceo oblinitâ) ut imbibitâ humiditate intumescat, & humefacta foramen dilatet.*

FIG. VII. *ostendit* excrescentias carnis, in glande & preputio, *Gallicas, earundemq; curandi modum; qui commodissimè vinculis procedit. Nam cum hæ caruncula angustam habeant basin, filo serico simplici, tenui, & rubeo, constringuntur, ut bidui spatio decidant. Utilissimè nonnunquam oleo antimonii, vel Logadorum, tanguntur: interdum, pari successu, verrucæ volsellâ apprehensæ scalpello abscinduntur, deinde locus ferro optimè ignito aduritur, ne sanguis vicinas partes inficiat.*

FIG. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. *monstrant chirurgiam horribilem, quâ Nursini, meo tempore in Italiâ celeberrimi castratores, hernias intestinales curarunt. Æger supinus in Tabula ligatur, tota deinde dilatatio in inguine obliquè signatur atramento, minister in imo abdominis intestina comprimit, ne foràs prorumpant: hinc chirurgus scalpello falcato, obliquâ factâ sectione cutis, Fig. VIII. (ut peritonai processus conspici possit. Fig. VIIII.) eodem gladiolo peritonæum incidit Fig. X. & per foramen Fig. XI. testem sursum expellit, postea indice omnes membranas avellit, & à scroto separat, in primis vaginalem dilatatam Fig. XII.* testemq; simul foràs trahit: post ea vasa spermatica, & tunicam vaginalem, forcipe accommodatâ, apprehendit, & suturâ simul jungit, inde supra suturam testiculum scalpello excidit, & abjicit (Alii, vasa spermatica & tunicam, duobus in locis constringunt, & apprehensis inferioris fili extremitatibus interstitium forcipe incidunt, testiculumque abjiciunt.) omnia vasa verò s nguinem fundentia ferramento candente adurit, & intus reponit, filo longo exterius relicto, & ultimò, per foramen inguinis, immittit ferramentum L. Fig. XIV. ad cuspidem globulo cereo munitum, usque ad scroti fundum, ut perforetur ad expurgandam materiam, quæ, ex inguinis vulnere quotidiè in scrotum demittitur, perforatumque conservat turunda immissa, usque dum vulnus inguinis sanatum fuerit.*

Tab. XV. ostendit membranam pudendo muliebri transversim inductam, quam veteres pro hymene habuerunt.

FIG. XVI. *Membrana hymen dicta, concubitum prohibens, at pro purgatione menstrui superius perforata, scalpello falcato (Tab. XII. Fig. II.* cujus apici cereus affigatur globulus) *inciditur, ut mulier viro aptissima reddatur. Quod si pellicula ista uteri vaginam protinus obstruat eam, spatha Celsi Tab. II. Fig. I. incidit Paulus l. 6. cap. 27.*

FIG. XVII. *docet, quomodo Hieron. Fabrit. ab Aquap. in agglutinatis vulva labris chirurgiam, juxta Paulum, administret. Foeminam resupinat* (in hac & præcedentis figuræ chirurgia) *ita ut crura ad summum ventrem contracta habeat, femora vero inter se dispar ata; subjicit autem ulnas ipsius ad poplites, & vinculis*

idoneis




TABVL. XXXXI.
I.
II
III.
IV.
V.
VI
VII.
VIII.

idoneis ad cervicem deligat : deinde scalpello fistulis incidendis destinato, nempe vel syringotomo in altera extremitate acuto Tab. XIV. Fig. I. vel scolopomachario Tab. XII. Fig. I. II. III. & V. labra agglutinata, prius per longitudinem atramento signata incidit. Labris ab invicem separatis, & sanguinis fluxu sedato, fistula plumbea medicamento epulotico illinatur & vulvæ immittatur, ad perfectam usque curationem, ne labia rursus concrescant.

FIG. XVIII. *agit de uteri extra abdomen procidentia, quam patiuntur fœminæ, quando ipsis ligamenta uteri membranosa vel relaxantur, vel abrumpuntur. Hujus mali curatio tria requirit; repositionem uteri prolapsi; repositi in suo loco conservationem; & ligamentorum vel adstrictionem, vel consolidationem.*

Ante repositionem considerandum est, an procidentia uteri sit simplex, vel ipsi adjungatur inflammatio aut tumor frigidus : His enim apperentibus, repositio non tentetur, donec morbi evanescant. Inflammationem sistet cataplasma vel massa lini cruda in lixivio acri decocta & expressa, de quibus videatur cura herniæ intestinalis Tabul. XXXIX. sub *Fig. VIII.* Tumorem frigidum *discutiet fotus ex decoctione malvæ, altheæ, flor. chamomill. &c. Tumoribus dictis curatis, evacuato per clysterem stercore, & excreta urina (ut undiquaque à compressione liber sit uterus) chirurgum vel expertam obstetricem oportet ægrotantem supinam collacare, ita ut coxas altiores habeat & poplites incurvatos, cum cruribus diductis; deinde accipere candelam O (quæ habeat basin) ex cera & assa fœtida confectam, suaque crassitie muliebri vaginæ respondentem, & eâ citra violentiam totum protrudere id, quod procidit, donec tota moles ad sinum reducatur. Hoc facto, patiens candelam linteo triplicato in vino rubro expresso, & fasciâ Tab. XLI. Figur. III. firmet, per octo vel novem dies decumbat extentis & coaptatis inter se cruribus, ita ut alterum alteri incumbat : brachio lapidem aquilæ dictum alliget, & naribus suaveolentia, nisi uterinæ suffocationi fuerit obnoxia, admoveat. Reposito utero, qui ex relaxatione ligamentorum procidit, corpus à serosis & pituitosis humoribus expurgandum & (post cucurbitularum citra scarificationem cum magna flamma sub umbilico & renibus applicationē, & inter remediorum adstringentium internorum usum) regioni uterinæ & propè inguina ceratum constrictivum applicandum, circulusque. P. buxeus vaginæ intrudendus, ibique ad perfectam usque curationem relinquendus. Mulier tertio vel quarto quovis die ceratum removeat & metrenchytæ cannulam Tab. XIII. Fig. III. uteri vaginæ immitat : deinde per horæ spatium balneo ex moderatè adstringentibus (validiora enim menses supprimunt) parato insideat, & ceratum renovet. Rerum non naturalium regimen observet, quod herniosis loco præcitato fuit præscriptum. Puerperis nondum probè purgatis adstringentium usus est maximè periculosus. Ligamentis uteri membranosis abruptis, cerato constrictivo immiscendum est Emplastrum Apostol. Nicolai, vel aliud consolidans.*

TABULA QUADRAGESIMA PRIMA.

De clitoridis seu mentulæ mulierum inutiliter auctæ abbreviatione, metrenchyta, inspectione ani & matricis, extractione fætus mortui, & repositione intestini prolapsi.

FIG. I. *docet, quomodo Hieron. Fabrit. ab Aquapend. instrumento ad polypum accommodato,* clitoridis inutile incrementum *(malum Ægytiis & Arabibus endemium)* abscindat. *A. monstrat clitoridem forcipe comprehensam. B. exhibet corpus clitoridis excisum, & extra forcipem positum.*

FIG. II. *notat* metrenchytam *siphoni Tab. XIII. Figur. I.* affixam, *ut sinui muliebri immitti possit, ad infundendos idoneos liquores.*

FIG. III *monstrat subligaculum, quod detinet medicamenta externo uteri orificio apposita.*

FIG. IV. *exhibet* applicationem speculi uterini *Tab. XVI. Figur. IV. depicti, quam Paulus l. 6. cap. 73. sequentibus verbis describit. Locetur fœmina supina in sella, ita ut crura ad summum ventrem contracta habeat, femora verò inter se disparata. Subjiciantur autem ulnæ ipsius ad poplites, & vinculis idoneis ad cervicem deligentur. Qui verò chirurgiam exercet, ex dextris partibus sedens, instrumento exploratorio, dioptra appellato, pro ætate convenienti exploret, & per specilium muliebris sinus profunditatem metiatur, ne si longior sit dioptræ fistula, uterum comprimi contingat. Et si longior sinu reperta fuerit dioptræ fistula, lintea complicata pudendi alis imponantur, quo super ipsa locetur dioptra. Oportet autem fistulam* calefactam, oleoque accommodato inunctam, blandè *immittere, ut cochleam ad supernam partem habeat: & dioptra quidem ab operante teneatur, cochlea verò per ministrum* citra violentiam *obtorqueatur, quo fistulæ laminis diductis sinus* muliebris *disparetur;* ad explorandum id, quod curam manualem expoicit.

FIG. V. extrahitur fætus mortuus uncis *(quando nimirum fœtus, ob situm præternaturalem, testiculis equorum præparatis, quos nobis Horatius Augenius commendat, aut fœminæ alterius lacte expelli nequit) Tabul. XVII. Fig. IV. ex Andr. à Cruce depictis, utroq; oculorum cavitati immissis. Si integer hac ratione educi nequit, scalpello C. Tab. II. Fig. II. incidatur, & observatis observandis frustratim eximatur.* vid. plura apud Hieron. Fabr. ab Aquap.

FIG. VI. anus *recens natorum* occlusus *lanceola* perforatur : *post operationem loco affecto applicentur ea, quæ in perforatione penis & vulvæ dicta sunt.*

FIG. VII. *monstrat* repositionem prolapsi inte-

stini recti *blandam, & digitis chirurgi (alii laudant digitos patientis) tentatam, cum linteo quadruplici D. & fascia, ad retinenda medicamenta, & intestinum in suo loco conservandum.*

FIG. VIII. anus inspicitur dioptra *Tab. XVII. Figur. II. parum calefacta, & ut lubrica reddatur, oleo oblinita, ad explorandam hæmorrhoidum qualitatem: ulcerum vero statum exactissimè etiam cognoscimus turunda ano immissa & per integrum diem relicta, atque retracta. Ulcera intestini recti perfecta tutissimè curantur, cannula (longo manubrio donata & adlatus perforata Tab. XIV. Fig. I.) linteo in vino austero expresso & perforato obducatur (solida enim cannula Tab. XVI. Figur. I. albumine ovi saltem illinitur) & ano immissa ter quaterq; stylũ optimè ignitũ Tab. XVI. Fig. IV. Tab. XXXVII. recipiat, veluti supra Fig. I. in ozæna chirurgia dictũ. Operatione finita, locus affectus medicamentis infusis & appositis tractetur, usq; ad perfectã curationem.*

TABULA QUADRAGESIMA SECUNDA.

De incisione fistularum, curatione hæmorrhoidum, applicatione enterenchytæ, & duobus monstris.

F*istulæ ani sunt duplices;* quædam *excitantur ab ulcere intestini recti, quod varias habet causas, pituitam scilicet salsam, bilem acriorem, & morbum* (in Regionibus præcipuè calidioribus.) *Gallicum, quæ erodendo fistulas ani producunt:* aliæ *ortum trahunt à tuberculo* (ob equitationem vel casum) *exterius circa anum enato & suppurato, cujus sanies, si exitum non habet, sinum efficit profundum.*

Priores *vel exedunt intestinum rectum, simulque perforant quatuor communia integumenta, ita ut purulenta materia, vel potius sanies, exterius, per cutim egrediatur; vel circa partes musculosas & cutaneas consistunt.*

Posteriores *itidem, vel intestinum perforant, vel ad intestini recti tunicam tantum exteriorem pertingunt.*


Signa fistularum propositarum accuratè tractavit Aquapend. lib. 3. Pentateuch. c. 12. *harum singulas, ab Excellentissimo Medico & Chirurgo, Adriano Spigelio, Præceptore meo plurimùm honorando* (cujus per septennium, ab anno videlicet 1616. usque ad annum Christi 1623. in Antiquissima & celeberrima Universitate Patavinâ, quæ non modò per Italiam, sed per totam etiam Europam, & ubique gentium, ob clarissimorum Doctorum splendorem, vetustissimorum studiorum auctoritatem, & syderea doctrinæ, ac virtutum omnium, monumenta, inter Academias ferè principatum obtinet, præparator Anatomicus fueram, & cui in peragendis operationibus chirurgicis per decennium adstiteram) *ferramentis dextrè incisas, & felicissimo successu curatas vidi: Nec mihi desunt magni nominis viri, animo forti militiam sequentes, ex lue Gallicâ etiam ani fistulis vexati, quos, præceptoris crebra experientia fretus, in Patria curavi, modo sequenti.*

Fistularum ani penetrantium curatio.

F*istulam, sive ab ulcere intestini recti, sive à tuberculo in natibus exortam, perforantem, & medicamentis non cedentem, curaturus, specillum depromo argenteum (Fig. I. Lit. B.) in utraque extremitate capitibus rotundis (c. d.) præditum, illudque pro necessitate incurvo. Hujus extremitati (d) & syringotomi (Tab. XIV. Fig. III) globulo (e) filum ex lino duplicatum (f) alligo. His ritè peractis, fistulæ orificio (g)* lentè *intrudo specillum, illudque ut & filum duplicatum, & globosum scalpelli caput, per ani orificium A. traho,* ut ex Fig. II. Lit. h. & i. adumbratione constat. *Postea, manu sinistrâ arripio instrumenti syringotomi incidentis partem (h), dextra verò ejus partem (i) atque sic instrumentum trahendo & impellendo fistulam* uno ictu, ne diu ægri doloribus torqueantur, *integrè incido. Quâ incisâ sanguis sistendus, inflammatio prohibenda, callus* (medicamento ℞. Arsenici *præp.* ʒß. Mel. rof. ℥ß. M.) *absumendus, vulnus recens carne implendum, & cicatrix inducenda. Hac ratione, absque cauterio actuali, quod ab aliis ad callos fistularum consumendos maximè laudatur, fistulæ penetrantes facilimè, & tutissimè, curantur.*

Fistularum ani non penetrantium curatio.

S*I occurrit fistula ani, quæ originem traxit ab ulcere intestini recti, nec tamen integumenta communia perforavit, ad manum sumo specillum (k) quod in una sui extremitate capitulum rotundum, & pro trajectione fili serici foramine aliquo donatum (l) habet; in altera, pro incisione fundi fistulæ instar acus tricuspidis acuminatum est, cujus apici affigatur pilula cerea, (m) quâ instrumenti acumen liberiorem transitum habet ad sinus fundum, neque timor est, ut in latera ejus impingat, operationem hanc impediat, & dolorem excitet. Præparato itaque specillo incerato, ulceris intestini fundum inquiro, eoque invento, specillum fortiter trudendo cutim perforo (Fig. III.) totum illudq; per fistulam duco, propendente ex utroque foramine filo serico (o) Fig. V. Per rupto sinu, Cornel. Celsus* l. 7. cap. 4. de ani fistulis, *& qui eum sequuntur, utrumque fili contorti* (sericum tamen simplex & rubrum, ob tenuitatem & tincturam citius incidit & erodit.) *extremum colligunt, illud transverso, & quodam parvo ligno (n. Figur. V.) arctissimè stringunt, & universi serè incisionem filo peragunt: quia*


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
A
B
K
a
d
f
g
h
l
m
p



quia tamen fistula totius per filum incisio & curatio, (Figur. V.) nimis tardè procedit, illamque assiduus comitatur dolor, (omnis autem operatio citò & jucundè fieri debet.) *meritò rejicit eam Hieronym. Fabritius ab Aquapendente, nec locum habere ait, nisi in iis, qui meticulosè ferrum expavescunt. Unde ego ita me gero. Fistulâ specillo perforatâ, & foraminibus (*beneficio sericifestucâ arctè per biduum constricti*) pro usu syringotomi (Tab. XIV. Fig. II.) quod altero extremo capitulum crassius habet, sufficienter dilatatis, festucam (n.) & sericum (Fig. V.) removens, fistulam incido eum in modum, quem supra Fig. I. & II. descripsi. Hæc posterior per filum, & aciem scalpelli, fistularum curatio,* Celsi & recentiorum opiniones conjungit, *&, experientiâ teste fidissimo, simplici per filum incisione melior existit, & tolerabilior, præcipuè verò, quando orificia, propter sinus longitudinem, nimium distant. Si & hæc operatio æquo tardior videbitur, omnibus bonæ operationis conditionibus satisfaciet chirurgus, si statim fistulam inciderit illo syringotomo, quod in ea extremitate, quæ alias globulum habet, incidit.* Hoc *instrumentum supra Tab. XIV. Fig. I. adumbravi, & Tab. XXXIX. Fig. III. applicui. Si fistulæ tales à tuberculo externo & suppurato excitentur, curam requirunt eandem, procedendo ut Fig. IV. adumbrat.*

Nota. *Sphincter, ex Hippocr. de Hæmorrh. tutò potest incidi, quovis modo, sine læsione sui officii, si saltem octava ejus pars relinquatur intacta, alias sequeretur involuntaria fecum excretio, & tandem ipsa mors. Fistulæ insenibus, & antiqua fluxione, tutò non curantur, nisi ante consolidationem inuratur fonticulus, tribus vel quatuor digitis supra genu, in parte domestica, pro evacuatione materiæ quotidiè collectæ.* Hæmorrhoides, *quæ manuum operationem postulant, vel sunt internæ vel externæ, quas primus doctissimè ex Anatomia demonstravit Hieron. Fabritius ab Aquapendent.* in operat. chirurgic. titulo de Hæmorrhoidibus.

Hæ primo intuitu apparent, illæ verò non nisi per abdominis compressionem, spiritusq; retentionem, aut fecum excretionem in conspectum veniunt: si chirurgia opus habent, utræque aut tument, aut immodicè fluunt.

Hæmorrhoidum tumentium curatio manualis.

Nonnunquam tumentibus, dolor aut inflammatio jungitur, & tunc curatio medicamentis potius internis & externis, unguento nimirum Linariæ Horst. l. 4. obs. 42. vel aliis (pro quorum base constituatur scrophularia, quæ sola à sordibus repurgata, collo appensa, & nudo corpore gestata, admiraculum usque dolores hæmorrh. mitigat, vid. Tabern. l. 2. fol. 431. & Craton. consi. 207.) tentanda, quàm malum chirurgia qualicunque exasperandum est. Si absque doloris sensu, & sine phlegmone in tumorem attollantur, & occultæ sint, accipio ferramentum, p. latum (ex Tab. XIX. petitum) & optimè ignitum, quo ita inuro hæmorrhoides, ut illas tamen non attingam, hoc est, ut ignis tantum calorem persentiant, ad ægri bonam tolerantiam: si patiens, ut sæpe fieri solet, chirurgiam expavescit, bono etiam eventu hirudines singulariter præparatas adhibeo, sanguinem abundantem educo, postea turundam linimento simplici oblinitam ano impono, & spongiam novam, ex vino nigro austero, aut in quo ebullierint adstringentia, expressam applico, ad partis corroborationem.

Hippocrates quidem, ad prædictam chirurgiam requirit ferramentum capite rotundo, quale illud, quod Tab. XIX. Fig. V. ad vivum depictum, & in subseq. Figur. lit. q. signatum est, quo omnes sigillatim resiccat: latum tamen hic magis probandum judico, quoniam hoc citius finitur operatio; Hippocratis autem præstat, quando vel altera tumentium fluit: quoniam hoc sanguinem fundentes facilè præterit, illud latum verò, omnes fluentes cum occæcatis exiccat, non sine magno patientium detrimento; quod ex animadversionibus Spigelianis monere volui.

Aliquando hæmorrhoides quidem intumescunt, ob altiorem tamen sui in intestino situm, nullo modo in conspectum venire, multò minus ferramento ignito, sive lato, sive rotundo, tangi possunt. Tunc, si ex chirurgia auxilium petitur, pro exiccatione, necessaria est illa cannula, quæ supra Tab. XVI. Fig. III. adumbrata, ano inditur frigida, & calefit stylo ignito (Tab. modo cit. Figur. IV.) sæpius cannulæ immisso, ut calefacta paulatim exiccet hæmorrhoides.

Hæmorrhoidum nimium fluentium curatio chirurgica.

Cum sanguinem immodicè profundunt, ferro punctuali (Fig. VIII.) omnes sigillatim tangendæ, unica tantum relicta, per quam sanguis in posterum redundans effluere possit. Earum fluxus interdum tàm pertinax est, ut eum factâ etiam revulsione medicamentis adstringentibus, tàm ore assumptis, quàm adhibitis sistere, peritissimo etiam Medico nonnunquam impossibile sit. Hanc pertinaciam expertus sum Venetiis (ubi chirurgiam per integrum annum exercui, & Medicis hæmorrhoides sæpissimè occurrunt curandæ.) in Nobili Veneto, ex Contarenorum stirpe nato juvene 26. annorum, temperamenti sanguinei, tempore veris, laborante primùm (antehàc enim nunquam.) hæmorrhoidibus externis nimium fluentibus, ad quem vocatus, venam brachii dextri internam incidi, dorsoque cucurbitulas sine scarificatione siccas, applicari jussi, conservam rosarum antiquam cum croco Martis, (non neglectis ligaturis partium superiorum.) per os ut sumeret, exhibui, & medicamenta valenter adstringendi facultate prædita; ovique albumine subacta, & gossipio usto excepta parti affectæ apposui, nihilominus tamen fluxus semper vehemens duravit, ægerque rubi-

cundus alias, in pallidissimum fuit mutatus, ita ut de vita sua periclitaretur. Nobili, & adstantibus, ad inhibendum sanguinis fluxum, & conservandam vitam, venarum adustionem, juxta Hipp. l. 2. de hæmorrh. Aëtium Tetrab. 4. serm. 2. c. 15. & Sennert. pr. l. 3. p. 2. c. 13. *contra Hieron. Fabrit. ab Aquap. proposui, propositamque confirmavi Hipp. Aph. 6. sect. 1. ad extremum morbum extremum requiritur remedium: & Aph. 6. sect. 8. Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: studio verba illa omittens*, quæ ignis non curat, ea incurabilia judicare oportet; *ne patiens ansam capiat dubitandi de restitutione sanitatis. Patiens autem, cum videret mortem non longè distare, senis nostri sententiæ fidem adhibuit, mihique & adstantibus, quod Chirurgiam adurentem, sibi adhuc reliquam, admittere vellet, porrectâ manu promisit. Unde domum festinans, necessariis me instruxi instrumentis, punctalibus nimirum, (Tab. XIX. Fig. VII. VIII. & IX.) quæ retrocedens famulo Nobilis patientis, ut ea ignita redderet, tradidi: quibus optimè ignitis, omnium venarum hæmorrhoidalium, quæ fluxerunt, ostiola, sigillatim tetigi, crustamque induxi, à superioribus incipiendo, ne sanguis ex intactis defluens, ferramenta ignita extingueret.* Videatur Ludov. Septal. l. 7. Animadvers. 112. lectu dignissima.

Sanguine chirurgia suppresso, & optimâ victûs instaurantis regulâ observatâ, Nobilis ille pristinæ sanitati restitutus fuit, cui consului, ut singulo trimestri cucurbitulas quatuor scapulis & dorso affixas & scarificatas, adhiberet, ne natura in futurum sanguinis abundantiam per venas ani expellere assuescat. His ritè observatis, ab hæmorrhoidum fluxu liber, per decennium, integerrimâ sanitate vixit.

Quod si natura prædicti Nobilis, hæmorrhoides antehac sæpius aperuisset, & quasi assueta, ad hanc solam partem superflua transmittere solita fuisset, unicam hæmorrhoidum ferro intactam reliquissem, postmodum pulvisculis emplasticis, & adstringentibus, occludendam, ita ut sponte, vel arte, facilimè reserari, & per eam sanguis, qui in corpore indies aggregatur, satisque temporibus evacuari solet, purgari possit, ne affectus illi (quorum Hipp. *mentionem facit sect.* 6. Aphor. 12. *A diuturnis morrhoidibus curato, nisi una quæpiam servetur, periculum est aqua inter cutem, vel tabes impendet*; Et Epidemior. l. 6. sect. 3. text. 33. & 34. *qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt, profundere solent, neq; inflammatione pulmonis, neque ulcere exedente, neq; furunculis corripiuntur, neque tuberculis, quæ à cicerum similitudine terminthi dicuntur, ac fortassis, ne lepra quidem, fortèque neq; aliis id genus. Intempestivè tamen curati, multi brevi hujusmodi morbis correpti sunt, eamque ob causam perniciosè habuerunt) producantur.*

Hæmorrhoides exulceratæ.

INternæ, ne in fistulas degenerent, exiccandæ: Quapropter ano inditur cannula ferrea, quæ in latere perforata, Tabul. XVI. Fig. II. aut III. & huic immittitur stylus optimè candens, Tab. XVI. Fig. IV. ac sæpius extrahitur, quo hæmorrhoidum ulcera adurantur, & partes vicinæ defendantur. Dolore mitigato, & eschara ablatâ, ulcus incarnandum, & consolidandum, medicamentis sarcoticis & epuloticis.

FIG. VIII. *monstrat applicationem enterenchytæ seu instrumenti fistularis, Tab. XIII. Figur. V. ad infundendos clysteres in anum.*

Anno post Christum natum MDCXXXIX. Die XVIII. Iunij conjux Bartholomæi Abelini, Textoris Ulmani, fœtum edidit mortuum, qui in partibus obscænis nullum signum habuit, ex quo cognosci potuisset, masculus ne an fœmina fuerit. Neq; etiam via apparuit ulla per quam fœtus urinam, aut fæces alvi, excernere valeret. In perinæo dependit aliquid ad longitudinem digiti auricularis, quod, instar intestini cæci, perforatum non erat: Ab osse pubis usque ad calcem ambo pedes arctissimè cohærebant: in reliquis verò partibus fœtus pulcherrimè fuit formatus.

FIG. IX. *Anno post Christum natum* 1651. *dies Iulij, horâ ferè sexta post meridiem, in vico Winterbach Ducatus Würtenbergici, conjux Georgii Langii, bubulci, Anna, partum edidit monstrosum, atque ita conformatum, veluti in delineatione cernitur: nimirum duobus capitibus, quatuor pedibus, totidemque brachiis præditum. Hoc, statim atque nascebatur, monstrum Vir Reverendus, Dominus M. Ioann. Riepp parochus istius loci ordinarius, baptismo donavit, & subsequente 6. Iulij in æde sacra, nomine Christiani & Christianæ insignivit. Fœtus horâ 6. post meridiem ex hâc vitâ discessit. Septimo Iulij, cadaveris abdomen & pectus in præsentia Domini Christophori von Rueff, Schorndorffii Physico ordinario, Iacobi Gusselin, Pharmacopæ ibidem, proprij genitoris, (ô durum pectus!) & aliorum, secundum artem aperui, & inveni, primum duos ventriculos, quorum unicuiq; annexa fuerant intestina tenuia, quæ tamen ad principium crassorum in unicum intestinum cæcum, colon & rectum desinebant. Extractis artificiosè intestinis, sub dextro hypochondrio, in conspectum venit unum solum parenchyma hepatis, in sinistro unicum lienis, in regione verò lumborum tres renes, totidemque ureteres magnitudine æquales, orificiis suis in unicam cystem urinariam hiantes. Genarationis organa quod attinet, unicus aderat uterus cum partibus omnibus ad generandum necessariis; pendulum illud post anum non erat perforatum, sed instar intestini cæci occlusum. In capacitate thoracis duo reperi corda totidem capsulis inclusa, unicum mediastinum, quod corda sic ab invicem separavit, ut unū in sinistro, & alterum in dextro latere situm habuerit, cujus monstrosi partus externam imaginem operi posthumo adjunxit Autoris ex fratre nepos.*


A
H
G
F
D
B
L
M
E
I
P
C
K
N
O
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18

TABULA ULTIMA.

De funda Galeni, cancro labiorum, arteriæ incisæ compressione, pedis contracti distensione, cubiti rigidi inflexione, sinus in femore magni apertione, locis & fasciis fonticulorum, glandium è vulneribus sclopetorum extractione, varicum sectione, labiorum vulneris per fibulas adductione, tibiæ cariosæ abrasione, & deligatura pectoris, quam Galenus Cataphractam vocat.

A *est* funda Galeni l. de fasc. c. 62. *fascia scilicet in quatuor partes scissa, ad labrum inferius deligandum accommodata, cujus descriptionem in gratiam studiosorum chirurgiæ, inprimis verò barbitonsorum, quibus rarò iste liber de fasciis est ad manus, transscribere volui, ut hanc fasciam, ejusque applicandi modum, ad curandos labiorum affectus, præcipuè verò cancrum exulceratum, utilissimum pariter, ac chirurgiam exercentibus scitu summè necessarium, addiscerent.* Medium, quod integrum est, injicito super labium inferius, superiores verò partes ad mentum adducito, atque inde ad occipitium, ibique in speciem literæ X altera super alteram excedente, ad summum caput, & inter ipsum & frontem attrahito, ministroque tradito, reliquas verò binas partes sub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ X ad frontem attrahito, & has & quæ à ministro continebantur inter se devincito.

Æ. Indicat labium exulceratum, fascia fundæ ad mentem Galeni deligatum. Patiens erat Gallus Sigman, *Rusticus Langenaviensis, ex Territorio Ulmensi, cancro labiorum exulcerato affectus, qui postquam à multis chirurgiæ peritis dolens percepisset, se ab isto malo liberari non posse, nisi sectione radicitus extirpetur: patiens ob difficultatem domesticam, qua premebatur, ab Inclyto Reip. Patr. Senatu supplex impetravit, ut in Xenodochium reciperetur, & cancer ferro ac manu chirurgi exercitati Georgii* Kiedlin / *abscinderetur. Abscissione per forcipem facta, & ulcere ad cicatricem ferè ducto, malum repullulavit. Senatus Inclytus hujus recidiva certior factus, patientem meæ curæ tradidit. Hic ob dolores capitis & artuum nocturnos, mihi valdè suspectus, in Nosocomium Gallico morbo affectis destinatum translatus, decoctum ligni Guajaci sumpsit, unde dolores capitis & partium extremarum cessarunt. Cancer verò interim topicis tractatus nihilominus pauperculum vehementissimè cruciavit. Deinde corpus, per sudorifera nimis calefactum, usu seri caprini depurati refrigerandum, & ab atrabilariis humoribus per epicrasin purgandum existimavi, decocto Magistrali sequenti,*

℞. Aq. fluviatilis lib. XV.
Hord. integr. p. j.
Bulliant. in vase obturato ad crepaturam hordei, tunc adde,
Fol. Borragin,
Cichor.
Bethon.
Carduib.
Sonch. ana Mj. & iterum bulliant ad remanentiam ℔ xij. abjectis herbis, in colatura infund. p. 24. hor.
Rad. polypod. ℥iij.
Pulv. colocynth. in petia ligat. ʒij.
Rad. hell. nigr. præp. ʒs.
Ireos nostratis.
Aga ric. crud. ana. ℥j.
Uvar. passar. ℥vj.
Semen. anis. ʒß.
Misce omnia & ebulliant ad consumptionem medietatis, & in fine pro unica ebullitione adde
Cinamom. optim. ℥ij.
Nuc Mosch. incis. ℥j.
Fol. sen. s. stipit. ℥js.

Colatura dividatur in IX. doses, ut una dosis sint ℥vij. *servabatur in phiola qualibet, super affuso oleo ad digiti latitudinem, & dabatur alternis diebus summo mane, à qua patiens jacuit in lecto benè coopertus, donec madorem corporis sentiret, atque post horam jusculũ sumsit, & quia, ob colocynthidem decoctum amariusculum fuit, statim post assumptionem deglutivit aliquid de pomo asso, aut ℥ß. passularum. Purgans hoc facilè trahit non solum humorem, qui influere potest, sed eum quoque, qui jam influxit.* Et notandum, hujus solius decocti crebro usu, multos ab exulcerati carcinomatis doloribus liberatos, pluresque à nondum exulcerato fuisse curatos. Hæc obiter de decocto.

Præparato corpore, precibus pauperculi devictus labium forfice abscidi, primo intuitu bono cum successu. At sequenti die observavi tuberculum, quod forfex, utpote quæ ad talem chirurgiam valdè est incommoda, *reliquit.*

Hoc tuberculum pulvere illo caustico, quem ab Empirico acceptum Aquapend. describit lib. I. pentateuch cap. de cancro, *consumere frustrà tentavi, indeque de certa curatione dubitare, & imminentem recidivam timere cœpi. Patiens autem, meo jussu, repetiit usum decocti purgantis, singulis quaternis diebus, & cum ulcus beneficio Ung. de Tutia sequentis*

℞. Ol. ros. complet.
myrt. ana ℔.
Sevi vitul. castr. ℥vj.
Succus solat. hortens.
plantagin. ana. ℥x.
Vini granatorum ℥iiij.
Bulliant. ad succ. consumptionem, facta, colatura.

 ℞. Ceruss.

℞. Cerusſ. pulver. ℥ſ.
Lithargyr. præp. ℥ijs.
Plumbi uſti & loti
Antimon. præp. ana. ℥v.
Tutiæ Alaxandr. ℥ſ.
Camphor. ℥ſ.
Miſce omnia in mortario plumbeo, &
F. Ung.

ferè ad cicatricem duceretur, remanebat enim ſolùm illud tuberculum, bonâ victus regulâ, internis externiſque remediis inſtructus, ſpe citiſſimæ reſtitutionis lætiſſimus domum redire feſtinavit. At quod ſupra timui, elapſo ſemeſtri etiam evenit, recidiva ſcilicet altera, malum prioribus multò pejus. Has recidivas autem forfici, qua operatio peracta, unicè adſcribendas exiſtimo. Hæc enim ad tentatam chirurgiam ineptiſſima fuit: Si igitur cancer totum labium occupat, Chirurgi, meo & Riedlini erroribus docti, eum forfice abſcindere caveant, ferè enim impoſſibile, quin ea aliquod veſtigium relinquat, ex quo malum recrudeſcere queat. *Memini quod aliquando in publicis lectionibus, ab Excellentiſſ. Adriano Spigelio, hanc cautionem audiverim, quam tamen pro nihilo habui, usque dum in ruſtico hoc & alio expertus ſum, eâ non obſervatâ, patientes de vita, & de fama chirurgum periclitari. Æger ſecundam recidivam paſſus, etiam tertiam chirurgiam à me petiit, quam monetâ ex argento confectâ, acuta, & aqua forti intincta, juxta Aquapend. placitum, adminiſtraſſem, abſque dubio majori cum fructu, niſi vaſa circumcirca maximè tumida, laborem fruſtraneum fore indicaſſent.*
B. *eſt uſus & applicatio illius* inſtrumenti, *quod ſupra* Tab. XVII. Figur. III. deſcripſi, & depingi curavi. *Hoc in vulneribus, vel potius puncturis, arteriarum carpi, quæ in duello facilè contingunt, proſiſtendo ſanguine, utiliſſimum expertus ſum, ut infra ex ſingulari obſervatione patebit. Alii ſumunt monetam argenteam, quam vulneri ſuperligant: quia tamen ligatura iſta ſatis ſtricta eſſe debet (* laxior enim ſanguinis fluxum neutiquam cohibet*) ob imminentem manus extremæ gangrænam, & ſubſequentem ſphacelum (* comprimuntur enim vaſa ut alimentum & ſpiritus vitales & animales influere nequeant.*) valdè periculoſa videtur; unde hominum ſaluti melius proſpectum judico, ſi omnes chirurgi ſimile inſtrumentum in promptu habeant, ut tempore neceſſitatis eo uti valeant. Patavii,* ubi exercitium Anatomicum & Chirurgicum à plurimis ſeculis maximè floruit, *meo tempore reperiebatur exercitatiſſimus Arteriotomus, qui ad curandos capitis atrociſſimos dolores ſuaſu medicorum, arteriam carpi non rarò incidit, factaque ſanguinis evacuatione ordinata, vulnus prædicto inſtrumento ita compreſſit, ut ne gutta quidem ſanguinis citra chirurgi voluntatem profunderetur, neque ullum ex compreſſione alias metuendum ſymptoma ſuperveniret. Sæpius Ulmæ accidit, ut ab imperitis balneatoribus, & chirurgi titulo certè indignis, pro vena baſilica arteria comes aperiretur, unde plerumque vel nimia ſanguinis profuſio, vel aneuriſma magnum, quod malè curatum mortem intulit. Si itaque in futurum præter ſpem talis error committatur, pro correctione hujus (præter remedium, quod Clariſſ. Colleg. DD. Greg. Horſtius obſervationum chirurgicarum prima, lectu certè digniſſima proponit) ſimile inſtrumentum, quod arteriam comprimendo ſanguinis fluxum ſiſtit, ut arteriæ cubiti læſæ adaptetur, meo judicio non erit alienum. In Helvetia, arterias temporum caſu vel arte ruptas & inciſas, parte corticis mediæ nucis juglandis convexa feliciter comprimunt.*

C. Indicat applicationem ferri (*quod ſupra Tabul. XVII. Fig. I. adumbrari curavi ex Guilhelm. Fabrit. Hildan. libello de combuſtionibus.*) *inſervientis ad genu contracti extenſionem. Iacobus* Mürdel *Iacobi Lanionis filius, 5. annorum, in terram ſilicibus ſtratam patrem currendo inſequens & ceſpitans cecidit, ſine doloris querela usque in quartam diem ambulavit, quo claudicare, & de genu contuſo conqueri cœpit: Mater de puero ſatis ſollicita vocat barbitonſorem, Iohann. Andream, qui ſtatim cataplaſma contra cruorem Felicis* Wirzen *altera die (pro diſcuſſione ut reor) linteum triplex ex vino calido expreſſum applicuit. Puer ita tractatus corripitur febre acutiſſima, quæ remediis convenientibus à Medico ritè adhibitis, die quodam critico per abſceſſum pedis affecti, inflammationem ſcilicet eryſipelatoſam ſolvebatur, quæ totum crus & femur ad inguina usque occupavit, calore, rubore, & dolore puerum vehementer affligens. Curata inflammatione ſupererat in genu ante febrem contuſo tumor ingens, quem, cum omnia reſolventia explosiſſet, ad ſuppurationem ducere tentarunt, & genu tam in parte domeſtica quàm externa medicamine cauſtico aperuerunt, materia nulla, vel certè paucisſima effluente. Re ita ſe habente, Medicus ordinarius diſceſſit, & totum curandi negotium Andreæ Barbitonſori reliquit, hic pro arte & marte puerum tractavit, ulceraque cauſtico inuſta conſolidavit, & tumorem planè induravit. Mater magis quàm unquam ſollicita, & obſervans, bonum virum huic malo eſſe inſufficientem, & propterea etiam anxium, me conſilii cauſa vocavit. Hac ex relatione. Accedens inveni tumorem in genu haud abſimilem iis, quos vulgò* Gliedſchwam *appellant, puerumque contractum, genu enim extendere non potuit. Facto prognoſtico, affectum hanc eſſe ancipitis & quidem diuturnæ curationis, rem ita aggreſſus; pro emollitione & diſcuſſione tumoris, quotidie per quadrantem horæ cum ſpongia adhibui fomentationem ex ſequentibus.*

℞. Herbar. Malv.
Verbaſci.
Bethon. ana. mjs.
Flor. malv. mj.
ſemin. lini. ℥j.
Rad. Alth. ℥ij.
Inciſ. & contuſ. ad chartam.

Poſt fomentationem appoſui ceratum diaſinapi, quod Hieron. Fabrit. ab Aquapend. *cap. de meliceride. deſcripſit, & D. Spigelius ita correxit.*

℞. Salis gemm.
Lithagyri aur.
Ceruſſ. ana. ℥iiij.
Ceræ & Terebinth. ana. ℥ij.
Galbani.

Opopon.

Opopon. ana ℥ß.
Sinapi pulv. ℥ii.
Ol. veter. ℥jx.
acet. acerr. q. s. F. l. a. ceratum molle.
Subpoplite & ad latara inunxi genu seq.

℞. Unguent. Evæ ℥ijs.
Nervin. ʒvj.
Cerati citrini. ℥j.
Ol. lumbr. terr. ʒvj.
vulpini. ʒij.
M. pro Unguento.

℞. Ol. olivar. ℔. j.
medul. crur. bovis.
ceræ flavæ.
Resin. Pin. ana. ℥ij.
Butyr. rec. ℥iij.
M. F. Ung. Evæ, seu Anodynum, quod Foscarinus ex Turcia secum attulit.

℞. Succ. Nicotian. ℥vj.
Ceræ citrin. recentiss. ℥iiij.
Resin. ℥iij.
Terebinth. ℥ij.
Ol. Myrtin. q. s. F. cerat. molle.

cujus descriptionem habeo ex l. 1. Pentateuch. chirurgic. Hier. Fabr. ab Aquapend. cap. de herpet. miliari.

Usu fomentationis & cerati continuato, genu detumuit: ex inunctione verò poplitis pro extensione nullum juvamen patiens percepit; quare instrumentum hoc applicui, quo paulatim crus extendi possit, ferreum: quod patiens (prius applicato genu corroborationis ergo, cerato barbaro, cum Magistrali diasinap. mixto, & facta inunctione poplitis, cum superposito sparadrapo seq.

℞. Cerati citrini mod. descr. ℥ijs.
Ceræ flavæ noviss. ℥ij.
Resin. Terebinthin.
Pin. ana. ℥j.
Misce ad ignem & intingatur tela.)

Continuè, noctes diesque portavit, singulis diebus cochleam instrumenti parum attrahendo, donec crus in rectum duceretur, ut spatio unius anni patiens sine baculo ambularet. Causa contractionis erat mala pedis situatio, quam cavere debuissent capsula lignea, quam videre licet *Tab. XXI. Fig. VI.*

Anno 1636. die 10. octobris vocatus fui ad puerum Martinum Gravium Leipheimensem, qui mihi ostendit crus ex ganglio in genu *versus posteriora contractum, quod præmissis universalibus, eodem instrumento iisdemque topicis octo mensium spatio, in directum extendi.*

D. Instrumenti Tab. XVIII Fig. V. descripti usum ostendit: Nam sicut ad extensionem brachii nil melius, quam lapidis ponderosi in manu gestatio, ita ad flectendum illud paulatim nihil conducibilius sum expertus, quam hoc instrumentum: patiens erat puer militis, qui luxationem cubiti passus, ob malam situationem, eum flectere non potuit: hunc, ut pueros præcedentes, inunxi quotidiè, sparadrappum applicui, & instrumentum gestare jussi: hic duorum mensium spatio convaluit, & pro necessitate cubitum, sine doloris sensu & impedimento, flexit. Observent igitur juniores chirurgi, ut membra fracta aut luxata commodè collocent: *non rarò enim præter membri contracturam, sequitur inflammatio malam figuram. vid. Tab. XXVI.*

E. Anno 1626. die 19. Novembris me vocavit frater meus Martinus, ad socerum suum Ioann. Wolventer / *Nautam Ulmensem, & in Danubio navigando versatissimum. Is ipse, quem Clariss. Collega, D. D. Greg. Horstius in suar. Observ. Chirurgic. IX. curavit, ostendit mihi si*num in femore sinistro *(qui ex contusione ad suppurationem ductâ, & negligenter tractata, originem duxit) petiitque medelam. Ego sinus magnitudinem specillo explorans, superficialem tantùm, at satis longum & latum inveni. Cùm autem hujusmodi sinus declives, ut notum, rarò agglutinentur, seq. die forfice deceptoria, supra Tab. VII. Fig. IX. (nondum eo tempore Syringotomis Tabul. XII. Fig. I. II. & III. ac Tab. XIV. Fig. I. descriptis instructus) inscio patiente eum incidere tentavi, postea carne replendum: sed cum nimis tardè per forficem istam fieret operatio, nauta instrumentum animadvertens, femur movit, manibusque mihi dextram repulit. Unde seposita curatione per ferrum, sinum parumper (ut ex Figura patet) dilatatum, albumine ovi conquassato & stuppâ pexâ, obligavi: subsistente sanguine tertio & quarto die per siphonem infundebam hydromel pro eluenda cavitate: quinto, sexto & septimo vinum nigrum austerum, in quo coquebantur Balaustia, cortices granator &c. injeci, & spongiam novam eodem liquore madefactam & expressam fasciâ longâ, & trium digitorũ transversorum latâ, (latior enim non ita stringit) superligavi, ligaturam ab inferioribus incipiens, & supra sinum in parte sana finiens; his medicamentis, in quibus magna glutinandi virtus posita, & deligandi modo, intra septimanam, fratris socer felicissimè curatus fuit. Ab eo tempore* nunquam ad Chirurgiam deveni, nisi remedia pharmaceutica frustra fuerint adhibita: *Neque posthac amplius forfice deceptoria (quia Chirurgum, non ægrum decipit.) ad sinum dilatationem sum usus.*

F. Indicat locum fonticulorum in brachio. *Variis in locis conficiuntur fonticuli, hi tamen in brachiis inusti reliquis utiliores, & accommodatiores esse videntur: Unde etiam à Medicis præ cæteris eliguntur, pro evacuatione scilicet, omnium eorum humorum, qui caput humanum offendere solent; cum inter partes inferiores superioresque exactè medium situm obtineant, humorum in caput ascensum impediant, eosque influentes à capite, ob convenientem distantiam, commodissimè revellant, atque derivent. Nec solùm in capitis, oculorum, aurium, narium, oris, faucium & gulæ vitiis, verùm etiam in thoracis, cordis, & pulmonum affectibus, magnum & mirandum præstant auxilium. Quanquam autem hi fonticuli in prædictis morbis multum juvent, & ægris sint accommodatissimi, idque propterea, quod ipsos videre, propriisque manibus gubernare possint. Nihilominus tamen non pauci reperiuntur, qui fonticulos in genere, ut qui diligentiam & laborem requirunt: spernendo sanitatem, planè vituperant: alii ob fœtorem detestantur: reliqui verò ob timorem ignis sibi inuri recusant. His respondeo,*

quod

quod neque vestimenta sine labore, manè & vesperi, induantur & extrahantur, neque excrementa absque fœtore reddantur. Sicut autem hoc vel illud ad vitam humanam est necessarium; ita hi ad benè vivendum, & integrâ sanitate fruendum, summè utiles. Et quemadmodum nullum pœnitet ullius laboris, quem induendo & exuendo impendet, ita nemo de his conqueritur, imò dum ipsos tractat, magnam voluptatem sentit, sive propter dulcedinem, quam ex pruritu percipit, sive quod de die in diem manifestè cognoscit illius materiæ evacuationem, quæ secundum errores commissos genita, & in corpore retenta grave malum attulisset: aut potius quod beneficio hujus sanitatem amissam adipiscatur. Unde sæpius uno fonticulo non contentus, sibi facilè duos, interdum etiam plures, prout opus erit, parari curat: adde quod Fonticuli, si arte regantur, non fœteant, & facti in debito loco non doleant.

Locus fonticulorum quatuor conditiones requirit, 1. ut patiens ipsum videat 2. ut ad ligaturam sit idoneus 3. ut habeat venam 4. ut sit in musculorum duorum interstitio, ad prohibendum dolorem, quo impeditur facilè motus.

Locus hic in brachio invenitur, si chirurgus cubitum patientis, vario modo, volvit, flectit, & extendit, usque dum debitam musculi deltoidis & bicipitis separationem invenit. Multi conficiunt fonticulum in ipso deltoide, quidam in fine hujus, alii in parte posteriore ipsius. Ego tamen, ob dictas conditiones, locum lit. F. notatum eligo, interstitium scilicet musculi deltoidis & bicipitis, idque potius in parte superiore, quæ minus sensibilis, quàm inferiore, ad quam brevi temporis spatio decurrit.

Invento fonticuli loco, modus erit considerandus. Paratur fonticulus scalpello, caustico potentiali, & ferro ignito. Cum vero ferrum ignitum hujus chirurgiæ inventoribus magis usitatum, caustica potentialia non probo, utpote quæ tardè, & ut plurimum cum dolore magno operantur; nec ita securè adhibentur, quoniam eorum agendi vis nobis non ita exactè est cognita, sed interdum præter expectationem nostram efficaciora, non rarò impotentiora inveniuntur. Missum quoque facio ferrum secans, sive scalpellum, propter rationes modò recensitas, quibus addo, quod sectio fonticuli sanguinem profundat, quem plures videre nequeunt. Magna dexteritate veteres utebantur ferro ignito, quod erat incurvatum, & longum habebat manubrium (Tabul. I. Fig. II. depictum,) sed cum vidissent, quod illud instrumentum non solùm carnem à chirurgo signatam inurat, sed etiam partes vicinas calefaciat, præter hoc excogitarunt aliud instrumentum cannulatum, quod partes vicinas defendat: vid. Tab. I. Fig. I. Per cannulam hanc non ignitam, & cuti fortiter impressam, intrudunt solidum candens, ut penetret secundum Medici intentionem, nonnunquam magis & minus profundè. Iulius Casser. Placentinus invenit instrumentum supra Tab. I. descriptum, & hic Lit. G. signatum, quod ignem occultat, partes vicinas à læsione defendit, & præ cæteris instrumentis ad omnes fonticulos extra caput inurendos accommodatissimum, & securissimum est. Hoc me plus quàm sexcentos fonticulos, cum admiratione adstantium; & risu patientis fecisse, testabuntur illi, qui adhuc vivunt, & fonticulos à me paratos gestant.

H. est fascia pro fonticulis in brachio ligandis commodissima, quia facilimè ab ægro adaptatur; utilissima, quoniam conservat fonticulum in suo loco; & pulcherrima, eò quod ex tela alba parata potest lavari; neque hæc, ut reliquæ fasciæ, tam facilè visus aut tactus sensu deprehenditur.

I. Locus fonticulorum in femore est (quatuor digitis transversis supra genu, inter musculum sartorium & vastum internum, quærendus.) ad ligandum aptissimus, & comitem venam saphenam, ubi fonticulus in hystericis affectionibus efficacissimus, revellendo & derivando. Curavi eo mulieres quorum nomini parco, quæ ob suppressionem mensium, uteri furores, aliaque symptomata sunt passæ: plures etiam quæ ulcera in tibiis habuerunt dysepulotica; Illic revellendo, hic intercipiendo & derivando.

K. est fonticulus, quem mihi inter principia musculi gasterocnemii, contra dolorem Ischiadicum summo & felicissimo cum successu paravi. Laudat quidem Excellentiss. Adrian. Spigel. in hum. corp. fabric. l. 5. c. 9. ob transitum venæ popliteæ inustionem fonticuli in sura, seu musculi gasterocnemii principiorum coitu, quem Daniel Bucretius in Jul. Casser. Placentin. Tabul. Anatomic. (quos ego ære emi Spigeliano ab Hæredib. Casserii.) lib. 1. Tab. 2. lit. Græc. π. notavit. At quoniam locus ille ob suam declivitatem ad deligandum valdè est incommodus, ego juxta Andr. Vesal. in corp. hum. fabric. l. 2. Tabul. 10. de musculis locum paulò superiorem elegi, eumque non sine ratione: habet enim hujus loci fonticulus omnes boni fonticuli, quas supra recensui cõditiones: 1. venam popliteam, quam antiqui & recentiores in Ischiade, aliisque morbis pluribus, quos Aurelius Severinus lib. de angeologia cap. 26. collegit, magno certè cum successu aperiebant. 2. Interstitium principiorum gasterocnemii: neque enim metuendus ille nervus satis insignis, qui sub genu transcurrit, ut lædatur: nam ubi fonticulus conficitur, nervus progrediendo, jam jam profundiora petiit, ut ferro candente offendi nequeat. 3. deligaturam firmiter consistentem. 4. patiens ipse ipsum regere, & gubernare potest. Notissimum est, qui semel Ischiadicis doloribus vexatur, non facilè ab iis liberatur, ita ut sibi polliceri possit, se in posterum ab ejusmodi cruciatibus fore immunem. Sanctè tamen testari possum, me metipsum post usum balnei Thalfengensis, vulgo Gesundbrun / in agro Ulmano siti, beneficio hujus fonticuli, per novennium, à paroxysmo præservasse, & si vixero forsan ulterius, venæ Ischiadicæ sectioni, omnibusque purgantibus, sudoriferis, & topicis medicamentis, quæ per annum integrum, ex clarissimorum Medicorum consiliis, assumsi & adhibui, valedicens. Quare si in futurum in tali cruciatu Ischiadis diuturno, tam interna quàm externa remedia sine successu usurpata fuerint,

rint, meo consilio & bonaspe salutis ad hanc chirurgiam, tanquam ad sacram anchoram confugiant, inustionem scilicet fonticuli in loco signato: non dubito enim, quin patiens sanitatem, Chirurgus vero maximam laudem deportaturus sit.

L. est fascia pro fonticulis in femore & sura deligandis, omnium optima.

Quomodo fonticuli jam parati conservari, recteq; gubernari debeant, ex scheda Aquapendentis, qui ejus mentionem facit in opere suo operationum chirurgicarum, & titulo de fonticulis, *discere potuissemus, nisi illa incuriâ typographi, cui Autor schedam tradidit, ut typis in lucem daret, amissa fuisset. Hac igitur destituti legant elegantissimum tractatum, quem scripsit Hieron. Capivacius, de recta cauteriorum administratione, & Dominicus Galvanus Medicus Athestinus* (cui acceptum refero sparadrapp. meum.

℞. Cerati de ceruss. seu Albi cocti Aug. ℥xij.
Pul. ceruss. ℥iiij.
Thuris.
Tragacanthi ana ʒvj.
Ireos. Flor.
Benz. ana ʒv.
Storac. liquid.
Ol. spic. adorati ana ℥ij.
Saponis veneti. ℥ij.
ceræ q. s. vel ℥ij.

Veronenses chirurgi, in viris usurpando addunt parum moschi, ad gratiorem odorem.

Misce s. art. & cum tela nova F. sparadrappum, quo per annos viginti & duos, plus quam fonticulos mille summâ cum utentium admiratione, ab omni symptomatum incursu præservavi) *de fontanellis, lib. 2. cap. 13. 14. 15. 16. & 17. quæ ad mentem Aquapendentis, sui Præceptoris, accuratissimè scripta esse certus scio, stylo tamen Italico, qui dignus esset, ut Latinitate donaretur.*

Nonnulli miris laudibus deprædicant Ceratum, quo Dux Hetruriæ fonticulos suos ab omni symptomatum incursu præservat.

℞. Succi Hederæ. ℔iij.
Nicotian. ℔j.
Terebinthin.
Resin. pin.
Ung. rosf. Mes.
Cer. citrin. ana ℔j.
Ol. N. Mosch. ℥ij.
Pulv. cyper. odor. ℥j.
Ceruss. elect. ℔j.
M. F. Ceratum.

M. Forceps in vulneribus sclopetorum, *pro extrahendis globulis in profundo sitis, affabrefacta, quam supra Tab. XIV. Fig. IX. ad vivum delineavi.*

N. dicta forcipis usum, *& applicandi modum ostendit, qui talis est: Extrahatur terebellum, & exterior cannula demittatur versus cochlearia, ita ut instrumentum claudatur, & formam referat instrumenti Tab. XIV. Fig. XI. depicti: hoc facto*, exterior cannula oleo *rosato inungatur, & instrumentum dextra chirurgi vulneri clementer immittatur, usq; dum cochlearium extremitas denticulata globulum amplectatur: tunc, pollice atque indice sinistro, instrumentum chirurgus teneat, eoque quantum æger tolerare poterit, globulum premat, ne forcipi cedat: postea, digitis manus dextra, terebellum, per foramen capuli rotundi immittat usque ad globulum, illudque circumvolvat, & globulo paulatim infigat. Quam primum vero Chirurgus terebellum globulo sufficienter inhærere cognoverit, cannulam exteriorem sursum parumper & sensim trahat, eamque statim deorsum remittat, ut cochlearia divisa globulum recipiant, & receptum firmissime tenendo, terebelli operam adjuvent: quibus ritè peractis, terebellum & ambæ cannulæ, adeoque totum instrumentum, cum affixo & recepto globulo, extrahatur eo modo, quem figura designat.*

Notandum, à pluribus allegari & commendari instrumenta, quorum imagines inveniuntur supra Tab. XV. depictæ, quibus, si globulus cedit, facilè nervus, vena, & arteria læditur: quapropter, qui duo ista instrumenta Tab. XIV. Figur. IX. & XI. (quæ, durante bello Germanico, viginti annorum spatio, in pluribus feliciter usurpavi militibus) in promptu non habent, nec habere volunt, optimè faciunt, qui & reliquis tenaculis rostrum gruinum rectum Tab. XI. Fig. VI. vel in angulum obtusum recurvatum. Tab. IX. Figur. X. substituunt, utpote quibus Chirurgi Patavini frequentissimè sine noxa, globulos è vulneribus trahunt. Leg. omnib. numer. absolutiss. tract. Franc. Plazzon. de vuln. sclopetor.

O. Indicat sectionem varicum, *juxta Aquapend. sententiam, quæ tamen, ut nostris Germanis est horrenda, ita facilè ex ea oriri possunt prava symptomata. Dum Patavii literis operam dedi vidi rusticum in Nosocomio D. Francisci sub Excellentiss. Spigelij manu, summa cum utilitate, chirurgiam delineato modo institutam, sustinere.*

Ego, ad imitationem, hunc operandi modum in patria semel tentavi: sed errore patientis, motu scilicet nimio, qui nullus esse debuisset, *sequebatur inflammatio ægrum vehementer affligens, & prohibens, ut voto non potuerit respondere exitus: unde patiens cum suis parentibus, ea ut me corriperet & torqueret inflammatio, optarunt. Hoc fama naufragium semel passus, varicibus in extremis affectos, deinceps solis topicis, sub tibialibus ex pelle canina confectis, tractavi.*

P. ostendit vulnus *acinace femori profundè inflictum,* quatuor suturis seu fibulis unitum, *& in declivior loco foramen habens, cui turunda Q. immittitur, ut, pro materia exitu, apertum conservetur.*

R. ostendit modum deradendi tibiam cariosam scalpris Tabula VI. depictis.

Martinus Schmidt *Oellingensis, puer undecim annorum, conqueritur de vehementissimo dolore tibia dextra, & duobus foraminibus materiam puris fœtidam fundentibus, quorum unum erat circa malleolum internum, alterum circa externum. Hunc affectum Barbitonsor pagi illius ordinarius tractavit pro luxatione pe-*

dis. Anno 1640. Die 16. Decembris, æger receptus est in Xenodochium Ulmense, quem jussu Inclyti senatus visitavi, & statim animadverti affectum non esse luxationem, sed corruptionem & erosionem totius tibiæ, quam curare institui. Primis atque diebus, bonam victus rationem præscripsi, & sequentem potiunculam.

℞. Syrup. rof. sol. ℥ß.
Elect. leniti. ʒvj.
Decoct. fl. & fr. q. s.
M. F. Potio br.

à qua quinquies dejecit materiam valdè serosam. Die 22. Decembris, *à tibiæ capite usque ad malleolum internum sine læsione venarum, arteriarum, nervorum & tendinum scalpello incidi crus, digitorũ unguibus periostium à tibia seperavi, vulnusque stuppa cannabina medicamento stegnotico (ex albumine ovi, aqua rosarum agitato, & pulvere adstringente Galeni) & fascia duobus capitibus prædita obligavi.* Die 23. *subsistente sanguine, vulnus religatum inspexi & inveni, quod mea me opinio minimè fefellerit: nam non solum pars anterior tibiæ in superficie, verum etiam posterior usque ad medullam corrupta fuit: mox etiam aliquot corrupta tibiæ particulas volsella exemi, & vulnus denuo, ob vehementem patientis clamorem, medicamentis & fascia obligavi.* Die 24. *os corruptum scalpris derasi, & caput tibiæ inferius integrè corruptum, & valdè fætens inveni. Quapropter os tibia decocto Divino purgavi, ipsique pulverem aristolochiæ & Iridis Florentinæ inspersi, & vulnus cerato diapalma confectum fascia obligavi.* Die 25. & 26. *propter magnam corruptionem os derasi, & multas corruptæ tibiæ partes volsella extraxi.* Die 29. *ab inferiore & interno tibiæ capite magnam portionem corruptam forfice T. XX. Fig. I. abscidi.* Die 30. *fætor ossis ab usu decocti divini nonnihil remisit.* Die 31. *postquam dolor pedis & fætor remisit, ægrum glutinosa victus ratione nutrivi ad generandum callum, & vulneri ceratum divinum applicui ad inducendam cicatricem. Ab hinc usque in diem 4. Ian. Anni 1641. ex inferiore tibiæ capite, seu malleolo externo fluxit materia purulenta.* Die 6. *circa hoc foramen apparuit caro solida.* Die 7. *vulnus benè habuit, & natura os tibiæ, à capite inferiore usque ad mediam partem erosum, integrè separavit. Osse separato, vulnus mensis spatio consolidatum fuit.*

De Gummate Gallico.

Gummata Gallica si medicamentis ex sarsapariglia, (quæ tophos & omnia luis venereæ accidentia multò facilius & breviore tempore mitigat & abolet, quam lignum sanctum) per os exhibitis non cedant; ceratum sequens optimo juvamento ipsis applicatur.

℞. Mercur. viv. saliv. hominis jejun. extinct. ℥ß.
Pulv. Tab. Ind. ʒß.
Empl. diachyl. c. gum.
Cerat. oxelæi.
citrin. ana ℥j.
Ol. lign. Guaj. d. ʒj. M. F. cerat.

Quod si sub remedii usu perpetuò doleant, nec dissipentur, certissimum signum est, os gummati subjectum, pati cariem: unde necessum est, ut gummaper longitudinem tibiæ scalpello Tabul. II. Fig. II. incidatur, ac os detectum ac corruptum scalpris abradatur. Tales tophi, uti in Germania rarissimè occurrunt, ita eorum curatio chirurgica non, nisi efflagitantibus illam, in atrocissimis doloribus, admittitur. In Italia verò frequentissimè & felicissimè, manuali operatione, curantur. Quamvis igitur multos, nobiles & ignobiles, tophis gallicis cruciatos sub cura habuerim, manum tamen paucissimis adhibere fuit concessum. Quoniam verò Patavii, ubi ferè innumeri de perpetuis tibiarum doloribus conquerantur, hanc operationem sæpissimè vidi, non rarò etiam ipsam ibidem administravi, modum operandi Patavinis usitatum, nostro opusculo paucissimis inserere volui, ut studiosi chirurgiæ (in quorum gratiam hæc scribo) ægrotantibus, qui ad incitas quasi redacti, & ab ipsis auxilium manuarium summè expetunt, promptè succurrere scirent. Primo die gumma venereum, scalpello citato, secundum tibiæ longitudinem usque ad os incidunt, dein vulnus stuppâ cannabinâ, quæ ovi albumine agitato fuerit imbuta, dilatant, tibiamque convenienti fascia involvunt, ad arcendum humorum affluxum. Secundo, removent stuppam & vulneri artificiosè exaltato, partibus vicinis & sanis prius defensivo, ne lædantur, optimè munitis, caustico quodam (mallem Holosericum, quod Ambr Pareus l. 25 cap. 32. describit) replent, postea emplastro super latum, & quod totam tibiam non circumit linteum, extenso cooperiunt, pedemque iterum, secundum artis præcepta, fasciâ expressivâ deligant. Tertio, omnibus rejectis escharam separantia applicant, quâ ablatâ, cariem ad vivum usque deradunt, deinde pulveribus exiccantibus os carne obducunt. Gumma prius incidunt, ut causticum citius in actum ducatur: non tamen semper necessaria est incisio, nisi in iis, qui chirurgo cariem ossis indicanti fidem haud exhibent, priusquam ipsi aut videant, aut illam tangant.

S. monstrat deligaturam cataphracta, quæ nomen habet à similitudine thoracis Romani, & prodest iis, quibus deligare juxta jugulum convenit latum scapularum os, pectus, dorsum, aut latera. Fascia autem unius capitis ita obvolvitur. Alæ primò circumdatur (Galen. l. de fasciis 79. tùm oblique per pectus ducitur, propè illam regionem, ubi jugulum cum osse pectoris committitur, inde per cervices, ad latum scapularum os humeri contrarii, atque ad alam subjectam ab ea q, ad cervices super partem prius injectam, ita ut propè cervices similitudo X. literæ fiat, posthac obliqua datur ad latum scapularum os ex altera parte, atque ad alam, ab ala ad cervices, ut in vertebra colli X. literæ figuram accipiat, deinceps sub ala, & oblique propè eam regionem, ubi

ubi jugulum cum osse pectoris committitur, sic ut hic quoque similitudo X. literæ fiat, & juxta cervices, & super latum scapularum os, & sub ala, ut quater X. literam repræsentet, nimirum semel à priore parte, semel à posteriore, bis propè jugulum. Ad eandem autem rationem, quoties opus est, circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera sic, ut tota junctura thoracem referat.

Atque ita divinâ permissione in his 43. Tabulis instrumentorum meorum chirurgicorum & delineationem, & legitimum administrandi modum, ea, qua potui dexteritate, infallibili experientia duce, omnibus informationem requirentibus, ob oculos ponere, describere, & publici juris facere volui.

OBSERVATIONUM CHIRURGICARUM

CENTURIA,

Confirmans & dilucidans ea, quæ in superiorum Tabularum descriptione breviter dicta sunt.

OBSERVATIO PRIMA.

Vulnus capitis cum depressione & rima cranii magna.

ANNO 1637. *die 9. Ianuarij, hora 7. pomeridiana,* Johannes Happelius *Ulmensis, Metator equitum, temperamenti calidi & humidi, agens trigesimum secundum ætatis annum, in duello à tubicine quodam sauciatus fuit, & septem vulnera accepit, quorum unum in sinistri brachii radio externo propè carpum, reliqua verò sex in capite (primum scilicet post sinistram aurem; secundum circa futuram coronalem, tertium propè sagittalem; quartum & quintum ad frontem cruciforme: & hac quidem omnia cuti superficialiter, mucrone saltem gladii, inflicta fuerunt.* Sextum vero vulnus, in musculo temporali dextri lateris circa suturæ coronalis principium, satis *periculosum* fuit: *inversus namque gladius, ejusque manubrii minor globulus usq. ad majorem penetrans, cranium cum quadam fractura depressit.) Hæc omnia urbanus quidam Chirurgus tractavit, uti simplicia alias vulnera tractari solent.*

Die 10. *Dn. Consulis mandato, ægrotum demum, accessi, & omnia reliqua inspecta vulnera parvi feci, excepto illo quod erat in musculo temporali: nec mea me fefellit opinio, quia specillo obtuso & lato (Tab. IIX. Fig. VI.) cranium depressum deprehendi, unde statim vulneri, ut dilataretur,* spongiæ novæ & contortæ particulam *imposui, pulverem Iridis Florintinæ & Aristolochiæ ossi inspersi, labiis digestivum adhibui, desuperque diapalma ac cataplasma idoneum applicavi.*

Vulnere illa circa suturam coronalem & sagittalem nonnihil quoque inditis filamentis carptis & digestivo oblitis dilatavi, desuper apponens ceratum diapalmæ, & fasciam Tab. XXXI. Fig. IX. & X. reliqua verò veluti simplicia tractavi. In victus ratione, cibus fuit panatella, cremor hordei, & pruna Damascena, Potus, aqua hordei Magistralis

℞. Hord. crud. ℥ß.
pass. min. ℥ij.
Semin. anis. ʒjs.

coq. sensim, per duas horas, in trib. aq. fontan. mensuris. Decoct. antequam refrigescat, add. cinam. crass. fiusculè incis. ʒij. *cum tinctura rosarum edulcorata, & vino granatorum attemperata. Vesperi usus est sequente Clystere, ad laxandam alvum, per quinque dies valdè adstrictam.*

℞. Herb. Malv.
Violar.
Beton.
Parietar. ana Mj.
Semin. Lini. ℥vj.
Fænicul.
citr. ana. ʒjs.
Rad. alth. ℥ß.
coq. in s. q. aq. ad ℥x,
colatur. adde
Mell. ros. sol. ℥js.
Elect. lenit. ℥j.
Ol. violar.
chamomill. ana ℥js.
M. f. a. F. Clyster levis *admodum, ne commoveat ægrum.*

Die 12. *hora 10. matutina propter inquietam noctem, majoremque tumorem atque dolorem circa vulnus, indicavi patienti & adstantibus opus esse, ut vulnus in musculo temporali per scalpellum dilatetur: & vulnere, dicta ratione obligato; patienti ob oris amarorem præscripsi & exhibui sequentem syrupum cholagogum:*

℞. syrup. ros. sol. ℥ij.
Extract. Rhab. el. ʒjs.
Diacart. ℈js.
Mag. Tartar. ℈j.
Aq. ceras. nigr. *q. s.*
Misc. pro syrup. liquido.

ex quo quinquies dejecit materiam biliosam. Die 13. *aliquantum melius habuit, quam die præterito, & vul-*

nus modo consueto obligavi. Die 14. *æger conquestus est de dolore vulneris temporalis. Ideo propter angustiam ego, & chirurgus prima læsionis hora vocatus, deliberavimus, vulnus scalpello, secundum fibrarum musculi temporalis ductum, in formam trianguli, aut literæ V. Tab. XXXI. Fig. II. esse dilatandum, ut cranium depressum prope foveam, modiolis trepani debite perforari & vecte convenienti submisso elevari possit. Tabul. XXXII.* Die 15. & 16. *propter vulneris dolorem, & instans novilunium, vulnus obligavi, uti diebus antecedentibus.* Die 17. *æger ob dolorem, quem materia exitum non inveniens* (vulnus enim nimis fuit angustum) *induxit, usus est enemate suo lenitivo.* Die 18. *hora nona matutina, propter prægressam inquietam noctem, vulnus musculi temporalis in formam lit. V. scalpello recto Tab. II. Figur. II. dilatavi, pericranium ab osse unguibus separavi, cavitatem stuppa cannabina in globulos formata, ovi albumine agitato humectata, & pulvere stegnotico aspersa, replevi, partes vicinas oleo rosato inunxi, & splenium Tab. XXXI. Fig. I. ex vino rubro expressum, cum fascia modo citata, adhibui.* Die 19. *sanguine, post incisionem integumentorum cranij firmiter subsistente, monstravi adstantibus prævisam cranij depressionem, ejusque necessariam perforationem inditavi.* Die 20. *cranium, prope depressionem & principium suturæ coronalis modiolis perforavi, oras foraminis, instrumento lenticulari Tabul. II. Fig. IIX. levigavi, submisso vecte debilissimo Tab. XXXI. Figur. VII. cranij depressionem erexi, membranæ crassæ sericum circulare, rubrum, oleo rosarum tepido imbutum, filoque appensum Tab. XXXI. Fig. IIX. admovi, cranio pulverem cephalicum, & filamenta sicca apposui, labiis autem digestivo oblita, desuper ceratum diapalma & cataplasma Hippocratis applicui.* Die 21. *vulnus & æger melius habuit, totaque nocte se dormisse confessus est, ideo membranæ crassæ cerebri iterum adhibui sericum rubrum, oleo rosato imbutum, & filo annexum, cranium pulvere ex Aristolochia rotunda & Iride Florentina conspersi, labiisque digestivum imposui, quod*

℞. Resin. tereb. in aq. bethon. lot. ʒijs.
vitell. ovi. no j. Misc.

addendo desuper ceratum diapalma & cataplasma. A die 22. usque ad 26. *patiens ratione vulneris optime habuit.* Die 27. *quatuor cranij particulas adhuc depressas, vectibusque Tab. II. depictis non cedentes, instrumento novo Tab. IV. Fig. II. excidi, & membranæ crassæ, ob conceptam putredinem, sericum linimento (quod constitit ex syrupo de rosis siccis, guttulis aliquot spiritus vini, & terebinthina) imbutum applicui, excrescentiam carnis flaccidam pulvere aluminis usti exedens.* Die 28. *ad expurgandos humores biliosos & serosos, quibus abundabat corpus, præscripsi sequens infusum.*

℞. Rhab. elect. ʒj.
Agaric. rec. troch. ʒjs.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥ß.
Gingib. optim.
Crem. Tartar. ana ℈ß.
Flor. Borrag. p. s.
F. infus. per noct. in s. q. aq. ceras. nigr. adde expressioni Mannæ electæ ℥js.
M. F. Potio.

quod magnam serosorum humorum copiam eduxit. Die 29. & 30. *vulnus & æger bene habuit.* Die 3. Februarii, *ob inordinatam victus rationem, passus est dolores colicos ita insignes, ut spatio quatuor dierum nunquam dormire potuerit; post usum tamen Enematis*

℞. Decoct. Carmin. ℥x.
Mel. rosat. sol.
Anthos. ana. ℥j.
Elect. lenitiv. ʒx.
Ol. amygd. dulc.
Rutac. ana ℥js.
M. F. Clyst.

dolor remisit, usque ad vesperam, qua iterum usus est enemate præscripto. Vulnus habuit, ut diebus antecedentibus, bene, & caro rubra, tam matri duræ, quam cranij mediti ullio, increvit. Die 9. Febr. *post assumptam potiunculam ex olei amygdal. dulc.* ℥iij. *mannæ* ℥ij. *& aq. chamomillæ* ℥j. *paratam, dolores colici, qui ipsum valde cruciarunt, parum remiserunt: noctem namque totam vigiliis consumsit. Quare* die 10. *usus est balneo ex aqua dulci, in qua coctus fuit sacculus sequens:*

℞. Herb. malv.
Chamomill.
Parietar.
Veronic.
Semin. lini
carui
furfur. ana Mjs.
insuantur sacculo.

à quo æger bene habuit. Die 11. *evomuit magnam bilis copiam: vesperi iterum injectus est clyster ordinarius, à cujus redditione vomitus, in vulneribus capitis non opportunus, & dolor circa præcordia cessavit: nihilominus tamen dormire non potuit, quare exhibui Laudani Opiati cum magisteriis gr. iij. in conserva rosarum, à quibus per sex horarum spatium quietissime dormivit. Vulnus carne repletum optima, tractavi filamentis carptis, & cerato divino, ut cicatricem acquireret.* Die 14. & 15. *bene habuit, ob humoris tamen & pituitosi & biliosi in corpore abundantiam, sumsit pulverem in vino absynthites purgantem.*

℞. Pulv. Rhab. el. ℈ij.
Mech. nigr. ℈s.
Crem. Tartar. ℈ß.
M. F. Pulv.

A quo septies dejecit materiam peccantem. Die 16. & 17. *omnia recte habuerunt.* Die 18. *patiens in publicum prodiit sine data venia, ipsique aëris summa frigiditas dolores colicos induxit, qui usu balnei superioris citissime cessarunt.* Die 19. *vulnere cicatrice totaliter tecto, patiens à frigoris noxa optime munitus, citra doloris colici recidivam in publico ambulavit.*

OB-

OBSERVATIO SECUNDA.

Vulnus capitis cum inflammatione pericranii, & fissura calvariæ dubia.

ANno 1638. die 15. Octobris, mandato Dn. Consulis, me in ædes Johann. Jacobi Heckingi, civis & sutoris Ulmensis, contuli, quem in lecto jacentem, quatuorque capitis vulneribus obnoxium reperi: quorum unum fuit in syncipite sinistri lateris, cum magna pericranii, quod ad putredinem tetendit, inflammatione, & fractura cranii: *reliqua autem tria fuerunt simplicia. Omnia quatuor balneator quidam statim curavit, ut simplicia aliâs tractari solent.* Die 16. *(qui fuit secundus à læsione dies) ob majorem putredinem atque inflammationem pericranij, fissuram que cranij de penetratione adhuc dubiam, vulnus, in syncipite, scalpello in crucis formam dilatavi Tabul. XXX. Figur. IX. stegnoticisq. medicamentis obligavi. Tertio die subsistente sanguine, fissuram cranij usque ad secundam laminam scalpris derasi Tab. XXX. Fig. X. Quarto rimam altius derasi, nihilominus tamen vestigium atramenti rima pennâ inducti relinquebatur, quod nullo scalprorum genere potui delere. Interea, ob alvi constipationem, & humorum ad pectus defluxum, præscripsi potionem blandam, ne humores agitentur.*

℞. Syrup. rof. sol. ℥ij.
Elect. lenitiv. ℥j.
Aq. ceras. nigr. q. s.
M. F. Pot. brev.

à qua septies dejecit materiam biliosam. Quinto die inspecto vulnere, & spiritu patientis cohibito, serosa quædam materia, cum aliquot sanguinis guttulis, è fissura scalpris altissimè derasâ promanavit. Rebus sic stantibus, in memoriam mihi revocavi, aurea Senis nostri effata, libr. de vulnerib. cap. text. 22. sic dicentis: Ubi rima altius descendit, neque radendo eximi potest, in hoc casu ad sectionem seu perforationem cranii deveniendum est. *Et text. 28. Quum quis os fissum, aut ruptum, aut contusum, aut quocunque modo fractum intelligens, per errorem neq. raserit, neque perforaverit, veluti os non opus habeat &c. Inter recentiores Anatomicos & Chirurgos Hieronym. Fabrit. ab Aquapend. ejusque Præceptor Fallopping sentiunt, sæva symptomata non esse expectanda,* quæ Barbitonsores nostri cum miseri patientis periculo sæpissimè imprudenter expectant. *Fallopius contusiones in exteriore cranij lamina consistentes parvi facit; eam verò, quæ ad meditullium cranij pervenit, periculo minime vacare scribit, eo quod ibi colligatur sanies, quæ descendens crassam cerebri membranam erodere possit. Unde* die 6. *ob prædictas causas cranium propè fissuram trepano perforavi, Tabul. XXXI. Figur. V. & foramine per lenticulam lævigato Tab. XXXI. Fig. VII. linteolum ex serico rotundum, oleo rosato imbutum, filoque alligatum Tabul. XXXI. Figur. VIII. membranæ duræ, pulverem & filamenta arida ossi, digestivo oblinita labiis, & desuper diapalmæ atque cataplasma imposui. Vesperi æger melius habuit, quam manè: remisit enim dolor utriusque oculi ad tunicam adnatam, de quo ante perforationem cranij est valdè conquestus.*

Die 7. *benè habuit, de nihiloque alio conquestus, nisi de tussicula, & levissima adhuc gravitate circa oculos. Religato vulnere, & inspecta crassiore cerebri membrana, tantus, per foramen modiolis excisum, fætor exivit, ut præ illo vulnus vix tractare potuerim. Deterso per lanam vulnere, membrana crassa in superficie erat aliquantulum viscosa, & semiputrida, veluti pericranium, ob qualem putredinem oleum rosatum non videbatur sufficiens, sed medicamentum compositum, quod putredini membranæ valdè resisteret.*

℞. Syrup. de ros. sicc. ℥ij.
Terebinth. lot. in aq. bet. hon. ℥j.
Spir. vini gutt. vj.
M. in form. linimenti,

quo linteolum circulare imbui, & tepidè membranæ prædictæ imposui Tab. XXXI. Figur. IIX. ossi filamenta & pulverem ex Aristolochia rotunda & Iride Florentina adhibui, labiis unguentum conveniens admovi, desuper diapalmæ ceratum, & cataplasma (quod conficitur ex farina fabarum, hordei, mica panis, vino rubro & oleo rosato) fascia cancer dicta, Tab. XXXI. Fig. X. applicui: Die 8. *benè habuit, & fætor gravissimus membranæ aliquantulum remisit.*

Die 10 *æger denuò sumsit potiunculam medicam, à qua sex sedes habuit.* Die 12. *membrana cerebri crassa, continuato linimenti usu, ad rubedinem tetendit.* Die 13. *æger benè habuit, & dura mater rubicundior facta apparuit, quam die præterito, viscosam illam & semiputridam duræ matris particulam undique separatam, volsellæ dentibus Tab. IV. Fig. I. arripui, & per foramen extraxi. A die 14. usque ad vigesimum benè habuit.* Die vigesimo Novembris *cranium desquamavit officulum, quod, quia ab interna cranij lamina omninò separatum fuit, volsella extraxi, vulnusque beneficio cerati divini ad cicatricem deduxi.* Die 27. *æger pristinæ sanitati restitutus, mihi gratias retulit pro habito labore maximas.*

OBSERVATIO TERTIA.

Vulnus capitis in musculo temporali cum rima cranii latissima, & duræ matris inflammatione.

JOhannes Antwander / *Ratiarius Kirchdorfensis, Anno 1633 die 3. Ianuarij ad vesperam acinace quodam vulneratus fuit in sinistro tempore*, cum fissura cranii adeo patente, ut digitum facillimè ipsi indicem imponere potuissem. *Patiens* secundo die *læsionis, delatus est in ædes* Chirurgi Johannis Georgii Bauleri, *ubi duræ matri inflammatæ statim imposui sericum* oblongum *& oleo rosaceo imbutum, ossi, cum filamentis aridis, pulverem cephalicum atque vulneri digestivum, ceratum diapalma (profuisset etiam linimentum simplex) cataplasma & fasciam cancer dictam. Digestivi & cataplasmatis appositi hæc est descriptio.*

℞. Resin. Tereb. lot. in aq. rof. ℥ij.
Ol. rof. ℥j.
Vitell. ovi num. j.
M. F. digestivum.

℞. Farin. Hord.
Fabar. ana ℥vj.
Mic. pan. domest. ℥iiij
Pulv. rosar. ℥ß.
Ol. rosac. ℥iij.
Oxym. simpl. & vini rubr. ana q. f.
M. ad ignem in formam cataplasmatis.

Vesperi patiens ad revellendos humores, coactus admisit sequens Enema:

℞. Decoct. herb. emoll: ℥x.
Flor. cass. rec. extract. ℥j.
Mel. rof sol. ℥j\ß.
Olei viol. & chamom. ana ℥j\ß. Misc.

Tertiò, *secta fuit vena mediana sinistri brachii & emissus sanguis ad ℥v. Victus erat tenuis, panatella scilicet & cremor hordei. Potus fuit aqua hordei Magistralis, cui ad levandam sitim interdum immiscuit cochlearia duo, vel tria sequentis syrupi.*

℞. Syrup. Acetor. citr.
Granator. acid.
Tinctur. Rof. ana ℥iij.
Misc. ad Ollam.

Religatum vulnus, ob remissiorem membranæ inflammationem, iisdem medicamentis & fascia obligavimus.

Quarto, propter amarorem oris, de quo valdè conquestus est æger, præscripsi potionem laxativam.

℞. Syrup. rof. sol. ℥j\ß.
de mann. ℥j.
Elect. de succ. rof. ℥ij.
Aq. ceras. nigr. q. s.
M. F. Potio.

à cujus haustu patiens dejecit materiam biliosissimam. Quinto *patiens melius habuit & inflammatio meningis crassæ omnino evanuit.* Sexto *membranæ linteum syrupo de rosis siccis illitum adhibui, & digestivo, quod plagæ labiis applicandū, mel rosaceū addidi, iisq; vulnus & membranam quotidiè tractavi donec ambo satis munda apparerent.* Decimo *vulnus & membrana omninò pulchra fuerunt: quare, omisso linteolo, plagam unguento de bethonica incarnavi, incarnatamq; cerato divino cicatrizavi.* Die trigesimo sexto *æger conqueri cœpit de dolore pungitivo circa locum affectum, ob squamulam ossis, quam natura separavit, & ego volsella arreptam extraxi. His paucissimis remediis patiens lethaliter vulneratus brevi temporis spatio,* absque manuum opera, *feliciβimè restitutus fuit.*

OBSERVATIO QUARTA.

Vulnus capitis os frontis dividens periculosum, & adhibito trepano curatum. Sequentem casum ex D. Gregor. Horstii lib. posteriorum observat. p. 357. transcribere non dubitavi.

ANNO 1626. *die 11. Octobr.* Georgius Seitz *in vico* Edelhaussen *annor. 40. plus minus, nocturno tempore gladio graviter in capitis anteriori parte vulneratur, qui mox incidit in Empiricum, qui pertusionem* (seu rimam) *Cranij non observans, adhibitis* (pro more suo) *sarcoticis vulnus externum consolidare nititur. Cum autem indies graviora fierent symptomata, suasu suorum Ulmam sese confert, & 20. Octob. me, cum Clariss. Collega Domino Iohan. Sculteto, in Chirurgicis operationibus exercitato, consilii causa vocat. Consideratis ergò Circumstantiis, anguem in herba latitare suspicabamur, quam ob causam ei quodammodo dilatato vulnere cranium ipsum per utramque laminam divisum deprehendimus, sub eodem materia purulenta collecta, cujus egressus,* exspiratione per nares ore clauso, *promovebatur. Prognostico facto, trepanum adhibendum esse diximus, qu mob causam, viribus constantibus adhuc, ægrum benè sperare jussimus. 21. Octobris, cum Elect. Lenit. præcedente die vacuatus esset, recta sectione cutim, ad rectitudinem fibrarum musculi frontis, vel superciliï potius dividendam esse statuimus, ne per crucem, ut alias fieri solet, divisione facta, læsis transversim prædicti musculi fibris palpebra superior postea deprimeretur, quod Anno 1614. 7. Martij Eisenbachii per lapsum ex alto, musculo hoc contuso, fæminæ cuidam accidisse memini. Facta itaque sufficienti incisione, cutis à cranio digitis separabatur, & linteolis rasis, pulvere stegnotico conspersis, ac albumine ovi paratis semper exterius humectatis, vulnus ligabatur. 22. sanguine firmiter subsistente, per collegam meum trepanum fuit adhibitum (Tab. XXXI. Fig. V.*

Fig. V.) cujus operatione peracta, dura mater etiam aliquantulum læsa & inflammata conspiciebatur, sanie tenui per foramen ejus parvum ebulliente. Mox igitur inflammationem alterare, saniemque quotidiè detergere conati sumus, non neglectis internis lenitivis evacuationibus reiteratis, tum etiam ordinata victus ratione tenui, qua ratione post elapsas septimanas duas vel tres perfectè restitutus fuit æger, hactenus in annum tertium pristina sanitate gaudens. Manifestum igitur non tantum in principio, sed etiam in progressu morbi, trepanum concedi posse, modo laborantis vires adhuc constent.

OBSERVATIO QUINTA.

Vulnus capitis cum depressione cranii maxima.

ANNO 1634. *Mense Aprili*, Martinus Kuntz / *Durcha-Misnensis à Præfecto militum seu Capitaneo in dextra occipitis parte, propè suturæ coronalis & sagittalis concursum, vulnus accepit crassa compede, quæ non tantum pericranium, verum etiam magnum cranij spatium deprimeret. Hæc autem depressio, ob sanguinis concreti copiam, à Barbitonsore, in principio morbi non fuit observata, sed vulnus tanti momenti, veluti simplex,* usque ad 14. læsionis diem *ab ipso tractatum, cui sæva symptomata supervenerunt. His rebus ita stantibus, ego cum Clariss. meo Collega, Dn. D. Gregorio Horstio ad vulneratum vocatus sum, & inspecto vulnere, invenimus, circa suturam sagitalem & lambdoidem, maximam depressionem cranij, quam communicatis consiliis (ob febrem continuam, dolorem capitis atque vertiginem) cute prius incisa & cranio aperto, curandam esse statuimus. Vesperi, ob constipationem alvi, æger usus est Clystere refrigerante & humectante:* Die 16. *ablata fascia, & inspecto vulnere, depressionem digito nonnihil tetigi, & æger statim de punctorio dolore conquestus est. Itaque foveam cutis atramento in crucem signavi, signatam scalpello recto Tabul. II. Fig. II. incidi, pericranium unguibus ab osse separavi, & vulnus dilatatum stuppa cannabina & medicamento (ex pulvere stegnotico Galeni & albumine ovi agitato) imbuta obligavi.* Die 27. *Sanguinis fluxu restricto, stuppaque remota invenimus tam magnam cranij depressionem,* ut coacti essemus cranium septies modiolis in depressionis circumferentia perforare, *& foraminum interstitia forfice incisoria Tab. XX. Fig. I. excidere, quod adhuc in cranio Tab. XXXII. videre licet. Hisce peractis oras cranij instrumento lenticulari undique lævigavi Tab XXXI. Fig. VII dura matri pannum ex serico rotundum, oleoq; rosarum madefactum, ossi pulverem ex radicibus Aristolochiæ rotundæ & irid Florentinæ & filamenta arida labiis filamenta digestivo* (ex resina terebinthina in aqua plantaginis lota, vitello ovi, & oleo rosato) *oblita, ac super hæc diapalma impo sui, omniaq; adhibito prius cataplasmate* (quod cōstabat mica panis domestici, farina hordei & fabarum, floribus rosf. & betonicæ, oxymel. simplici & oleó rosato) *fascia Galeno cancer dicta obligavi.* Die 28. *missus est sanguis è vena mediana sinistri brachii ad* ℥iiij. *Victus ratio fuit panatella, & aqua hordei succo granatorum permixta.* Die 30. *propter amarorem oris, (de quo ferè omnes in capite vulnerati conqueruntur) usus est hoc syrupo:*

℞. Syrup. rosf. sol. ℥ij.
Elect. Lenit. ℥j.
Semin. citr. ℈js.
Decoct. fl. & fr. q. s.
M. F. syrup. liquid.

à quo quinquies dejecit materiam biliosam & spumosam. Die 1. *Maij æger placidè dormivit, & dura mater, circa suturam sagittalem, viscosa & semiputrida fuit, ideo ipsi linimentum* ex syrupo de rosis siccis, spiritu vini & terebinthina, *panno serico inductum imposui, atq; vulnus reliquis remediis tractavi.* Die 2. *magnam ob sitim æger sequentem sumsit syrupum.*

℞. Syrup. acetosf. citr. ℥j.
acetosell.
Oxysacch. simpl. ana ℥ß.
Aq. cerasor. nigr.
Fragar.
Borrag. ana ℥ij.
M. F. Haustus.

Die 3. *cohibito, naribus occlusis, spiritu, copiosa & flava materia ex vulnere dimanabat: postea deterso vulnere, frustulum ossis nigrum propè suturam lambdoidem in conspectum venit.* Die 4. *sitis remisit, & frustulum ossis modo dicti volsella extraxi.* Die 5. *propter fætorem ossis vulnus lavi decocto divino.* Die 6. *fætor ossis remisit, & ad majorem vulneris exiccationem digestivum adhibui:*

℞. Tereb. lot. in aq. scord. ʒij.
Pulv. myrrh.
Aristoloch. rot.
Irid. Florentin. ana ʒj.
Mell. rosf. colat. q. s.
M. in form. Linim.

Die 7. *æger rectè habuit, at cum alvus non esset satis lubrica, usus est Enemate.*

℞. Decoct. commun. ℥viij.
Elect. Diacatholic. ℥j.
Olei violat.
chamom. ana ℥js.
M. f. a. pro Clystere.

à quo ter dejecit. Die 8. *æger placidè dormivit* Die 9 *dura mater fuit rubicundissima, ex qua, dum illam gossipio abstersi, aliquot sanguinis guttulæ effluxerunt.* A *die 10. usque ad 14. benè habuit.* Die 15. *ob constipationem alvi deglutivit bolos ex elect. lenitivi ℥j. & sacch*

s. q. formatos à quibus quater dejecit. Die 20. *membrana crassa, & interstitio laminarum cranij, caro increvit rubra.* Die 24. *bene habuit,* at pro majore capitis roboratione, cataplasmati superiori vinum rubrum & parum furfurum tritici addidi. Die 30. *Maji facta est magna desquamatio cranij, & vulneri carne solida repleto ceratum divinum apposui, ad cicatricem comparandam.* Die 10. *Iunij vulnus cicatrice obtectum,* & 11. *patiens in publicum prodiit.* Die 20. *æger pristinæ sanitati restitutus, munus suum militare iterum cum laude obivit.*

OBSERVATIO SEXTA.

Vulnus capitis aliud cum introcessione calvariæ permagna.

A*NNO 1636. die 18. Novemb. hora 9. antemeridiana,* Rusticus quidam Idelhusanus, *temperamenti calidi & humidi, circa 32. ætatis annum, à quodam fabro ferrario, nescio ob quas lites de finibus agrorum, coram judice & arbitro, marrâ inversâ, in dextram syncipitis partem adeò percussus fuit, ut non tantum retro in terram caderet, & sanguinem è naribus stillaret, verùm etiam ibi sine sensu & motu jaceret instar mortui. Hora 10. lasi conjux vocavit quendam Vlmâ chirurgum, qui vulnus pulvere adstringente Galeni & albumine ovi agitato obligavit:* cum tamen statim, considerando causam, quæ fortis erat, illud in crucem dilatare debuisset. Die 19. *hora 4. post meridiem, lectica delatus est Vlmam, & circa septimam ipsum inveni cum insigni capitis dolore, febre, animi deliquio, & tumore dextri oculi. Vnde præscripsi aquam corroborantem, quæ constabat sequentibus*

℞. Aq. ceras. nigr.
Acetos.
Borrag. ana ℥js.
Spir. cephalic. Anhalt. ℈ij.
Marg. præp.
Corall. rubr. præp. ana ℈j.
Lapid. chrysol. præp. ℈ß.
Man. christ. perlat. ℥ß. M.

de qua sæpius cochlear unum atque alterum assumpsit. Ob sitim & nauseam vesperi usus est dimidia parte hujus julepi.

℞. Syrup. è succo viol. ℥js.
Tinct. rosf. cum julepo. ℥iiij.
Aq. Endiv. ℥ij.
Vini granat. ℥iiij. M. pro 2. dosib.

Die 20. *duabus horis ante meridiem, conquestus est de maximo capitis dolore: soluta fasciâ, detecto & inspecto vulnere, specilli globosâ parte diligentissimè exploravi vulneris latitudinem & profunditatem, & cranium valdè depressum esse deprehendi.*

Quamobrem, eodem die, vulnus spatha Celsi, Tabul. II. Fig. I. in formam Litt. X. vel crucis dilatavi, & membranâ unguibus à cranio deductâ, ad sistendum sanguinis fluxum, & vulnus apertum conservandum, apposui stuppam canabinam, subacto ovi candido madefactam, & pulvere stegnotico aspersam: ad prohibendam inflammationem, totum caput & collum oleo rosato inunxi, splenium que quadruplicatum, in vino rubro expressum, partibusque plagæ vicinis applicitum, fasciâ Tab. XXXI Fig. X. alligavi. Vesperi bibit syrupum refrigerantem, usus que pro potu aqua hordei, pro cœna vero panatella.

Die 21. *hora 10. ante meridiem, sanguine suppresso, solvi fasciam, & remotis removendis, inspexi vulnus, ac inveni non tantum depressionem in osse syncipitis latitudine unius pollicis transversi à sutura coronali, duorum vero transversorum à sagittali distantem, verum etiam duarum rimarum dispersionem vi contusionis subortam, quarum anterior à modo dicta depressione per suturam coronalem ad dextrum oculum; posterior verò ad sinistram aurem protendit. Rebus ita confusis, ossi pulverem Aristoloch. rotund. & Iridis Florentinæ, labiis unguentum digerens, & desuper ceratum diapalma applicui, ac propter tumorem insignem dextri oculi adhibui sequens cataplasma, quod constabat ex*

Farin. hordei.
fabar. ana ℥ij.
Mica panis domestic. ℥ijs.
Pulv. rosf.
bethonic. ana ʒvj.
Ol. rosat. ℥iij.
Oxymel. simpl. q. s. M.

Ante meridiem, horis duabus ante prandium, assumpsit bolos lenitivos ex elect. lenitiv. ℥j. *& sacch. albiss. s. q. formatos.* Die 23. *ob majorem capitis inflammationem, dolorem, vertiginem atque tumorem dextri oculi, coactus fui cranium depressum, propè suturam coronalem & sagittalem, modiolis trepani perforare. Perforato cranio, & foraminis asperitatibus per instrumentum lenticulare derasis, vecte submisso os depressum reduxi Tabul. XXXII. Fig. II dura matri particulam serici oleo rosato imbutam, filoque firmiter annexam, imposui, & reliquum vulnus pulvere noto, filamentis aridis, & digestivo oblitis, cerato diapalma, & cataplasmate obligavi, non neglectis inunctionibus partium vulneri vicinarum, & colli.* Vesperi æger melius habuit, quàm tempore matutino ante cranii perforationem, *usus est suo syrupo refrigerante.* Die 24. *hora decima ante meridiem, patienti, qui multo melius habuit, quam diebus præteritis, revulsionis & refrigerationis gratiâ, incisa fuit vena mediana dextri brachii & emissus sanguis ad* ℥iiij. Die 25. *lenito dolore, exhausit æger potionem, ob* constipationem alvi in vulneribus capitis valdè noxiam.

℞. Elect. lenit. ℥j.
Syrup. rosf. sol. ℥ij.
Aqu. Ceras. nigr. q. s.
M. F. Potio, *omnis ferè caloris expers.*

Vulnus

vulnus mihi & oculus dexter optimè placuit: æger ad vesperam resumpsit syrupum suum refrigerantem. Die 26. *dixit patiens se per totam noctem quietissimè dormivisse, nullumque aut capitis, aut oculi dextri dolorem percepisse.* Die 27. *iterum placidè dormivit, & nullam circa vulnus molestiam sensit. Ex dura cerebri membrana, guttulæ aliquot serosa materia effluxerunt. Ad majorem igitur exiccationem*, linimentum ex syrupo rosarum, terebinthina & spiritu vini paratum, *& panno serico inductum, membranæ crassæ apposui. Cataplasmati, loco oxymellitis simplicis, vinum rubrum austerum immiscui, ad majus capitis robor.* Die 28. *æger tam benè habuit, quàm die præterito; sed ego membranam cerebri ex contusione superficialiter denigratam conspexi.* Die 29. *ob alvi constipationem, patiens assumpsit potiunculam suam laxativam, à qua tres habuit sedes. Membrana verò, à linimento imposito, ad suppurationem tetendit, ut post detersionem gossypio tentatam maculæ illius nigræ, & aliqualem sanguinis effusionem, rubra appareret.* Die 30. *iterum benè habuit, sed circa frontem & musculum temporalem conquestus est de dolore quodam pulsatorio.* Die 2. *Decembris dolor iste sponte cessavit, æger que dixit, se ratione virium absque baculo ambulare posse. Materia purulenta, quæ à dura matre per foramen modiolis factum eo die effluxit, fuit alba & benè cocta. Loco linimenti, & digestivi membranæ carnosæ & labiis plagæ adhibui Unguentum de Bethonica, cerato citrino permixtum.*

℞. Succi Betonic. ℥iij.
Pimpinell.
Matrisylv.
Consol. maj. ana ℥ß.
Vini malv. ℥v.
Bulliant. ad cons. vini, dein adde resin. Tereb. ℥ij.
sevi castrat.
Ol. ros. ana ℥j.
Pulv. mastich.
myrrh.
mum. ana ʒß.
virid. ær. ʒij.
Cer. q. s. M. pro Ung. de Bethon.

Die 3. & 4. *æger benè habuit, & ego separatam duræ matris particulam volsellæ dentibus extraxi, eademque remedia, quæ diebus præteritis, imposui.* Die 5. *dura mater undique carne rubra fuit obtecta, quod optimum signum est Celso, qui libr. 8. scribit:* ubi beneres cedit, incipit ab ipsa membrana caro increscere. Die 7. *ad majorem exiccationem, duræ matri apposui ceratum divinum.* Die 8. 9. & 10. *æger benè habuit.* Die 11. *nihil dormivit.* Die 12. *conquestus est de dolore capitis* Die 13. *parum dormivit.* Die 16. *specillo nonnihil incurvato, inter primam & secundam cranii tabulam perveni, & ossis particulam lenticulà undique separatam volsellæ beneficio exemi.* Die 16. *aliud ossiculum circa frontem desquamatum* ἀκανταβόλῳ *extraxi.* Die 19. 20. 21. *& vigesimo secundo benè habuit. At 23. conquestus est de dolore frontis gravativo, propter quem assumsit supra descriptam potiunculam, à qua quinquies dejecit: sed quia, post prandium, aquam frigidam copiosè bibit, de ventriculi dolore conqueri cœpit. Die nativitatis Christi, carnibus multis vescebatur, unde novus ad plagam humorum affluxus, calor totius febrilis, & caro in vulnere nigra apparuit. Quapropter ipsi esus carnium interdictus, & sola panatella pro cibo fuit concessa, sic purgato leniter corpore, & observata ratione victus tenuis, excrescentiam carnis nigram alumine usto consumpsi, & spatio quinque dierum æger melius habuit. Mense Ianuary vulnus cerato Divino,*

℞. Gumm. Ammon.
Galb.
Opopon.
Bdell.
Pulv. myrrh.
Thuris.
Mastich.
Aristol. long.
virid. æris
Lapid. calam. præp.
hæmatit. ana ʒj.
Lithargyr. aur.
Olei commun. ana ℔j.
Ceræ citrin.
Resin. Tereb. ana ℥vj.
M. F. ceratum, quod ulcera citissimè glutinat, neque in iis carnem inutilem gigni permittit,

ad cicatricem duxi, & ægrum dictis remediis pristinæ sanitati restitui.

OBSERVATIO SEPTIMA.

Contusio capitis ob intermissum trepani usum, centesimo die mortem inferens.

R*Usticus, vir robustissimus, nunquam per dies vitæ suæ infirmus, quadragenarius, ab aliis pugnis exceptus, validè in nudo capite percussus fuit, crebrosq; ac vehementes ictus sustinuit: factū hoc 11 Novemb. anni 1630. Æger non magni æstimavit hoc, & per aliquot dies subsequentes consueta munia obiit, quamvis dolores* non parvos ex percussione senserit. Decimo octavo *ejusdem mensis die magis infirmari, doloresque majores persentire cœpit. Maxillæ inferioris motus difficilis accessit, ita ut vix os aperire, ciboque ingerere, tandem etiam os claudere, sine manus subsidio maxillam comprimentis, non amplius potuerit. Barbitonsor villanus*

tunc

tunc vocatus, capitis plagas, nescio quibus remediis curare cæpit. Cum autem omnia ingravescerent, Chirurgus quidam exercitatus post quatriduum, nempe vigesimo secundo *ejusdem mensis, ex vicino oppido accersitus fuit; qui caput subtumidum ab ecchymosi reperit. Is variis externis adhibitis discutientibus tumores repressit quidem, ast dolores non submovit, qui totum caput & nucham etiam indies magis occupare cæperunt, & ita invaluerũt, ut nec caput movere, nec oculos attollere posset; accesserunt vertigines, pervigilia, levia deliria, membrorum debilitates, ita ut pedibus vix stare, minus ambulare, interdum etiam brachia sustollere non potuerit. Medicus tandem vocatus* septimo die Mensis Decembris *adfuit, qui ex lecto adductum & scamno assidentem, ipsum conspexit, torvum vultum exhibentem, ita ut non parum terreretur, & vel convulsiones, vel alia graviora ac periculosiora accidentia jam jam imminentia metueret. In habita signorum ac symptomatum exploratione, caput etiam, ut qua parte magis doleret, scire posset, manibus contrectando perquisivit, & in posteriore ac suprema parte mollitiem quandam digito cedentem, ad cujus compressionem cavitas conspicua in cute manserat, deprehendit, adeoque sanguinis sub cute musculosa jam concreti & putrescentis effusionem, & congestionem animadvertit, quem per cutis incisionem, ne cranei os ab eo corrumpatur, vel pericraneum inflammetur, vel supra enumerata accidentia intendantur, & tandem necem adferant, evacuandum judicavit. Factum hoc à chirurgo præsente, & crucis in modum cutis novacula aperta est, & incisio facta usque ad pericraneum: & effluxit sanguis nigricans, concretus & serosus. Ab apertione hac symptomata illa utcunque mitigata sunt, & capitis dolores, magna ex parte, remiserunt. De hac re alii præsertim ij qui damnum ægro intulerunt, malè judicare cæperunt, ac si ista incisio non necessaria, sed frustranea, majorque noxa capiti illata fuisset. Inde motus præsens Medicus, qui ex symptomatum pravitate, non parvum periculum imminere censuit, & insuper in istam suspicionem venit, ac si cranium rimulam ex ictibus contraxerit (nondum enim tunc ipsi certum esse potuerat, an arma vel fustes præter pugnos adhibita fuissent,) vel sanguis sub cute collectus putrescens cranium inficere cæperit, vel oborta inflammatione in externa parte, suturæ sagittali vicina, portio saniosi humoris perfuturam intus decesserit, vel venula quædam, quæ in cerebrum vel ejus membranas contingunt disrupta sint, à quibus sanguis effluens, inque saniem conversus symptomata illa excitaverit; propterea que, ut etiam pericranium à cranio revelleretur, imo etiam cranii perforatio, si symptomata non recessissent, institueretur, suasit, alium etiam Medicum in Chirurgicis exercitatissimum adesse voluit, qui vocatus, cum omnes circumstantias probè examinasset, cum illo planè consensit, & ut pro abundantiori cautela pericranium solveretur consuluit, alioquin certam securitatem nunquam promitti posse, quod rationibus & exemplis confirmavit; sed in hanc rem Medicus tertius & chirurgus, qui ab adversa parte huc submissi erant, consentire noluerunt: eò quòd graviora symptomata nulla amplius adessent, nec signa læsi cranii ulla apparerent, hinc ab omni periculo immunem esse pronunciarunt, quapropter ut vulnus, quod per aliquot dies apertum adhuc servari possit, iterum consolidetur, suaserunt; reliqui ne viderentur non necessarias afflictiones superaddere velle, consenserunt. Factum ergò ut vulnus consolidatum. Ab hoc autem tempore denuo affligi cæpit ingentibus doloribus totius capitis, maximè ejus partis intimæ, qua incisio facta fuit, de quibus etiamnum conqueritur, diesque noctesque accedunt iterum vertigines & magnæ debilitates, noctes totas insomnes ducit, cibos fastidit, horrores & frigus partium inferiorum, superiorum autem æstus continuos, sustinet.* Die 5. *Februarij defluxionem gravem sensit per sinistram capitis partem, ac si aqua calida perfunderetur, humoribus per fauces delabentibus & in pectus irruentibus. ubi insignem gravitatem, qua se suffocatum iri putabat, induxerunt; sed post paucas horas iterum discussi sunt. Medicus præsens denuò vulnus aperiendum & dilatandum existimavit: Alter autem in id consentire noluit, sed omni periculo vacare pronunciavit.*

Infirmior autem quotidiè fit æger, corporeque suo indies consumitur & moritur.

Duplex hinc oritur quæstio. 1. an apertio vel incisio cutis in capite à præsente chirurgo instituta necessaria fuerit. 2. An per .. ssiones in capite facta, periculum & ipsam necem afferre potuerint? Ad primam respondetur, quod non solum à chirurgo tentata cutis in capite incisio, verum etiam ipsius pericranij dissectio, & cranii per modiolos perforatio, summè fuisset necessaria, ob symptomatum urgentium præsentiã, quæ aliquã sub cranio noxam indicarunt. Ad secundam, quod contusiones cum vel sine rima cranij, nunquam spernendæ, post centesimum læsionis diem ipsam mortem inferre possint, præsertim verò tunc, quando cranium fractum, ad expurgandam materiam illam, quæ per rimam ad membranam crassam vel cerebrum paulatim descendit, modiolis non aperitur. Has quæstiones mihi proposuit Clariss. D. D. Jac. Egoldus, Physicus Memmingens. & *responsionem meam confirmabunt quatuor sequentes observationes: quarum duas priores ut communicatas hic inserere visum fuit.*

OBSERVATIO OCTAVA.

Contusio cerebri nona septimana ex improviso necem inducens.

ANNO 1636. *Mense Decembri, ex Clarissimi Domini mei Collegæ, Iohannis Georgij Gockelij, Phil. & Med. Doct. & Reipubl. Vlmens. Ordinarii, fidelissima relatione accepi, funestissimi nostri Teutonici belli occasione (in quo utrinque fortissimi sanguinis flumina effusa piorum promeritis lacrymis ansam dederunt). Cæsarianum quendam militem, Austriacum, in excursionibus illis, &* imaginaria quadam pugna, *in qua ad gladios*

dios usque ventum erat, à Suecico quodam equite, cestrâ, duobus repetitis ictibus, in capitis occipite ita multatum fuisse, ut, expugnatus, humique prostratus, captivus in adversariorum suorum manus pervenerit; & receptui dato signo, cum aliis commilitonibus, semimortuus in Xenodochium Ulmense delatus fuerit.

Hos ergo omnes, Medicis, Amplissimi Senatus nostri in ægros benignitate constitutis (ex quorum numero D. D. Cockelius alter aderat) & chirurgo suo traditos, alimentis necessariis enutritos, internis & externis medicamentis, ex arte ita tractatos fuisse; ut plures illorum ad suos incolumes salvique pervenerint, hunc nostrum attamen (sed sine cruento vulnere, absque ulla cranij aut fissura, aut evidenti quadam depressione) percussum, elapsis circiter novem septimanis, cum & expedite loqui & ingredi valeret, nullosque amplius ex contusione dolores sentiret, & recreandi animi gratia sæpiuscule obambularando, genio suo indulgeret, de abitu, vel tandem etiam in patriam cogitare cæpisse; verum dum proxima quavis data occasione, certo sibi navigio discessum decreverit, noctu salvus, ut quidem omnibus videbatur, somnum atque quietem capiens, subitò, in ipso sopore, extinctum & mortuum esse.

Ne ergo omninò insperati hujus ex vita discessus causa lateret, præfatum Dominum meum Collegam à Nobiliss. Xenodochii Ulmani præfectis humilimè petiisse, ut apertà per chirurgiam calvaria, ponderatis matribus, & inspectà ipsa cerebri substantia, liberam ipsi indulgentiam & potestatem concederent, in fundamenta ulterius inquirere, & totam quasi rem, ab ovo, ut dicunt repetere: Dn. Præfectis lubentissimè annuentibus, se cruciformi tis incisione, pericranij ab osse separatione; & ipsius cranij, juxta usitatum modum, serra in orbem facta dissectione, partiumque omnium diligentissima inspectione & consideratione, ne minimam in cranio rimulam, nec ullū etiam levissimæ depressionis vestigium animadvertere potuisse, verum in percussæ parti subjecta cerebri substantia, non secus ac in putridis pomis usu venire solet, ad digiti crassitiem, enormem & ad ventriculos ferè anteriores penetrantem putredinem, & aliqualem piæ matris corruptionem invenisse; reliqua autem cuncta omninò illæsa apparuisse.

Communicatis nostris super hunc casum opinionibus, de externa causa & violenta percussione dubitare nullo modo potuimus, cum illa & morbum & necem militi huic intulerit: sed hoc nobis scrupulum injecit, & admirationi justè fuit; I. Quod lædens illa vis non proximas potius, sed interiores magis partes percutiendo læserit; quamvis experientia plura talia observarit exempla. II. Quomodo in cerebro temperatiilli & pellucidi animales spiritus tam graviter turbari possint, ut & ipsis in momento quasi, cerebri sideratione m admittant, partibus exterioribus salvis? Et III. Quare putredo illa insignis, in ipso cerebro suborta, & piæ matri communicata, nullos unquam partium internarum dolores, nullamque vel externorum vel internorum sensuum depravationem induxerit, sed ex improviso omnem sentiendi facultatem cum ipsa vita abstulerit? Hac igitur observatione chirurgi notent, ut nullas capitis percussiones, etiamsi partes cerebrū continentes illæsas invenerint, leves judicent, in iis nunquam indubitatam salutem promittant, nullosq; in diæta præsertim, errores concedant, sed potius arte cauta, & prudente diffidentia ægrotantes ita tractent, quo sacræ nostræ artis vera lumina existant.

OBSERVATIO NONA.

Introcessio cranii; & punctura duræ matris, quæ ob denegatum instrumentorum apparatum, interemit ægrum.

Præfatus modo Dn. D. Cockelius mihi narravit, dum Anno 1633. die 23. Febrarij ad Physicatum Biberacensem vocaretur, & ob bellicos ibidem tumultus, spem inter & metum versaretur; quod paganus quidam, ab invadente hoste, ob spem prædæ, in privatis suis ædibus direptus, & ensis manubrio, sed sine cruento vulnere, ad verticem ita percussus fuerit, ut calvariæ os, ad instar foveæ, insigniter depressum, duram cum pia matre vellicarit, atque febrim, cum mentis abalienatione, induxerit. Medicus iste salariatus ad ægrum vocatus, dato pharmaco laxativo, adhibita venæ sectione in brachio, & præscriptis alterantibus, febrem cum symptomatibus emollire tentavit, ac insuper omnem lapidem movit, quo communibus & præsentibus instrumentis, depressionem elevaret attolleretque, & ad statum naturalem reduceret; at omnia frustra. Nam ob trepani defectum, quod aliunde propter viarum insecuritatem tam cito afferri non potuit, innocentissimus ille vir, altero mane vitam cum morte mutavit, adeo ut defectus necessariorum, supra depictorum & descriptorum instrumentorum, & debita manualis operationis denegata administratio, salutis spem huic ademerit. Hic notandum, si prima læsionis die cutis in crucem fuisset incisa, & consistente sanguine eodem die cranium modiolo perforatum, ut officulum membranas cerebri pungens eximi potuisset, æger forsan mortuus non esset.

OBSERVATIO DECIMA.

Vertigo cujusdam oviculæ, ex abſceſſu cerebri proveniens.

ANNO 1634. die 24. Decembris cum eſſem in tonſtrina Nicolai Reutte / *is mentionem fecit ſuarum oviculariarum, quarum una laboravit vertigine, Germanis* Wirbling *appellata. Hoc malum, dixit pecoris magiſter, pulchrioribus ferè oviculis eſſe commune, ipſoſque toto cerebro in aquam converſo, tandem ſubitanea morte perire. Chirurgus igitur oviculam vertigine & circumgyratione debilitatam mactari juſſit, mactatique caput in ædes meas miſit, ut illud aperirem, & in veram hujus ſymptomatis cauſam diligenter inquirerem. Unde detectum prius cranium, ambas meninges, cerebri ſubſtantiam, ejusque anteriores ventriculos perluſtrans, ne guttulam alicujus aquæ reperi. Hinc tertium quartumve ventriculum inſpexi, in quibus pariter nullum aquæ veſtigium invenire licuit, ſed tertius copioſo ſanguine repletus comparuit. Poſtea olfactus organa, manubrio ſcalpelli anatomici oſſeo elevavi & in ſiniſtro latere inter cerebrum nempe & ejus piam matrem inveni abſceſſum, inſtar veſicæ piſcium, aqua limpidiſſima repletum, propè oculum ſiniſtrum, ſubſtantiam cerebri ſubnigram. Ego miratus fui, cum in hoc malo ipſiſſimum cerebrum afficeretur, cur ovicula non potius convulſionibus aut paralyſi, quam vertigine laboraret.*

OBSERVATIO UNDECIMA.

Contuſio capitis, cui ſucceſſit vertigo, & apoplexia.

ANNO 1645. die 25. Ianuary ſecui caput oviculæ meæ, quæ ſimili vertigine interiit. Ablato cranio, ſubſtantiam cerebri cum ſuis omnibus integumentis examinavi, ſtatimque in ſiniſtro, occipitis quaſi, latere ſub dura matre folliculum, inſtar piſcium veſica craſſum, aquaque & vermiculis, quales in caſeis generantur, repletum; incipiebat enim ad fundum putreſcere. Hic autem tumor tunicatus magnitudine ovum gallinæ ſuperans, in cerebri ſubſtantiam ita ſe inſinuavit, ut tertium ventriculum nonnihil comprimeret. Hæc ovicula, opilione teſte, tota ſui interitus die in dextram ſeſe partem circumgyravit. Quod accidit ſuperioribus oviculis, illud etiam hominibus poteſt evenire. *Obſervavi namq́ ſimilem cerebri affectum cum Barbitonſore Iohanne* Durrauß *& Chirurgo Georgio* Riedlin / *in Maria* Schwartzmännen / *quæ poſt contuſionem ſyncipitis à me curatam, per integrum annum de ſola vertigine graviſſimas querelas habuit, remediisque fruſtra uſurpatis, ad cœnam aliquando ſedens apoplexia fortiſſima ſubito obiit. Hujus parentes à me petierunt, ut cranium aperirem, ad levandam vel confirmandam illam veneni ſuſpicionem, quam ex certo quodam facto conceperant. Aperta igitur calvaria, inſpectoque cerebro, in ſiniſtro latere reperi tumorem quoad folliculum & materiam contentam, ſuperiori non abſimilem, qui magnitudinem ovi gallinæ mediocris adæquans tertium ventriculum ex parte compreſſit. Quærentibus, quænam hujus tumoris tunicati cauſa extiterit; reſpondi, nec forſitan adeo malè, quod cerebrum ea parte vehementer percuſſum debilitatem quandam contraxerit, propter quam affluens alimentum non in cerebri, ſed modo oſtenſam ſubſtantiam, fuit converſum.* Ex his iterum patet omnes capitis percuſſiones eſſe magni faciendas, quoniam nullus tam perſpicaci ingenio præditus, quin partes interiores ad interitum diſpoſitæ illud aliquando effugiant.

OBSERVATO DUODECIMA.

Vulnus capitis cum inciſione falcis, membranæ craſſæ, & piæ matris.

ANNO 1635. Michael Schneider / *Miles Ulmenſis, & præſidiarius Elchingenſis, à milite Cæſariano in vertice & occipite acinace vulneratus fuit: vulnus in occipite erat ſimplex, illud verò in vertice, non ſolum cum depreſſione & fiſſura crany, verum etiam læſione membranæ cerebri craſſæ, & falcis, quæ ramos arteriæ carotidis & venæ jugularis admittit. Hæc duo vulnera Barbitonſor imperitus more ſuo tractavit, & per primam intentionem curavit. Quid fit, miſerrimus patiens abhinc atrociſſimos ſuſtinet dolores, quos ſequuta eſt phrenitis, convulſio totius, & tandem Apoplexia. His ita ſe habentibus, ſexta à læſione ſeptimana, ad veſperam, conjuge ægri adhuc vivente, in conſilium vocatus ægrum apoplexia correptum inveni, cujus cauſa fuit obſtructio nervorum à copioſo pure, quod per vulnus expurgari debuiſſet, dependens, imo tanta erat puris nigri & fœtidi copia, ut etiam per nares & palatū exitum quæſierit, apoplexiam ſolverit, & mihi certiſſimam oſſis fiſſurā & læſionem internorum ſignificarit. Locum verticis conſolidatum digito tangens, inveni maximam foveam, quæ depreſſionem crany evidentiſſimè ſignificat. Facto prognoſtico, ægrum in maximo verſari periculo, clyſterem laxativum injici, eoque rejecto venam cephalicam aperiri curavi. Secundo die cutem & pericranium in crucis formam ſcalpello Tab. II. Fig. I. incidi, pericranium digitis ab oſſe vehementer depreſſo & multoties fiſſo diduxi, vulnusque medicamentis ſtegnoticis dilatavi, ut in peragendis operationi-*

rationibus in hoc affectu maximè necessariis satis biet. Tertio die, sanguine firmiter subsistente, cranium quinquies ad depressionis circumferentiam trepano Aquapendentis perforavi; & per unumquodque foramen linteolum oleo rosaceo imbutum ad duram matrem demisi, ossi pulverem notum inspersi, vulneriuque labia digestivo, cerato diapalmæ, linteo triplici vino austero calido expresso, & fascia commoda obtexi. Die 5. *foraminum interstitia serrula mea versatili Tab. XXXII. Fig. I. intercidi, cranium, depressum, sed dicta ratione ab integro & sano liberatum, cujus interior lamina ad diploidem usq; fuit corrupta, volsella exemi eminentiasus submisso prius membranæ custode abrupi forpicibus Tabul. XXXII. Figur. III. IV. & V. Hoc facto, instrumento decussorio Tabul. II. Figur. X. cerebrum modicè depressi, & materia purulenta in maxima copia, per datam viam, effluxit. Meningi deinde crassæ, (cujus falx tansversim incisa continuo stillabat sanguinem) atque tenui linteum foramini respondens, & unguento Hier. Fabrit. imbutum apposui, ossi pulverem & filamenta sicca, labiis digestivum, & desuper ceratum diapalma, cataplasma & fasciam. Vesperi patiens melius habuit, & materia purulenta per nares & palatum expurgari desiit.* Die 6. *iterum membranam, ejusq; falcē inspexi, & deprehendi sanguinis stillicidiū, quod ob vasi profundiorem situ compesci non potuit. Vasa namq; incisa immediatū adstringentium & consolidantium contactū, & aliqualem compressionem requirunt; quorum utrumq; hic non fuit concessum, ob novæ hæmorrhagiæ & apoplexiæ metum. Quapropter ægri consanguineis & conjugi indicavi, virum citra vitæ periculum integrè sanari non posse, quia vulnere ad cicatricem ducto, materia extillans iterum in pus mutatur, & exitum per superiora non inveniens, prædicta symptomata excitare, & mortis causa fieri potest. Præmissa hac prædictione membranam, os & labia pro more tractavi, & vulnus instar fonticuli in suturæ coronalis & sagittalis cōcursu inusti apertū detinui, per quod materia sensim quoq; & paulatim exivit, & inde patiens suo functus est officio per dimidium anni spatium. Hic vino inebriatus ulcusculum neglexit, ut spatio 24. horarum consolidaretur, & ne guttula materiæ amplius exiret. Symptomatibus prævisis non statim occurrentibus, æger cum conjuge de tutissima sanitate non dubitavit, donec post trimestre iisdem symptomatibus correptus subitò obierit. Post obitum ægri, si cranium serra aperuissem (sed concessum non fuit) citra dubium materiam sub cranio invenissem.* Ex hac historia luculenter patet, perforationem non primis saltem diebus, verum etiam non raro longè post læsionis tempus, summo cum fructu institui posse. *Constabit etiam ex sequente, symptomata prava quandoque comparere statim, quandoque post centesimum diem, quæ, si cranium à principio, veluti supra fol. 34 monui, fuisset apertum, nunquam, omni procul dubio, ægros corripuissent.*

OBSERVATIO DECIMA TERTIA.

Vulnus capitis vigesima nona septimanâ per trepanum curatum.

ANNO *1629. Mense Septemb. Domini N.* Tischlers / *Magistri Equitum agnatus, Mediolani in capite accepit vulnus, quod Chirurgus ob symptomatum absentiam, per primam intentionem intra quatuordecim dierum spatium curavit. Anno 1630. Mense Martio curatus venit Ulmam, de summo totius capitis dolore, vertigine, oculorum caligine, & paralysi dextri brachii, conquerens. Huic ego ob suspicionem fissuræ cranij post vigesimam octavam à læsione septimanam, cutim & pericranium in triangulum incidi cranium modiolis Die 13. Martij, in ædibus Nicolai* Rentte / *ad latus rima angustissima, bis perforavi, foraminumque interstitium serra versatili excidi. Evacuata materia, quæ per rimam sub cranium paulatim descendit, dicta symptomata cessarunt, ita ut æger mensis spatio unius, pristinæ sanitati felicissimè restitutus fuerit.*

OBSERVATIO DECIMA QUARTA.

Rima & depressio cranii laminæ interioris, exteriore salva.

ANNO *1628. Mense Iulio, Nobiliss. Inclytæ Reipublicæ Ulmensis Duumviris scripto retuli, quod* Bartholomæum Schäffer / *militem Cæsarianum, à rusticis Altenstattensibus in capite læsum visitare volens, jam mortuum invenerim, & præsentibus multis, in mortis, qua vigesimo occubuit, causam diligentissimè inquisiverim, cujus solitaria fuit occipitis circa suturam lambdiformem vulnus in dextra parte, cum læsione & introcessione interioris solum, exteriore salva, cranij laminæ, quæ cerebrum continuo compressit, à barbitonsoribus simpliciter curatum: cum enim in hac cranij noxa, materia, quæ per rimam occultam ad cerebrum delapsa, absq; chirurgia neglecta auxilio, non potuerit expurgari, multo minus cranium, continuo cerebrum deprimens, sine idoneis instrumentis, elevari, ortus est abscessus sub calvaria, qui, introducta prius febre & phrenitide, ruptus dextrum cerebri ventriculum replevit, & subitaneis convulsionibus necem intulit ei, cujus vita in principio læsionis, debita cranij perforatione & elevatione (quæ duæ operationes in Italia citra ullum lædendi periculum ferè cotidie instituuntur) procul omni dubio conservari potuisset.*

Et quia in nostro territorio non hic solus, verum antehac plures ob neglectum vel potius incognitum in cranio operandi modum interierunt, Inclytus Senatus meritò decrevit, ut barbitonsores quantum possibile informarentur, quomodo se in casibus tam periculosis gerere debeant, ne patientes, ob denegatum manus præsidium, vitam cum morte commutare cogantur.

OBSERVATIO DECIMA QUINTA.

Vulnus capitis, post apertionem cranii, ex potu vini interdicto, lethale.

ANNO 1634. die 19. Maij. Henricus Hebich / *à victoribus vulneratus fuit, in capite circa suturam coronalem & musculum temporalem, quam primis diebus tractavit Nicolaus* Reutte / *qui me tertia die ad ægrum vocavit, è cujus vulnere statim frustulum cranij undique separatum volsellâ extraxi.* Die 4. *propter magnam vulneris inflammationem, idonea medicamenta adhibui, usque in diem à læsione nonum, quo patiens de punctorio & gravativo capitis dolore cæpit conqueri, qui certissimum signum fuit, quod materia purulenta sub cranio contineretur, & membranæ cerebri ab osse pungerentur.* Die 10. *ægri parentes in consilium vocarunt Clariss. & Excellentiss. Dominum Gregorium Horstium, qui mecum consuluit, ut cranium modiolis aperiretur, quo materia, quæ sub cranium descendit, exitum habeat, & osiculum extrahi queat. Cranium die 1. Iunij in præsentia Domini D. Horstii perforavi, & statim membranas cerebri inflammatas observavi. Tertia post apertionem die,* ob duræ matris insignem inflammationem purulenta materia sufficienter expurgari non potuit, *quapropter cum consensu & in præsentia Dominorum D. D. Gregorii Horstii; & Iohannis Reguli Villingeri, modiolis aliud foramen paravi, amborumque foraminum interstitia serrula mea versatili intercidi. Post secundam perforationem, ossiculum ab interna lamina separatum, quod cerebrum & ejus membranas assiduo pupugit, volsella exemi, quo exempto dolor ille punctorius per aliquot dies omnino remisit, donec à* largissimo vini potu *abscessus in ipsa cerebri substantia genitus, febrem symptomaticam, delirium, & convulsiones totius excitarit, & interitus (nam die 20. Iunij patiens vitam cum morte mutavit) causa extiterit.*

OBSERVATIO DECIMA SEXTA.

Contusio capitis, tribus mensibus, instante novilunio, convulsiones inferens.

MArcus Böck / *Ulmensis, Danielis filius, Anno 1629. die 15. Novembris delapsus est in caput, & statim parentibus ecchymosin, in dextra syncipitis parte propè futuram coronalem & sagittalem, monstravit, cui successit primo dolor capitis, deinde convulsiones totius. Vocatus exhibui interna, à quibus convulsiones cessarunt, & tumorem admota recens mactati agni pelle ferè resolvi. Nihilominus tamen circa novilunium puer conquestus est de capitis dolore, quem sequebantur prædictæ convulsiones. Post duos menses tumor capitis in dies major factus est, ita ut eadem symptomata, tertio & quarto mense circa novilunium, puerum infestarint. A parentibus denuò accersitus, inspexi tumorem, & adstantibus indicavi, hujusmodi symptomata, meo judicio, excitari à materia acri, erodente & vellicante pericranium, neq; etiam mea me fefellit opinio. Siquidem facta per scalpellum Tab. II. Fig. II. cruciformi sectione Tab. XXX. Fig. X. usque ad cranium, & evacuata materia vulnus dilatavi.* Die 2. *subsistente sanguinis fluxu, religavi vulnus, & reperi cranium subnigrum & asperum.* Die 3. *cranio ad meditullium prius deraso inspersi pulverem cephalicum, & filamenta sicca apposui, donec optima carne obtegeretur. Vulnus autem tractavi primo digerentibus, secundo mundificantibus, tertio incarnantibus, & denique quarto cicatrizantibus. Hac ratione puer septennis vigesimo post sectionem, vel centesimo & vigesimo post morbi principium die, pristinæ sanitati restitutus fuit, qui adhuc vivit, & vestigia incisionis monstrare potest.*

OBSERVATIO DECIMA SEPTIMA.

Vulnus capitis cum dedolatione exterioris calvariæ tabulæ.

ANNO 1631. die 4. Novembr. Nobiliss. Patricius Ulmensis *in vertice & occipite læsus fuit, cum deperditione cutis & dedolatione cranij, ad magnitudinem illius monetæ, quam Thalerum Imperialem vocant. Vulnus hoc Nicolaus* Reutte / *statim replevit stegnoticis, & ego patienti, injecto prius rejectoque clystere laxativo venam cephalicam incidi, & ℥vj. sanguinis educi curavi.* Die 5. *religato vulnere, osse ad meditullium usque resecto, inspersi pulverem cephalicum, ipsique filamenta decerpta apposui, labiis plaga adhibui digestivum, & desuper diapalmâ atque cataplasma ad præcavendam inflammationem.* Die 3. *vulneratus ob amaritudinem oris assumsit medicamentum cholagogum, à quo sæpiùs dejecit materiam biliosam, quæ ventriculum, æsophagum & os amarum reddidit.* Die 5. *æger melius habuit.* Die 8. *ob constipationem alvi patiens conquestus est de dolore capitis circa vulnus, quare admisit clysterem laxativum; quo rejecto, dolor etiam remisit.* Die 9.

Vulnus

Vulnus coxit pus album & æquale, unde digestivo aliquod detergens immiscui. Die 12. *Cranio cæpit caro increscere: quamobrem labiis sarcoticum ex unguento de bethonica & cerato citrino applicui, donec cranium, beneficio hujus sarcotici & pulveris cephalici, carne solida obductum fuisset. Vulnus carne repletum tandem cicatrizavi cerato Divino, atque his levibus remediis* (quæ tamen chirurgum rarissimè fallunt, si modo, præmissis universalibus, bonam vivendi regulam præscribat, diligenterque in id incumbat, ut patientes tenuore victu sint contenti, & vino & Venere abstineant, & alvum lubricam conservent) *Nobiliss. virum adhuc superstitem, aliosque plurimos citra derasionem aut perforationem cranij felicissimè curavi.*

OBSERVATIO DECIMA OCTAVA.

Punctura cranii utramque laminam penetrans.

ANNO 1631. Die 29. *Augusti Miles quidam Cæsarianus vulneravit instrumento quodam acuto* Jacobum Wirth / *Aichensem in vertice, quem Barbitonsor istius loci obligavit, & intra septimanam curavit. Octavo post curationem die, æger conquestus est de insigni tumore & dolore capitis circa locum affectum. Nono delatus est Ulmam, cui decimo die cutim & pericranium scalpello Tabul. II. Fig. I. in formam litteræ X. incidi, & cranium denudavi. Undecimo inveni puncturam cranij, quam, eodem die, terebello Tab. XXXIII. Fig. I. delere tentavi. Cum autem punctura ista usq; ad secundam laminam pertingeret, atque de penetratione suspicio esset; cranium duodecimo* (omisso terebello) *modiolis perforavi, & materiæ, quæ sub membranam descendit, exitum paravi. Expurgata materia, membranæ apposui linteum oleo rosato imbutum; ossi pulverem cephalicum, labiis digestivum, & desuper diapalma cum cataplasmate noto atque fascia cancer dicta.* Die 13. *dolor remisit, decimo quarto inflammatio declinavit. Die trigesimo cranium se desquamavit, quadragesimo vulnus cicatrice obductum fuit.*

OBSERVATIO DECIMA NONA.

Vulnus capitis, cum duobus fungis, lethale.

COnradus Schiffelen *Ulmensis, miles Cæsarianus, 27. annorum, temperamenti calidi & sicci, in cruento & acerrimo conflictu propè Wittenweier die 9. August. anno 1638. acinace sauciatus est, in parte posteriore capitis, cum læsione ossis. Hoc vulnus à principio tractavit quidam empiricus, quasi simplex esset.* Die 24. Decembris *patiens Ulmam venit, & iterum in manus cujusdam imperiti balneatoris incidit, qui vulnus obligavit, veluti primus, usque in 31. diem Ianuarij anno 1639. quo fuit receptus æger in Nosocomium patriũ, ubi Balneator iste partim cicatrice, & partim excrescentia carnis obductũ vulnus, specillo obtuso & tenui exploravit, dictumq; modo specillum per tertiam suæ longitudinis partẽ recto tramite non tantum in fissuram cranij, utrasq; cerebri membranas, verùm etiã in ipsissimam cerebri (heu quantus error!) substantiam, immittens.* Die 1. & 2. *Febr. præparato & purgato corpore, patiens de oculorum gravitate conquestus est.* Die 3. *Balneator imprudens jussu patientis, me, ut & Clarissimum Collegam Dn. D. Moysen Heldium, & peritissimum præ cæteris chirurgum Georgium* Riedlin / *in consilium vocavit. Inspecto vulnere, & consideratis circumstantiis, ob intromissionem inprimis specilli tam profundam, anguem in herba latitare suspicati sumus. Unde cutim scalpello Tab. XXXI. Fig. II. in trianguli formam statim incidi, vulnusque dilatatum stegnoticis obligavi.* Die 4. *subsistente sanguine, & inspecto vulnere, rimam cranij magnam & satis latam, cum duobus fungis invenimus. Rebus ita stantibus, cranio pulverem cephalicum & filamenta sicca, labiis digestivo quodam oblinita, & desuper diapalma apposui, cum cataplasmate Hippoc. inflammationem prohibente, & fascia quatuor capitibus prædita Tab. XXXI. Figur. IX. & X.* Die 6. *æger conquestus est, de capitis vertigine, & dextri oculi dolore.* Die 7. *melius habuit, & sumsit bolos ex ℥vj. Elect. lenitiv. & ℨij. Elect. de succo rosarum, cum saccharo, à quibus quater dejecit biliosè.* Die 8 *ægrotus iterum conquestus est de oculi dextri dolore, & fungis imposui unguentum Ægyptiacum Hildani, pulvere aluminis usti permixtum, quod tamen medicamentum prædictos duos fungos non consumsit, sed ita optimè saltem detersit, ut specillum obtusum Tab. VIII. Fig. VI. inter utrumque fungum intromittere potuissem.* Et cum rima satis longa & lata *esset, & tot errores à barbitonsore commissi, ad trepanum, seu perforationem cranij pervenire nolui, ne operatio tam insignis, & quæ plurimis fuit salutaris, infamaretur: ex relatis enim constitit, non duntaxat ambas cerebri membranas esse læsas, verum etiam ipsum pati cerebrum. Quare die 9. ob capitis dolorem patienti secta fuit vena mediana dextri cubiti, & emissus sanguis ad ℥iiij. vesperi meliu: habuit.* Die 14. *parum dormivit ob frigidum hypocaustum, sicut enim vulnera capitis gaudent calore temperato, ita illis frigiditas aëris est adversa.* Die 15. *benè habuit, labia vulneris recenter facti fuerunt rubra citra dolorem: fungi autem majores visi. Pro exiccatione fungorum usus sum decocto Divino.*

℞. Vini Malvatic. ℔js.
Rosar. rub. p. js.
Bethonic.
Matris sylv.
Pimpinell.

 Centaur.

centaur.
Stœch. Arab. ana p. ij.
Rad. arist. long.
Ireos Flor.
Cortic. thuris. ana ℥ij.

bulliant omnia ad consumptionem duarum partium (sed rosæ bulliant ebullitione unica) & colentur. Colaturæ addantur mellis rosarum optimè despumati ℥ij. M. *absque ullo fructu, quod tamen in aliis fungis sæpius præsentaneum fuit remedium, ob id particulam majoris fungi in superficie novacula abscidi.* Die 16. *æger quidem benè habuit, sed conquestus est de ratione victus admodum tenui.* Die 17. *conquestus est ægrotus de totius dextri lateris stupore, ac uterque fungus major apparuit, quam diebus proximè præteritis.* Die 18. *patiens cibis à me præscriptis non fuit contentus, unde ejus soror dedit panatellam, è pomis aliisque rebus confectam, quam assumptam statim evomuit, & quàm pessimè inde habuit.* Die 19. *magna puris copia per fungorum interstitium effluxit, & cranium non nihil ad flavedinem,* cum depressis plagæ labiis, *tetendit.* Die 20. *dextrum latus omninò fuit paralyticum, patiens tota nocte dormivit, & de nihilo conquestus.* Die 21. *fungus uterque planè albus, craniumque omnino lividum apparuit.* Die 22. *patiens loquelam amisit, cerebrum caro correptum, & brachium dextrum motibus convulsivis agitatum.* Die 23. *hora ante meridiem nona, patiens obiit.* Die 24. *Feb. inspexi vulnus, in quo μύκητες seu fungi adeò subsederunt, ut digitum annularem facilimo negotio potuerim fissura inserere. Aperto serra cranio, superficies ossis læsi interna in tantum fuit corrupta, ut totum occipitis os usque ad suturam lamdoidem tenuius esset, quam os petrosum.* Hic notandum, quod ad fracturam cranii cognoscendam non opus sit, ut æger frangat nuces, vel ossicula alicujus fructus, quando non adest, depressio cranii, quæ possit cerebri velamina pungere, atque adeò dolorem inferre gravem: fregit enim hic nuces avellanas & juglandes, ossicula etiam cerasorum & persicorum, obivit officium militare & nunquam conquestus de minimo capitis dolore. *Mox specillo obtuso intra fungos posito abscessum deprehendi magnum, qui in sinistro cerebri latere latitavit, proprio folliculo circumseptus. Remotis proximis cerebri integumentis, cerebrum ipsum cum abscessu tunicato monstravi, & processû duræ matris,* quï falx dicitur, *elevavi, ut spatium, quod est inter dextram & sinistram cerebri partem, cum suis vasis & spiris inspici posset. Cerebro transversim inciso, & magna ejus portione, citra læsionem ventriculi sinistri, ablata, abscessus in conspectum venit, ex quo pus fœtidum in magna quantitate effluxit: deterso per gossipium abscessu, in circumferentia apparuit crassa aliqua membrana, quæ materiam purulentam continuit: in vicinis reliquis partibus nullum adfuit vel inflammationis vel corruptionis signum. His consideratis ventriculum sinistrum aliquantulum compressum; dextrum verò minimè depressum, sed aqua limpida distentum ostendi. In sinistro plexus choroides pallidus, in dextro rubicundissimus apparuit.*

Ex his causam paralyseos dextri lateris, vertiginis, doloris dextri oculi, & hesterna convulsionis dextri brachii habemus. Ideoque ubi læsum & fissum cranium, & fungosa caro subcrescit, quæ supra cranium & carnem emineat, certissimum signum est, quod, si non substantia, *saltem cerebri membrana contusa, vel lacerata sint.*

OBSERVATIO VIGESIMA.

Vulnus oculi, cum infixo fusi aculeo.

ANNO 1644. *Die 21. Martii* Rosina Pfeifferin / *filiola militis 4. annorum, cecidit in mucronem fusi, qui non solùm palpebram superiorem oculi sinistri læsit, verùm etiam fractus, in orbita oculi relictus, & ita intrusus fuit, ut videri minimè potuerit. Hoc vulnus barbitonsor obligavit, & tanquam simplex consolidavit: Inde oculus quotidiè major factus est, & membranæ palpebræ interna omninò adnata. Rebus ita stantibus, palpebras digitis nonnihil deduxi, & membranam specillo lato ab oculo separavi. vid Tab. XXXIII. Fig. I. quo facto, cataplasma, (quod ex pomo dulci, albumine ovi, & aqua sequenti erat confectum:*

℞. Aq. Plantag.
Rosar. ana ℥j.
Tut. præp. ℥j.
Lapid. chrysol. præp. ℈j.
Alumin. crud. ℈ß. M.

oculo tepidè adhibui, & fascia ad oculum Galeni obligavi. Die 22. *sumsit diacydon. lavativ.* ℥ijs. *à quo quinquies dejecit. Nucha applicari jussi vesicatorium. Ab usu horum medicamentorum dolor & tumor inflammatorius remisit.* Die 23. & 24. *benè habuit.* Die 25. *puella conquesta est de magno oculi dolore. Ob id oculum ipse religavi, palpebras digitis ab oculo* diduxi, *& mucronem fusi volsella extraxi, quo extracto, dolor omnis mox cessavit. Et hæc sunt medicamenta, quibus filiolam militis sanitati pristinæ felicissimè restitui.*

OBSERVATIO VIGESIMA PRIMA.

Convulsio oculi, ex concussione cerebri.

ANno 1639. die 5. Septembris, hora prima post meridiem, Georgius Merckhlen / *Miles Ulmensis, à commilitone suo, jactu raphani libram pendentis, in dextro oculo adeò læsus fuit, ut illicò humi prostratus, instar mortui jaceret. Sic attonitus æger in Xenodochium delatus, cui sequentia fuerunt adhibita. Primò palpebras digitis diduxi, & oculum affectum inspexi, quem (ut etiam sanum) superiora versus omninò convulsum inveni. Rebus ita stantibus, mihi in mentem venit Hipp. Aphorismus 58. sect. 7.* Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse: *quod etiam in nostro percusso evenit. Unde revulsionis gratia præscripsi Enema sequens:*

℞. Mell. rof. fol. ℥ij.
Anthosati ℥j.
Elect. de succ. rof. ʒß.
Diacatholic. ʒvj.
Decoct. Carmin. ℥viiij. M.

Post rejectum clysterem, secta fuit vena mediana utriusque brachii, & emissus sanguis ad ℥viij. Interim sæpissimè exhibita fuit Aqua confortativa, spiritu cephalico Anhaltino permixta. Die 6. *Septembris, qui secundus erat à læsione, apoplexia supervenerunt convulsiones totius corporis, per integram noctem durantes: pulsus ægri fuit æqualis. Ob id reiteratus est clyster, & spiritus cephalicus diligenter exhibitus.*

Rejecto clystere æger melius habuit, neque oculi amplius fuerunt convulsi, sed in suo naturali statu, & quod majus est, me & adstantes denuò vidit & audivit, loqui tamen non potuit, procul dubio propter compressionem aut obstructionem nervorum recurrentium. Die 3. *tota nocte dormivit, de nihiloque alio conquestus, quam de laryngis compressione. Quare sumpsit potionem purgantem:*

℞. Syrup. rof. fol.
Mann. elect. ana ʒvj.
Extract. Rhab. ʒj.
Diacarth. ʒß.
Aq. pimp. & veronic. ana q. s.
M. F. Syrup. liquid.

Post cujus operationem per intervalla usus est seq. lambitivo:

℞. Syrup. viol.
Oxymel. simpl. ana. ℥j.
Flor. Benz. ℈ß.
Aq. veron. ℥ij. M.

Die 4. *æger melius habuit quam die præterito, digitisque monstravit, se velle commedere ovum* Die 5. *iterum benè habuit, petiit eadem ratione mellicratum, sed ob loquelam nondum restitutam bibit potionem medicam, hora 8. ante meridiem.*

℞. Syrup. rof. fol. ℥ij.
Elect. diacathol. ʒvj.
de succ. rof. ʒiij.
Decoct. fl. & fr. q. s.
M. & F. Potio.

Hora quarta à sumptione potionis Medicæ æger expeditè loquutus est. Die 7. *pulcherrimè vixit, & pristinæ sanitati, citra topicorum auxilium, restitutus in publicum prodiit.*

OBSERVATIO VIGESIMA SECUNDA.

Vulnus & Fractura Nasi.

ANNO 1644. die 22. Aprilis Nobiliss. & Strenuus vir, Dominus Wolfgangus à Bartenheim / *Teutonicus Ulmensis, rura sua visitans decidit ex equo, qui ipsi nasum calcaneo fregit, & adeo laceravit, ut vulneris labia propter insignem hæmorrhagiam & nasi frigiditatem ad mutuum contactum adduci vix potuerint. Ea nocte sanguinis fluxum chirurgus* Johann. Jacob. Riedlin / *medicamentis stegnoticis sistit.* Die 23. *in subsidium vocatus, nasum omnino depressum, valdeque laceratum inveni. Rebus sic stantibus septum narium transversum, ossiculaque nasi depressa specillo nunc lato, nunc obtuso reposui, & naribus tubulum plumbeum, cerato diapalmæ ac linimento simplici obductum imposui, ut septum & narium ossa jam reposita in loco conservarentur. Vulneris labia sine sutura ad mutuum contactum adduxi, adductaque linteolis oblongis, ex medicamento sequenti imbutis.*

℞. Album. ovi optim. agit. nºj.
Pulv. Tut. præp. ʒjs.
Lapid. chryf. præp. ℈j.
Aq. plantag. ʒß. M.

& in crucem adhibitis conservavi, atque sic membrum affectum fasciâ Galeni ad nasum obligavi. Ob vehementem capitis dolorem, fronti & temporibus applicui oxyrrhodinum.

℞. Albumin. ovorum. nºij.
Aceti Rosac. ℥ß.
Aq. Rosac. ℥iiij.
Ol. Rosac. ℥ij. M. Pro Oxyrrh.

stuppa cannabina exceptum. Collum ex oleis adstringentibus inunxi, eique splenium in vino rubro austero adhibui, ad impediendum humorum in caput affluxum. Ob animi deliquium præscripsi aquam cordialem:

℞. Aq. Ceraf. nigr.
Pimpinell.
Fragar.
Rosar. ana ℥j.
Marg. præp. ℈js.

Mag. corall. rubr. ℈j.
Pulv. Lapid. chryſ. præp. ℈ß.
Man. Chriſt. perlat. ʒß.
M. F. Aq. cordialis.

de qua ſæpius per intervalla ſumpſit patiens. Hora nona ante meridiem uſus eſt clyſtere refrigerante, alvum laxante, & per conſequens humores à capite revellente.

℞. Herbar. Malv.
Pimpinell.
Violar.
Borrag.
Nymph.
Flor. chamomill. ana M ß.
Semin. Lini.
melon.
Fœnicul.
citri ana ʒj.
coq. in ſ. q. aq. font. & Colatur. ℥viij.
Adde Mell. roſ. ſol. ℥iiij.
Ol. Violar. ℥ij.
chamomill. ℥j. M. F. Enem.

& indè bis dejecit materiam valdè craſſam & aduſtam. Hora decima Chirurgus incidit venam medianam dextri brachii, & uncias quinque eduxit ſanguinis, qui bilioſus & ſemiputridus fuit. Veſperi ſumpſit hauſtum acidularum Uberkingenſium vino granatorum permixtum, ad extinguendam ſitim intolerabilem. Victum ordinavi tenuem, pro cibo cremorem hordei, interdum panatellam, nonnunquam juſculum carnis, in quo luteum ovi fuerit diſſolutum; pro potu decoctum C. C. uſti vino granatorum correctum.

Die 24. *Aprilis æger quoad vires & dolorem capitis melius habuit, quam die præterito: vulnus linteolis emplaſticis tractavi, & patienti ob nimias vigilias & totius incendium præſcripſi ſequens pediluvium & Emulſionem.*

℞. Herbar. Bethon.
Lactuc.
Violar.
Flor. Nymph.
Roſar.
Papav. ana M j.
M. Pro decoct. pedum.

℞. Semin. melon. ʒjs.
Papav. alb. ʒß.
Aq. Nymph.
Fragar.
Ceraſ. nigr.
Acetoſ. ana ℥iiij.
F. Emulſ. cui adde
Mag. corall. rubr. ℈js.
Perl. præp. ℈ij.
Syrup. violar. ℥ij.
Miſce pro trib. doſib.

quarum qualibet ſumatur poſt cœnam & pediluvium. Die 25. *patiens interrogatus reſpondit, ſe aliquantulum dormiſſe, & conqueſtus eſt de ſummo calore & rubore oculi dextri, quem poſt reiteratum clyſterem, ſequens cataplaſma ſtatim juvit.*

℞. Pom. dulc. in lact. coct. & fort. expr. n° ij.
Album. ovi conquaſ. n° j.
Pulv. Tut. præp. ʒjs.
Aq. roſ. parum. M. F. *Cataplaſma in oculorum inflammationibus, & epiphoris expertiſſimum.*

A die 26. uſque ad trigeſimum Aprilis tubulos plumbeos unguento de tutia Magiſt. obduxi, pulvereq. carnis excreſcentiam prohibente.

℞. Pulv. Alum. uſti ℈ß.
Tutiæ præp. ℈ij. M.

aſperſo naribus indidi, exterius ceratum divinum applicui: quibus medicamentis vulnus intra & extra naſum, conſolidavi. Poſt vulneris curationem patiens ipſe tubuloſ ſolo unguento de Tutia infectos naribus immiſit; & faſcia Galeni firmavit, donec etiam oſſicula prius fracta & depreſſa, callo quodam fuerint colligata. Iiſdem remediis externis curavi Dominum Chriſtophorum Schlecherum, *&* Melchiorem Frick / *qui præter vulnus in naſo, & capite acceptum; paſſus eſt vulnus thoracis cum læſione diaphragmatis & ventriculi, de quo infra ſingularis obſervatio.*

OBSERVATIO VIGESIMA TERTIA.

Tumor cum folliculo exciſus in maxilla ſuperiore.

ANNO 1631. Roſina Stenglerin / Gieglingenſis, *temperamenti melancholici mihi narravit, quod ipſi ante quadriennium caruncula in oris ſede ſiniſtra, circa ſuperioris maxillæ dentes molares, enata fuiſſet, moles ſcilicet rubra, pendula, & magnitudine nucem moſchatam adæquans, quam ſeptimo menſe iſtius loci Barbitonſor, ante ullam corporis præparationem, aut medicamentorum topicorum uſum extraxit. Paucos poſt menſes denuò excrevit dura, rubra, venis obſita, & maximè dolens, uſque in quartum annum, quo magnitudinem ovi anſerini ſuperavit, ita ut non tantum prædicta maxilla, & dentibus molaribus, ſed etiam canino, & media palati parti adnata, deglutitionem & loquelam impediret, quare ejus exciſionem à me inſtanter petiit. Hic tumor circa dentes molares, non ratione malignitatis, ſed aceti acerrimi, quo ſæpius os ſ obſ atorem colluit, aliquantulum exulceratus fuit. Cum autem viderem, tumorem alia ratione tolli non poſſe, quam chirurgiâ: ad corpus præparandum præſcripſi, die 4. Octobr. medicamentum, quod*

℞. Hydromel. Tartariſ. ℥ij.
Aqu. borrag. ℥iiij.
Cordial. Saxon. ℥j. M. pro doſ. j.

Hoc ſyrupo patiens uſa eſt per triduum, bis indie, nimirum mane ante prandium, & veſperi ante cœnam.

Die 8. *deglutivit quinque horis ante prandium sequentes pilulas.*

℞. Maſſ. pilular. aurear.
ſine quib.
Extract. coch. ana ℈j.
Mag. mech. nigr. gr. vij.
cum ſyrupo de bethonica form. pilul. parvæ, quæ deaurentur.

a quibus decies dejecit materiam ſeroſam, biliosam & aduſtam. Die 10. *ad inſpiciendum ſanguinem ipſi ſecta fuit vena mediana ſiniſtri brachij, & emiſſus ſanguis ad* ℥iiij. *omnino ſeroſus & aduſtus. Unde ordinavi ſacculum medicatum.*

℞. Radic. Fœnicul. ℥iij.
Polypod. ℥ß.
Com. abſynth. pontic. p. j.
Herb. Bethon.
veronic.
Agrimon. ana p. ß.
Flor. Borrag. p. j.
Fol. ſen. Alex. ſ. ſtip. ℥js.
Radic. mechoae. nigr. ℥ij.
Rhab. elect. ℥iij.
Hermod.
Turbeth. ana ℥js.
Sem. cartham. excort. ℥vj.
Aniſ.
Fœnicul. ana ℈js.
Crem. Tartar. ℥iij.
Gingib.
Cinam. ana ℈j.

Inciſa & contuſa dentur ad ſacculum, in menſura vini Nicarini, per 24. horas infundendum, de quo alternis diebus duabus horis ante prandium hauſit ℥iiij. *Ab uſu vini cathartici remiſit frequens illa ſalivæ exſpuitio, quæ ſanguinis inſpectionem & expurgationem indicavit. Interim patiens non neglexit bonam victus rationem, & loco vini bibit decoctum ſarſaparillæ.* Die 20. & 21. *manè, veſperi, & poſt cœnam ſumpſit de ſequente mixtura tantum, quantum cuſpis cultri latioris comprehendit.*

℞. Conſerv. Borrag.
Roſar. ana ℥j.
Cortic. citr. cond. ℥ij.
Nuc. moſch. cond. ℥j.
Mag. corall. rubr.
Marg. ana ℈j.
Lapid. Hæmatitid. ℈ß.
Syrup. acetoſ. citr. q. s.
M. F. conditum.

Die 23. *cum ab uſu conditi patiens benè haberet, ad conſervationem virium ſæpius aſſumpſit cochlear unum atque alterum de ſequenti Aqua corroborante.*

℞. Aq. ceraſ. nigr.
Borragin.
Roſarum ana ℥j.
Spir. Cephal. Anhalt. ℥j.
Marg. præp.
Magiſt. corall.
Lapid. Hæmatit.
Chryſolit. præp. ana ℈j.
Man. Chriſt. perlat. ℥ß.
M. ad vitrum.

Et ne aliquid deſit inter benè operandum, præſcripſi aquam hanc odoriferam.

℞. Aquæ odorif. Fuchſii.
Roſar. ana ℥j.
Aceti roſ. ℥vj. M.

His præparatis, ore patientis aperto, & ejus capite ab adſtantibus firmiter detento, tumorem ante, retro & poſt molares dentes ſcalpello ſeparavi, & in medio forcipe Tabul. XI. Fig. V. abſciſſum extraxi.

Poſt tumoris extractionem, patiens, ad ſiſtendum ſanguinis fluxum, os ſæpius colluit mixtura.

℞. Aq. plantaginis.
Prunellæ.
Roſarum ana ℥iij.
Acet. roſ. ℥j.
M. pro Collution. oris.

Cum autem, poſt repetitam oris collutionem, ſanguis non ſubſtitiſſet, venulas & artorias ferramentis e Tabul. XIX. candentibus tetigi, ipſiſque ſpongiam uſtam, & pulvere adſtringente Galeni aſperſam, atque ſplenium albumine ovi agitato & vino rubro expreſſum, impoſui. Maxillam exterius linteo quadruplici expreſſo, & faſcia duobus capitibus prædita obligavi. Veſperi patiens benè habuit, & ſubſiſtente ſanguine, ſeroſi humoris magna copia ex ore defluxit. Die 24. *patiens de inſigni capitis dolore conqueſta eſt, ſed medicamenta in ore relicta fuerunt, ob timorem novæ hæmorrhagiæ.* Die 25. *ſanguine firmiter conſiſtente, ſpongiolam aduſtam & ſplenium extraxi, & præſcripſi gargariſma ſeq.*

℞. Aq. Plantagin.
Prunell.
veronic.
Roſar.
Quinque fol. ana ℥iij.
Mel. roſ. col. ℥ij.
Tinctur. roſ. ℥js. M.

Ore eloto, ulceri filamenta carpta unguento ex pulveribus Galeni adſtringentibus, & albumine ovi agitato oblita impoſui, faſciaque & linteo triplici maxillam exterius obligavi.

Veſperi ob ventris conſtipationem ægra admiſit Enema laxativum.

℞. Decoct. carmin. ℥viij.
Mell. roſ. ſol. ℥ijs.
Elect. Diacath. ℥j.
Ol. chamomil. ℥iß.
amygd. dulc. ℥j.
M. F. Enema, à quo ſexies dejecit.

Die 26. per totam noctem se quietissimè dormivisse dixit, & quoad fauces benè habuit. Die 27. extractis medicamentis, quæ nudius tertius apposui, circa palatum & dentes molares apparuit quadam particula viscosa, quam specillo, lana inspiritu vitrioli madefacta, involuto aliquoties tetigi, os que cum faucibus gargarismate ordinario lavari jussi. Die 28. extractis denuo medicamentis, omnia circa dentes molares atque palatum pulcherrimè habuerunt. Die 29. Eschara, quam ignis induxit, ablata, sæpius per diem lavit os medicamento hoc:

℞. Mell. rosf. colat.
Tinct. rosar. ana ℥js. M.

Die 30. ob capitis dolorem repetiit usum pilularum cephalicarum, à quibus dolor omninò cessavit. Die 31. ulceri cicatrix induci, & patiens articulatè, citraque omnem hæsitationem linguæ, loqui capit. Die 1. Decembris ægra benè quidem habuit, sed ad majorem oris exiccationem bibit decoctum sarsaparillæ. Die 2. omnes oris partes cicatrice ferè obductas vidi, & ad præcavendam mali recidivam consului, ut usum vini medicati repeteret. Die 3. ulcus omninò consolidatum apparuit, & patiens exinde lætissima in publicum prodiit.

OBSERVATIO VIGESIMA QUARTA.

Excrescentia carnis in palato.

IN palati anteriore parte, retrò dentes incisorios, foramen est notatu dignissimum, per quod ex palato in narium amplitudinem, venula atque arteriola, una cum tunica paulatim succingente, transmittitur. Ex hoc foramine, ante tres menses, nascebatur Nobili Matronæ, & conjugi Domini Alberti Schleichers / *quadam excrescentia carnis instar fungi, ex qua magna sanguinis copia effluxit, quotiescunq; illa vel leviter lingua tetigit. Tandem cùm ille fungus, seu excrescentia carnis, ad nucis juglandis magnitudinem, ita ut loquelam interciperet, pervenisset, usa est consilio sui Barbitonsoris, qui quædam medicamenta, at sine fructu, adhibuit. Anno 1641. die 10. Martij vocatus, locum affectum inspexi, specilloque excrescentiam circa basin tetigi, ex qua statim sanguis copiosè effluxit. Hisce consideratis manifestum erat, malum hoc ex prædicto foramine originem traxisse; Quapropter aliquoties usa est pilulis Aquapendentis, quæ caput optimè purgarunt, & bona victus ratione. Excrescentiam medicamento, quod constabat spiritu vitrioli rectificato, succo portulacæ, & tinctura rosarum tetigi, ac diminui: Denique instrumento, quo extrahere polypum soleo, residuum extraxi. Sic spatio 10. dierum, summa cum admiratione, sanitati restituta fuit. Ante hujus mali invasionem per biennium conquesta est de insigni dolore & gravitate auditus, jam verò, post sanguinis effusionem, absque dolore benè audit. Ideo arbitror per* μετάςασιν *esse factam morbi translationem.*

OBSERVATIO VIGESIMA QUINTA.

Sinus callosus & corruptio ossis palati.

NObilissimus & Reverendissimus Decanus, Dn. N. à Cronburg / *Anno 1626. conquestus est per clarissimum Medicum Augustanum, Iohann Wolfgangum* Beer / *de periodico dentis dolore, & molestissimo quodam palati sinu, petiitque à me consilium & operam. Cum igitur hujusmodi affectus primam suam originem traxerint à consuetis hæmorrhoidibus suppressis, consului, ut Reverendus admodum patiens, post sufficientem sanguinis è vena basilica sinistri brachij missionem, corpus vino medicato à superfluis & excrementitiis humoribus expurgaret, hæmorrhoides dein hirudinibus aperiri, fonticulumque sinistro femori inuri concederet, quò humores è toto in caput ascendentes & sinum cum dolore dentis foventes ad inferiora quasi revellantur, & per fonticulum educantur: Ad præcavendū doloris impetum, proposui chirurgiam in anthelice peragendam, quam præfatus Medicus, scolopomachario meo candente, dexterrimè instituit. His omnibus factis, dentem cariosum extrahi curavimus, quo injectiones ex decocto in curandâ ossium carie divino, per cavitatem evulsi dentis ad sinum palati fistulosum pervenirent. Cùm verò cavitas illa dentis, & callosus palati sinus non coirent, neque patiens citra ignis vim curari posset, quæsivi, utrum ignis efficaciam adhuc residuam, cùm bonâ spe salutis, vellet experiri. Ægro annuente, Domino Doctori* Beern / *illud instrumentum Tab. I. Fig. IV. Armamentarii adumbratum Augustam misi, quo optimè ignito sinum callosum, & cariem palati obtegentem, citra guttulæ sanguinis profusionem incidit usq; ad dentis cavitatem, eoque in orbem circumvoluto notabile vestigium ossi impressit. Eschara ablata, in conspectum venit palati caries, quam ter quaterve ferramentis candentibus Tab. XIX. Fig. VIII. & IX tactam, natura medicamentis exiccantibus assumptis & adhibitis adjuta separavit, & ulcere consolidato patiens pristinam sanitatem adquirens fonticulum inferiore per plures annos cum maximo fructu conservavit.*

OBSERVATIO VIGESIMA SEXTA.

Tumor alius cum folliculo in maxilla superiore separatus.

Ex consiliis Medicis & ἀυτοψίᾳ constat, mala, de quibus conqueritur Nobilis & honestissima Domina Maria Cordula Trappin / *esse Hemicraniam, & steatoma, vel meliceridem superioris maxillæ subcutaneam. Causa horum affectuum est materia pituitosa, tenuis & bile permixta. Quemadmodum bilis originem habet à caliditate hepatis, & obstructione lienis: sic illa partim ex cute, partim ex ventriculo, & utero provenit. Pro curatione affectuum necesse est, ut humores pituitosi & biliosi evacuentur, hepar refrigeretur, lien ab obstructionibus liberetur, caput exiccetur, ventriculus & uterus corroboretur, ne hujusmodi humores in corpore generentur, colligantur, & postea in caput ruant. Hisce indicationibus, ut prognosticum attingam, credo nos satisfacere non posse, considerando talem capitis & inferiorum indispositionem, quæ difficilis sit curatu. Nihilominus tamen (ne paucorum mensium spatio, malum pejus fiat, quod certè fiet, nisi primo quoque tempore idonea usurpentur remedia) proponam, quæ in hoc casu fieri debeant. Aperienda igitur, meo judicio, vena cephalica dextri brachij, & unciæ sex vel septem sanguinis emittendæ. His peractis revulsionis & derivationis gratia, Domina patiens sibi curet inurì setaceum, inter primam & secundam cervicis vertebram, vel loco hujus, singulis tribus mensibus nuchæ adhibeat vesicatorium, & quatuor digitis supra genu Tab. XLIII. Lit. H. sinistrum, atque incommodo brachij dextri loco Tabul. XLIII. Litt. H. inuratur fonticulus. Tumori duro, ante usum acidularum, & decocti sarsaparillæ, nullum topicum adhiberem. Corpus præparetur & purgetur medicamentis blandis. Utatur igitur syrupo catharico.*

℞. Syrup. de mann. lax. ℥j.
Extract. Rhab. ʒj.
Diacart. ℈ijs.
Mag. Tartar. ℈j.
Aq. ceras. nigr. q. s.
Ol. macis, gutt. ij.
M. F. Syrup. liquid.

Postea sumat hydromel Tartarisatum, & denuo purgetur infusione Agarici, Rhabarb. foliorumque sennæ, syrupi rosf. solutivo & mannæ. Hoc facto hepatis caliditas temperetur, lienque obstructus aperiatur usu acidularum. Deinde totum corpus, præcipuè verò caput, propter hemicraniam, purgetur sequentibus pilulis:

℞. Mas. pilul. aurear.
cochiar. ana ℈js.
Mag. Gelapp. gr. vij.
Cum syrup. de bethon.
Form. pill. n°. xxj. deaurentur.

Postea caput expurgetur errhinis & masticatoriis blandis, ne irritentur humores ad oculos & thoracē. Caput etiam roboretur spiritu cephalico, cujus gutt. xv. manè & vesperi, in aliquot cochlearibus aquæ cerasorum nigrorum sumantur. Tempore autumni, post totius expurgationem, hepatis attemperationem, obstructi lienis reser ationem, & capitis corroborationem, nihil præstantius est ad dissolvendum tumorem in maxilla superiore durum, quam decoctum sarsaparillæ, quod habet hanc prærogativam, ut omnes tumores duros digerat & dissolvat: ita tamen exhibeatur, ne sanguinem calefaciat.

℞. Radic. Sarsapar. ℥ij.
Lign. Guajac. pro corroboratione ventric. ℥ß.
Aquæ fontan. ℔. viij.

Fiat infusio per 24. horas, dein coquantur ad consumptionem medietatis, & colentur pro syrupo sudorifero, de quo sumat mane, quinque horis ante prandium, ℥v. &, quatuor horis ante cænam, ℥iiij. & singulis diebus, manè tantùm, hora una post assumptum syrupum, in lecto blandè & sine vi sudet per horulam. *Propotu ordinario fiat secundum decoctum, coquendo eandem materiam, primi decocti in ℔x. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, cui in fine ebullitionis addantur ℥ijs. uvarum passarum & ita decoctorum usum per 30. dies continuet, renovando secundo quoque die decoctum secundum. Inter usum sudoriferi animadvertendum, ne alvus constipetur, ideoque alternis diebus utatur enemate, aut potione medica laxativa. Singulis quoq; Septimanis sumat semel præscriptas pilulas, vel medicamentum æquivalens, & eo die, quo sive purgans sive laxans per os assumit, à decocto primo abstineat. Pro debilitate ventriculi recipiat semicochlear spiritus mastichini sequentis.*

℞. Mastich. ℥iij.
Galang. ℥j.
cinam. ℥ij.
infund. in s. q. spir. vin. & destill.

Exteriori ventriculi regioni applicetur ceratum, ex Caranna & Tacamahaca, aut aliud simile. Si his medicamentis tumor iste non cedit, adsectionē deveniendū est. Et hac sunt pauca illa remedia, quibus Nob. patiens tutissimè potest uti: ea tamen omnia Clariss. & Excell. Medici præsentus judicio relinquo Ulm. Suev. die 20. Aug. Anno 1642.

Curatio prædicti tumoris.

Tumor, cujus in præscripto consilio mentionem feci, fuit in dextra maxilla superiore, & magnitudinem ovi gallinacei superavit, albus, immobilis & durus. Præterito autumno (præparato corpore, & educto sanguine) usa est patiens decocto sarsaparillæ, quo tumor ferè discussus, ut ex epistolis Dominæ patientis ad me datis patet.

Extractum literarum die 7. Mart. Anno 1643. exaratarum Heilbrunnæ.

Tumor in mala dextra post usum decocti sarsaparillæ minor factus est, ita ut ferè evanesceret. Sic Deus Opt. maximus direxit curationem. Ego putavi perfectè curatum esse tumorem. Quid fit? Infelix post Bachanalia, in bal-

in balneum ordinarium, consilio & consensu Medici, ingressa sum: & vix iterum egressa, animadverti alterationem atque augmentum tumoris. Hinc quotidie majorem compressionem, non absque dolore, sentio, veluti tempore præterito. &c: ex his patet fructus & utilitas decocti sarsaparillæ.

Sed post aliquot menses, cum uteretur balneo, caput calefactum est; & tumor propter mœrores & continuas lachrymarum effusiones ad priorem magnitudinem auctus. Rebus sic stantibus, patiens Heilbronnâ venit Vlmam, ut ibi tumor chirurgiâ curaretur. Communicatis, cum Excellentiss. Domino D. Christophoro Eisenmengero, Reip. Heilbrunnensis Physico, consiliis, datoque prognostico, nos optimam sperare sanitatem, si modo os illæsum fuerit, præmissa purgatione & venæ sectione, Dominam ægram Anno 1643. die 2. Maij. in lectum, ligatis ad latera manibus, collocavi: deinde unus ex adstantibus hamulo labium superius nonnihil sursum traxit, ut commode inter tumorem & musculum primum, qui labium attollit, cultello separatorio pervenire possem. Hoc cultello superius usque ad ossis jugalis suturam perveni, & tumorem à prædicto musculo separavi. Inferius autem, propè dentes molares & gingivam, cartilagineam tumoris tunicam, quam ab osse quarto maxillæ superioris eodem scalpello diducere frustra tentavi, inveni, ita ut coactus fuerim folliculum incidere, quo inciso effluxit materia quædam crassa & flava, instar mellis, tumorque subsedit. Effluxa materia, & cartilagine per forcipem excisa, vulnus albumine ovi, pulvere chrysoliti præpar. & adstringente Galeni obligavi. Die sequente, & subsistente sanguine, propè musculum secundum, qui labium abducit, inveni quoddam tuberculum, sub quo erat foramen, per quod specillo obtuso, citra negotium, in cavitatem osseam perveni. Die 12. *in præsentia D.D. Eysenmengeri tuberculum illud incidi, & foramen illud dilatavi.* Die 13. *post abitum D. D. Eysenmengeri, propè dentem caninum aliud tuberculum instar ossis durum reperi, quod etiam forcipe Tab. XI. Fig. II. excidi. Interstitium extracti folliculi, ab ultimo dente molari usque ad caninum, ita consolidatum fuit, ut ne guttula puris exiret: foramen autem globalis apertum conservavi, donec osficulum beneficio decocti sarsaparillæ desquamaretur. Ossiculo oblato, vulnus cicatrice obduxi.*

OBSERVATIO VIGESIMA SEPTIMA.

Vulnus sclopeti in maxilla inferiore.

ANNO 1634. *die 27. Augusti Tesserarius equitum Suecicus, in conflictu Nordlingensi, in maxilla inferiori paulum infra dextram aurem, duobus sclopeti globis sauciatus est, quorum uterque linguam læsit, & oppositam maxillæ partem fregit, cum offensione tonsillarum omnium dentium molarium, insigni fluxione sanguinis, animi deliquio & febre.* Die 5. *læsionis ob insignem sanguinis fluxum, animi deliquium & febrem adhibui sequentia:*

℞. Syrup. Acetos. citri.
Julap. rosl. cum Tinct. ana ℥js.
Aq. Endiviæ.
Plantaginis ana ℥ijs. M. p. Syrup.

Vesperi usus est potione cordiali:

℞. Margaritar. præp.
Corall. rubr. præp. ana gr. VII.
Lapid. Chrysol. præp. gr. VII.
Aq. rosarum.
Plantaginis.
Ceras. nig. ana ℥j.
Syrup. corall. ʒij.
Acetositatis Citri ʒjs. M. F. potio.

His peractis, revulsionis gratia, præscripsi clysterem refrigerantem,

℞. Mell. ros. sol.
Olei violat. ana ℥iij.
Decocti emoll. ℥x Misc.

à quo ter dejecit materiam nigram, & sanguine mixtam. Post usum clysteris, & sanguinis fluxu compresso, religavi vulnus & non solum inferiorem maxillam in utraque reperi parte læsam, verum etiam linguam, cum insigni inflammatione faucium & amissione loquelæ. Ideoq; illicò adhibui pro lotione oris gargarismum adstringentem. Elotis faucibus, tàm internè quàm externè imposui spongiolam combustam, albumine ovi agitato imbutam, atque pulvere stegnotico Gal. & lapid. chrys. præp. aspersam, partibus vicinis oleo rosato inunctis fasciam adhibui: & hac ratione sistebatur enormis ille sanguinis fluxus. Die sequente aliquantulum melius habuit, nihilominus tamen de insigni dolore capitis, laterisque dextri pulsatorio conquestus est. Ob id secta fuit vena mediana ejusdem lateris ad emittendas ℥iiij. sanguinis. Post horam sumsit jusculum hordei, per infundibulum Tabul. XXVI. Fig. III. injectum. Tertio quoque die monstravit digitis insignem dolorem musculi temporalis, quapropter adhibitum sequens cataplasma.

℞. Farinæ hordei.
Fabar. ana ℥vj.
Micæ panis domest. ℥iiij.
Olei ros. ℥iij.
Vini rubr. &
Oxymel. s. ana q. s. M. ad ignem in formam cataplasmatis.

Vesperi sumsit suam panatellam per siphonem, & parum aquæ hordei. Media nocte sumsit haustum syrupi Acetositatis citri, & vini Granator. ana ʒjs. cum Aq. ceras. nig. ℥ij. Die quarto monstravit digitis & scripsit, se in faucibus, hoc est, circa columellam, seu plectrum vocis, insignem dolorem pati. Subsistente sanguine vulnus religavi, ex quo pus fluxit cum tanto fœtore, quem ferre non potui: elotis faucibus sequenti Gargarismo.

℞. Aq. Plantaginis. ℥ij.
Prunellæ ʒj.
Bol. Armeni. ℈j.

Salis Prunell. ℈ij.
Aluminis ℈j.
Syrup. Myrtini ℥j. M.

Vidi circa columellam, & specillo obtuso tetigi quandam duritiem vacillantem, seu frustulum ossis, quod partes circumstantes pungit, & dolorem circa fauces induxit. Hanc ossis particulam volsella dentibus exemi. Vesperi, propter constipationem alvi, usus est præscripto clystere. Die 5. *aliquantulum melius habuit, & religato vulnere, magna puris semicocti copia exivit.* Die 6. *sumsit potionem medicam.*

℞. Syrup. rof. sol. ℥ß.
Extract. Rhabarb. ʒj.
Aq. Plantaginis. q.s.
Lap. Chrysol. præp. gr. VI. M.

à quo quater dejecit materiam flavam, vulnus obligatum fuit digestivo.

℞. Terebinth. lot. in aq. scordii. ʒij.
Pulv. Iridis Florent.
Aristolochiæ rotund. ana ʒß.
Syrup. de rof. siccis ʒij.
M. p. digestivo.

Exterius applicata fuit turunda oleo violato, & lumbricorum terrestrium oblita, ad linguam nihilo usus est præter Aq. rof. & gargarismum. Die 7. *cæpit balbutire, dixit, monstravitque digitis fauces iterum dolere, inspexi & extraxi ossis particulam, vulnus dein obligans, ut die præterito.* Die 8. *conquestus est de dolore colico, sed post usum clysteris ordinarij, cui addita fuit portio, quadam amygdalar. dulcium, melius habuit.*

OBSERVATIO VIGESIMA OCTAVA.

De dolore dentium periodico felicicissimè curato.

QUamvis pilula D.D. Herlicij in ore detēta omnem dentium dolorem mirificè sedet, quæ conficitur ex seminibus apij, opio, hyosciamo, & syrupo papav.

℞. Semin. apii, gr. ij.
hyosciam.
Opij, ana gr. IV.
Syrup. papav. q.s.
M. F. Pilula no. j.

Nihilominus tamen ad periodicam dentium exacerbationem, quæ præstantissima sæpè elusit remedia, curandam & præcavendam, Dn. D. Spigelius, scalpro machario Tab. XII. Fig. I. &c. candente, eam anthelicis partem, quæ superiorem tragi immediatè contingit, felicissimo semper successu incidit, vulnusque deinde iterum consolidavit. Hac nova chirurgia ille ramulus arteriæ carotidis, qui ab auris anthelice ad dentes pergit, transversim inciditur, ita ut, intercepto humorum affluxu, dolor non amplius revertatur. Hujus præsidii chirurgici miram virtutem in se primum expertus est Author, postmodum, me præsente, in non paucis alis.

OBSERVATIO VIGESIMA NONA.

Apoplexia fortis ob dentitionem difficilem.

A*NNO 1638. Die 27. Februarij Hora noctis 8. Illustris & Generosi Baronis* Ferdinandi Geizkoffleri filius *Ordolphus, inter duodecimū & decimum tertium suæ ætatis Mensem, ob difficillimam dentitionem, apoplexia forti mortuus. Quarto ante obitum die parentibus inustionem occipitis*, alias valdè proficuam, mihique pluries compertam, *proposui, quam parentes recusarunt; unde talia adhibui remedia, quæ in hujusmodi magna intumescentia & gingivarum pruritu, febre & catarrho non sine fructu usurpari solent. Nihilominus tamen sine manifesta membrorum convulsione, clamore & dentium stridore spes ultima totius familiæ universali apoplexia correpta è vita discessit. Quod autem hoc tempus dentiendi valde periculosum sit, præsertim, quando prodeunt canini seu dentes, hoc est inter 12. & 13. à nativitate mensem, ex Hipp. Aphor. 25. Sect. 3. constat; & proverbio; Parentes de liberis suis gaudere non posse, donec dentes sub oculis, canini dicti, editi fuerint.*

OBSERVATIO TRIGESIMA.

Vincula linguæ unguibus malè disrupta.

A*NNO 1628. die 2. Martij conjux* Jacobi Zimmermans/ *peperit pulcherrimum filium, cui obstetrix, cujus famæ parco, ligamentum unguibus more suo incidit, ut in futurum articulatè loqui posset. Huic operationi successit dolor & inflammatio, quæ papillarum apprehensionem, vel lactis potius suctionem fœtui prohibuit. Parentes lactendi impotentiam linguæ vinculo adscripserunt, & existimantes quod obstetrix linguam nondū satis à vinculo liberarit, vocarunt chirurgum, qui pari imprudentia, ligamentum & vasa linguæ incidit, è quibus sanguis in asperam arteriam defluxit, & fœtum tertia die suffocavit.* Extincto infante, mater cæpit conqueri

queri de tumoribus mammarum à lacte concreto, quorum dexter malè tractatus tandem degeneravit in cancrum exulceratum, & fœminam, post perpessos gravissimos dolores, enecavit. Fœmella quædam recens nata, postquam ipsi chirurgus vinculum linguæ phlebotomo vulgari incidisset, propter dolorem linguæ parum lactis materni sugere valuit. Lacte in mamma dextra concrescente, mater fœtum admovit papillæ sinistræ, qui, mitigato prius dolore, lac in utramque traxit mammam, ita ut tumor ex concreto lacte durus minimè emolliri, & resolvi potuerit, nisi fœmella ablactaretur. Quo facto mater in filiola observavit vertebras dorsi versus dextram distortas, cui distorsioni vix emendabili ansam præbuit fœtus unicæ papillæ admotio. Ex his duobus saltem exemplis satis apparet, quàm periculosè vinculum linguæ unguibus obstetricum, & chirurgorum phlebotomo non raro dilaceretur, & quanti facienda sit legitima hujus vinculi chirurgia, quam multis cum animadversionibus nobis proposuit Hieron. Fabritius ab Aquapend. de qua vid. Tabul. XXXVI. Fig. VIII.

OBSERVATIO TRIGESIMA PRIMA.

Scrofulæ totum collum occupantes.

ANNO 1631. Mense Ianuarij charissima conjux Joseph. König / *scrofulis totum collum occupantibus obnoxia, me in consilium vocavit, cui præscripsi pulverem mixtum ex partibus æqualibus sacchari è gingiberis & turpethi, quipituitam, scrofularum conjunctam causam, ex profundioribus & remotioribus locis peculiariter expurgat, teste Avicenn. l. 4. Fen. 3. Tract. 2. c. 10. quia tamen honestissima hujus fœminæ natura ab usu pulveris in vino exhibendi abhorruit, sequentem mixturam tribus vicibus, citra nauseam, assumsit.*

℞. Pulv. Turpeth. ℈iiij.
Gingib. Indic. cond. q s.
M. in form. Elect.

Corpore ab humoribus crassis sufficienter expurgato, parti affectæ apposui ceratum oxelæum, oleo Logadorum *seu de lacertis emollitum, cujus descriptio hæc est: Recipiantur* lacertæ virides vivæ, quantum placet, coquantur in oleo communi, donec lacertæ comburantur, & oleum fiat nigrum. Colatura indatur vitro, & reponatur ad solem, usque dum fæces subsideant, oleum clarescat, & fuscum colorem acquirat, *& exhibui per triginta dies singulo mane ʒvj. de Electuario, quod Hercules Saxonia, & Ioannes Prævotius, tanquam longe certissimum ad curandas scrofulas remedium, pro secreto habuerunt, & ita pararunt.*

℞. Lacertarum sive communium, sive virid. N°. C.
Abscissis capitibus & caudis, exemptisque interaneis infundantur in aceto vini albi per se acerrimo, & sine pipere facto, per 4. dies: deinde exiccentur, & macerentur in alio aceto siccenturq, iterum in umbra aut Sole, & in pulverem redigantur. Quo facto, pulveris ℥j. admisc. mell. ℥iiij. Fiat mixtura, de qua per 30. vel 40. dies pueris dentur ʒij. adultis verò ʒß. ʒvj. vel ℥j. ad summum

His remediis exhibitis & appositis nostra patiens spatio mensis curata est. Johan. Riol. l. 2. Anthropograph. c. 15. de mensenterio *scribit, schrofulas in corpore nunquam erumpere, nisi mensenterium strumosum fuerit, quod etiam testatur Guido & Ingrassias. Ejusmodi mesenterium innumerabilibus glandulis repletum inveni in Nobiliss. Dominæ* Altesheimern *cadavere, quod quoniam totus corporis habitus scrofulis erat quasi refertus, aperui, & in hydropis causam inquisivi.*

Mirificam unguenti, quod Fabritius ab Aquap. l. 1. pentateuch. c. 21. ad scrofulas apertas commendat, virtutem expertus sum in quadam monacha & puella, quarum illa scrofulas habuit exulceratas in mammis, & hæc in collo.

OBSERVATIO TRIGESIMA SECUNDA.

Angina cum respiratione difficilima, & prohibita deglutitione.

NObilis quædam fœmina Ulmensis, Anno 1627. Die 7. Iulij, menstruis fluentibus, circa vesperam periculosa angina fuit correpta, quæ respirationem valdè difficilem reddebat, deglutitionemque cibi & potus denegabat. Huic vocatus subitò clysterem laxativum injeci, & eo rejecto sanguinis ℥iij. ex vena brachii mediana educi curavi. Die 8. Iulij horâ sexta matutinâ Enema fortius fuit infusum, quo reddito, patienti in lecto erectæ barbitonsor venas sub lingua incidit, & cucurbitulas siccas femorum parti domesticæ, veluti etiam heri, cum multa flamma affixit, non solum, ne purgatio menstrualis impediretur, verum etiam ne major ad partem affectam fieret attractio. Sanguine sufficienter extracto, cucurbitulas removi, & patienti gargarismum præscripsi, qui in omnibus periculosis anginarum speciebus, cum in principio augmenti fuerint, maximè commendatur, si eo fauces inflammatæ sæpius in die colluantur.

℞. Pulv. sinap. ℈js.
Acet. vin. acerrim. ℥j.
Aq. plantag. ℥iij.
Sacch. albiss. ʒij. M. F. Gargarismus.

qui spatio horarum quatuordecim, partim humores repellendo, partimq; eos resolvendo, patientem morti proximam ab angina liberavit.

OB-

OBSERVATIO TRIGESIMA TERTIA.

Facies pulvere tormentario ambusta.

ANNO 1634. Mense Novembri, Aromatarij cujusdam filius in taberna sua deposuit ollam vivis carbonibus repletam propè scrinium, in quo recondita fuerant decem libræ civiles pulveris tormentarij. Hinc Africus violentior adspirans scintillam ex olla in scrinium nullo operculo contectum detulit, ex qua pulvis accensus pueri manus calefacturi faciem ita combussit, ut neque oculorum palpebras attollere, neque cibum & potum vel manibus apprehendere, vel ore accipere potuisset. Parentes de pueri restitutione valdè solliciti, meum consilium prima læsionis hora petierunt, quibus, ut pro virili satisfacerem, præscripsi singulare linimentum, quo solo chirurgus partes læsas quater in die inunxit, & septimanæ spatio ingentem illam ambustionem, nulla remanente cicatrice, curavit.

℞. Butyri rec. novies, vel sæpius liquefacti & in aqua spermat. ranar. destill. loti ℥vj.
Ol. de vitell. ovor. ℥ij. M. F. Linim.

Quod in quibusvis ambustionibus empyreuma extinguit, inflammationem mitigat, pustulas prohibet, simulque dolorem lenit.

OBSERVATIO TRIGESIMA QUARTA.

Gutta serena setaceo nuchæ inusto curata.

ANNO 1639. Maria Röthin / *in Territorio Ulmensi nata, circa vigesimum sextum suæ ætatis annum ob suppressos menses conquesta est de utriusq. oculi vitio, quod vulgo gutta serena nominatur. Huic in Nosocomium susceptæ circa novilunium venam saphenam dextri pedis incidi, & sanguinis uncias sex educi curavi. Deinde pitulas uterino cephalicas:*

℞. Mass. pill. de castoreo ℈ij.
Extract. cochiar. ℈j.
Mag. Gialapp. gr. vj.
Aq. artemis. q. s.
Form. pill. nº. xxj.

& vinum medicatum præscripsi ad expurgandum totum & caput. Post catharticorum usum fonticulum femori dextro quatuor digitis supra genu inussi. Elapsis quatuor septimanis, menses cœperunt fluere, sed admodum diminutè: quapropter patienti exhibui dosin pilularum de ammoniaco correctarum, à quibus purgatio satis evidenter fuit promota.

Circa tertium novilunium menses apparuerunt, & fluxerunt, sed adhuc diminutè: quamobrem patiens repetiit usum pilularum menses promoventium, à quibus ad nutum fluxere. Quarto mense purgatio justo tempore & quantitate respondit: nihilominus tamen, patiens tristissima, inde visum non recepit. Hinc, quia antehac in Iohann. Davidis Commerelly charissima conjuge, & Iohanne Chunrado Ehingero setaceum nuchæ inustum ad hujusmodi nervorum obstructiones præstantissimum inveni, cervici setonem applicui, ulceraque per viginti dies aperta detenui, donec ægra pristinum visum lætissima receperit. Mensibus ritè fluentibus, fonticulum in femore consolidavit, & ab eo tempore usque ad annum 1645. incolumi sanitate fruita est.

OBSERVATIO TRIGESIMA QUINTA.

Excrescentia carnis in naribus gallica.

Rusticus quidam Iungingensis ozæna Gallica laboravit; cujus excrescentia nares ita fuerant obstructæ, ut patiens per eos aërem inspirare minimè potuerit. Quapropter præscripsi curam ex ligno sudoriferam, eaque finita, excrescentiam narium consumpsi sequenti unguento:

℞. Linim. fol. 56. ad carunculas in meatu urinario auferendas, è Prevotii medicina pauperum propos. ℥j.
Mercurii præcip. ʒj℔.
M. in formam unguenti.

quo illinantur turundæ naribus immittendæ. Carunculis exesis, naribus imposui canales plumbeos, & cerato divino obductos, donec consolidarentur ulcera. In ejusmodi ulceribus alij commendant mixturam ex decocto ligni sassafras, melle rosato, pulvere præcipitati & aloes succotrinæ, qua sæpius in die nares lavant, & felicissimè curant.

Hoc unguento præstantissimo nuper quoque Ulmanum textorem, post præmissam curam sudoriferam, ab eodem malo citra omnem doloris sensum intra septimanæ spatium liberavi.

OBSERVATIO TRIGESIMA SEXTA.

Gutta serena utriusque oculi incurabilis.

ANNO 1642. Johannes Hegelen/ *Apparitor Ulmensis; conquestus est de amaurosi, quæ modernis gutta serena vocatur: Hinc in Xenodochium delatus, accepit repetitis vicibus pilulas ophthalmicas.*

℞. Mass. pilul. Lucis.
fine quibus ana ℈js.
Magist. Gialapp. gr. vj.
Ol. fænicul. dest. gutt. ij.
Aq. Euphrasiæ q. s.
Form. pill. no. XXVII.

quibus nil quicquam conferentibus, cervici primum vesicatoria imponi, & setaceum in nucha applicari jussi; quod utrumque præsidium, cum cactus sine emolumenti perceptione, admisisset, revocavi in memoriam, quæ Anno 1620. observatoricinæ meæ inserui. Cadaver paupercula cujusdam Patavinæ (quæ per viginti annos amaurosi pedetentim invadente laboravit, & tandem cancro mammillæ sinistræ occulto; & medicamentis in pectoris cavitatem detruso, miserrimè obiit) delatum fuit in Theatrum Anatomicum, ubi præsentibus multis studiosis, in causam hujus cæcitatis legitimam inquisivi. Aperto igitur cranio, inveni duos anteriores cerebri ventriculos subsidentiam passos, & conglutinatos, per quos spiritus animalis ad oculos deferri non potuit. Unde nervis opticis sensim emarcescentibus (apparebant enim duplo minores, quam in aliis.) amaurosis, illæso undiquaq. oculo, inducta fuit, bene enim adhuc nutriebatur venis & arteriis rectè constitutis, nisi quod arteria ad oculi radicem ingressa turgebat, adeoq. inflammationem quandam, menstruis nempe regurgitantibus insinuabat. Addebat Excell. Spigelius in lectione Anatomica, quam super paupercula caput habuit, vitio huic minimè occurri potuisse, licet Pausanias aliquando ex vulnere frontis talem guttam serenam sublatam fuisse affirmet; inde quoque satis elucescere, guttam serenam non semper, imo rarissimè, ex obstructione nervorum opticorum oriri, sed plerumq. ejusmodi dispositionem præsupponere. Hinc etiam mirum non est, quando ejusmodi affectus omnem & multis expertam medendi operam eludunt.

OBSERVATIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Introcessio cranii mollioris in adulta minimè fissi.

IN *generali capitis contusionum curatione supra fol. 37. annotavi, cranium in adultis rarissimè deprimi citra rimam, sive internæ, sive externæ laminæ, nisi in iis, quibus à natura mollius est cranium. Hoc confirmavit Ancilla* Mich. Rietmans / *quæ trigesimo ætatis anno, vas aquâ plenum supra caput ferens, de scalo decidit in synciput dextrum, cui tumefacto accersitus Nicolaus* Reutte / *pellem agninam calidè applicuit. Altera die, remota pelle, & fovea digitis percepta, adstantibus depressionem cranij, & necessariam cutis divisionem, indicavi: quâ concessâ, integram cutim scalpello in crucem incidi, statimque oculis, & specillo rotundo, deprehendi parvam atque in exteriore lamina minimè fissam depressionem. Obligato vulnere, de interioris laminæ integritate maximè dubius, quoniam casus ab alto fuit vehemens, modiolorum operam proposui, quam patiens admittere noluit. Facto itaque prognostico, quod vulnus hoc, vel potius depressio, lamina interiore fissa, citra cranij perforationem tutò curari nequeat, ea verò integra existente patiens minori cum periculo sanari, plagam per 12. dies apertam tenui, quam, cum nec unicum appareret accidens, quod interioris laminæ rimulam, vel aliquale cerebri noxam arguisset, per secundam intentionem curavi.*

OBSERVATIO TRIGESIMA OCTAVA.

Fissura cranii capillaris & penetrans in puero & adulto curata.

ANNO 1644. *biga quadam deonerata transiit Davidem* Heilbronner / *& synciput sinistrum cum detectione ossis & rima cranij læsit, quæ observata & parentibus monstrata, vulnus stuppa stegnotico imbuta dilatavit Chirurgus* Ezechiel Vogel / *quo necessaria cranij derasio tutissimè institui posset. Altero manè accersitus reperi cranium à pericranio latè nudatum, & fissura dubia fractum. Hinc rimam scalpris instructus statim derasi, & ultra meditullium perveniens observavi interiorem cranij tabulam rima tantummodo capillari fissam. Quare, remotis scalpris, vulnus cum osse deraso medicamentis solitis tractavi, puerumque viginti quatuor dierum spatio felicissimè restitui, qui neglecto scalprorum usu, quod crebra testatur experientia, perire potuisset. Rationes, propter quas cranium haud perforarim, videantur supra folio 33.* de rima calvariæ capillari & penetrante.

Eodem modo restitui Johan. Georgium Hornung/ *qui Anno 1635. die 28. Decembr. in musculo temporali vulnus accepit cum rima cranij penetrante, sed capillari.*

OB-

OBSERVATIO TRIGESIMA NONA.

Contusio occipitis scalpris derasa.

ANNO 1637. Mense Septembri, Maria Lutzen / à militibus Bavaricis miserrimè tractata, conquesta est de vehementissimo occipitis dolore, cujus causa erat empiricus, qui medicamentis tumorē statim suppurantibus maturavit, deinde resolventia, per quatuordecim dies, adhibuit, donec materia purulenta exitum, ob integumentorū crassitiem, non inveniens, pericranium (unde vehemens dolor) & cranium corroderet, musculorumq́; (qui caput extendunt, & spleny rectique vocantur) insertiones ab osse diduceret. Patiens in Xenodochium Ulmense recepta, petiit auxilium manuale. Quare, præmissis universalibus, & ratione victus tenuioris instituta, occipitis exteriora, ut materiæ præclusæ pararetur exitus, scalpello in triangulum, ne musculorum dictorum fibræ per transversum læderentur, incidi usque ad os, quod asperum, & à materia corrosum, reperi. Evacuata igitur materia, vulneris labia medicamento stegnotico, satis noto, replevi, & altera die os asperum scalpris undique derasi: Operatione peractâ, cranio pulverem Cephalicum inspersi, vulnerique digestivum adhibui, donec bidui spatio cranium scalpris derasum, carne solida obduceretur. Osse carnibus contecto, vulnus beneficio unguenti de bethonica incarnatum, cerato divino cicatrizavi. Post vigesimum à derasione diem, cranium aliquot squamulas protrudens, dolorem capitis renovavit, qui tamen, exemptis volsellâ ossiculis, statim cessavit. Hic obiter monendum, ne chirurgiæ tyrones (si contusiones in capite suppuratæ appositis medicamentis tàm diu minimè cedunt) resolventium usum protrahant, sed potius, citra moram & periculi metum, cranii velamenta debitè incidant, ne pus sub crassissima cute longius dimorans, pravam qualitatem acquirat, & cum pericranio subjectam calvariam erodat. *vid. Tab. XXXII. fol. 36. contusio capitis sine læsione cutis & cranij.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA.

Fistula thoracis, cum erosione claviculæ.

ANNO 1627. die 10. Novembris, ad me venit Johannis Majeri, *civis & cupedinarij Ulmensis*, Uxor, *Sabina, monstrans* tumorem cum fistula, supra claviculam sinistram, *cujus fistulæ orificium fuit tam angustum, ut vix alicujus aciculæ cuspidem admitteret.*

Hujus causam quærenti respondit ægra, quod ante semestre, febre acutissima laborasset, quæ per abscessum in hanc partem judicata. Hunc abscessum Medicus alias exercitatissimus & Matthæus Memmingerus Barbitonsor adhibitis suppurantibus caustico medicamento, non jucundè (eo quod per 36. horas applicitum atrocissimos dolores, crebrumque animi deliquium excitavit) *aperuerunt & escharam, quæ magnitudinem thaleri adæquavit, phlebotomo violenter detraxerunt, qua ablata effluxit materia quædam fœtida & flava, at in pauca quantitate. Ulcus hoc per quatuor hebdomadas apertum tenentes, tandem consolidarunt, remanente notabili tumore & duritie, quam naturæ negocio resolvendam reliquerunt. Post mensem & dimidium, relictus tumor in magnitudinem priore multò majorem excrevit, quem denuo maturantibus usurpatis emollitum cultro rasorio inciderunt, ut materia excluderetur, quæ iterum pauca & biliosa fuit: qua exclusa, vulnus iterum per primam intentionem consolidarunt. Sic tertia & quarta vice ferramento abscessum inciderunt & conglutinarunt, ne minimum de læsione ossis suspicantes, quam tot recidivæ facilimè indicare potuissent, ita ut vel tandem abscessus in fistulam degeneraret, ob quam patiens, quotiescunque brachium sinistrum, vel etiam quemcunque pedem parum movebat, atrocissimos cruciatus, & syncopen passa est. Cui ita narranti, & meum auxilium roganti, præscripsi medicamenta, quæ evacuarent biliosos humores, in toto corpore abundantes: horum enim copiam demonstrabant constitutio corporis calida & sicca, febris acutissima antecedens, flavus totius corporis color,* & ipsa materia flava, *quæ per fistulæ orificium quasi transudavit. Corpore præparato & repetitis vicibus cholagogo optimè expurgato, fistulam angustissimam dilatavi, non ferramentis incisoriis (quibus non solùm musculus pectoralis, ex præcedentibus incisionibus satis læsus, magis offenderetur, verumetiam timor esset, ne iis sinistrè adhibitis vasa jugularia dissecta, vel parum læsa, vitam cum sanguine effunderent.) sed turunda ex radice Gentianæ præparata (hoc est in turundæ formam accommodata, supra fornacem exiccata, & in altera extremitate filo alligata.) quam foramini imposui, eam detinendo Emplastro diapalmæ ac deligatura cataphracta Tab. Ultim. S. & relinquendo in fistula per diem naturalem: Sequenti die radicem ab ichore biliosо tumefactam, & imo apice denigratam, volsellâ exemi, & specillo rotundo sinus qualitatem, & coloris hujus causam investigans, os asperum reperi, & mobile. Quare pro majore foraminis dilatatione, radicem alterâ crassiorem adhibui, cum Empl. diacalcitheos & dicta fascia, inunctis quoque partibus vicinis, ad detinendam radicem, & prohibendam inflammationem, quam dolor ex dilatatione subortus, licet vehemens non fuerit, facilè attrahere potuisset. Tertia die gentianam adhuc*

majorem intrusi, & sic consequenter, quotidiè auxi magnitudinem turundæ, usque dum foramen pro remotione ossis, jam separati ferè, sufficiens visum fuerit.

Sexto die *fistulam, globulis ex spongia paratis filoque alligatis, implevi, ut extrahi possint, propendentibus filis de foramine, & superimposito Emplastro cum fascia cataphractæ, & inunctione partium vicinarum.*

Præparatio globulorum est hæc: sumatur spongia nova, & aqua dulci nunquam madefacta, intingatur in ceræ & resina partibus æqualibus, commixtis & liquefactis, postea sub prælo fortiter exprimatur, & in umbra siccetur: exiccata conscindatur in globulos rotundos, cum filo annexo. Septima die, *remotis spongiolis, fistula fuit amplissima, per quam ossiculum, volsella arreptum absq; singulari dolore extraxi:* octavo die, *subsistente sanguine, ossi sano & detecto pul. seq. inspersi:*

℞. Radic. Irid. Flor.
Aristol.
Peuced. ana ℈js.
Euphorb. ℈ß.
Myrrh. ℈j. M. F. pulv.

quem filamentis carptis & siccis aspersum apposui, donec firmissima carne fuerit obductum: Ulcus vero sacchari albissimi pulvere (quod etiam bilis acrimoniam mitigat.) *quotidiè insperso dè tersi, & tandem Emplastro diapalmæ cicatricem comparavi. Duritiei remanenti applicui Emplastrum Oxelæum, cum linteo triplici vino decoctionis expresso, & ligatura conveniente, ut reliquiæ discuterentur, & novus ad partem adhuc debilem fluxus humorum prohiberetur. Hac ratione, intra quatuordecim dies, felicissimè mulierem, ab affectu periculosissimo pariter ac molestissimo, liberavi, ut testabitur patiens adhuc superstes, quæ cum Georgio Hebichio Tinctore, in altero conjugio, per decennium, integerrimè vixit.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

Vulnus thoracis cum fractura costæ.

JOhannes Vandereisen, *Augustanus, sculptor ærarius, & publicus factionis pennatæ Pancratiastes, Anno 1628. Ulmæ, in diversorio ad Rosam, hora noctis undecima, vulnus accepit à pistore quodam, affectioni Martiatæ addicto, in sinistro hypochondrio, circa quartam costam spuriam (quæ in parte cartilaginosa per transversum erat dissecta.) cum exitu omenti, & magna sanguinis profusione, quam varia sequebantur symptomata, animi videlicet deliquium, vomitus, dolor & tumor insignis circa septum transversum. Vocatus statim omentum adhuc integrum reposui, & vulneri turundam, ex stuppa cannabina, albumine & vitello ovi concussis imbutam, pulvere stegnotico inspersam, filoque alligatam indidi, superimposito cerato diapalmæ, cum decenti per Sostrati vinculum deligatura: reposito omento, & exhibito medicamento corroborante,* Die quarto *Ianuarij, circa horam sextam matutinam, ægrum accessi, ut vulnus religarem & inspicerem; at quoniam, propter virium debilitatem, & hæmarrhagiæ metum, non licuit, illi exhibui jusculum gallinæ adstringentibus alteratum, & ob cruciatus colicos cataplasma abdomini applicui, quod constabat ex digerentibus, resolventibus, anodynis, pro virium restauratione & sistendo sanguinis fluxu, seq. Elect. præscripsi.*

℞. Conf. rof. antiq.
symph. ana ℥iiij.
Trochisc. de charab.
Terra sigill.
Corll. rubr. præp. ana ℈j.
Marg. præp. ℈ß.
Syrup. Myrthin. q. s. pro Electuar.

de quo sæpius per diem sumpsit ʒj.

Ob pectoris angustiam, & respirationis difficultatem, ordinavi Eclegma seq. cujus crebro usu crassam & viscidam materiam expuit.

℞. Syrup. capill. ♀.
Liquirit ana. ℥vj.
farfar.
veron. ana ℥ß.
Tab. diatrag. frig. ʒiij.
aq. violar. q. s.
M. F. Eclegma.

Ob dolorem & tumorem, circa vulnus, inflammatorium, applicui cataplasma usitatum. Quinto *mensis* die, *dolor & tumor aliquantulum remisit, unde subsistente sanguine, vulnus religavi, cui turundam, digestivo inunctam & filo alligatam, intrusi, superpositis cerato, cataplasmate, & fascia eadem. Eodem die exhibui jusculа Herb. pimpinell. Tormentill. consolid. major. Saracen. Equiset. Veronicæ, Fragariæ, & sem. melon. alterata, ut materia in abdomine contenta, per vias urinarias excerneretur:* addita sunt adstringentia, ne diuretica sine his exhibita, novam hæmorrhagiam excitarent. *Sub noctem conquestus est de pruritu in meatu urinario, qui præsagiebat, materiam in cavum abdominis fluxam, beneficio diureticorum, per urinam expelli.*

Sexto *mensis die dolor omnino remisit, tumorque circa vulnus evanuit: at patiens dixit, se majorem sensisse pruritum dum urinam redderet, quam inspexi, & copioso pure permixtam inveni.*

Septimo *die, conquestus est æger de dolore circa humerum dextrum, sub vesperam de dolore hepatis cum febre & tussi sicca.*

Cum

Cum igitur octavo prædicti dolores cum calore febrili increscerent, ex vena basilica dextri brachii misi sanguinem ad ℥iiij. quo evacuato, dolores post unam & alteram horam cessarunt, & febris denuo remisit.

Nono, *materia vulneris erat cocta, & patiens in reliquum bene habuit: unde vulnus consolidare cæpi, quotidie turundam minuendo, donec cicatrix inducenda veniret. Per noctem vero sentienti, circa os sacri & vesicæ regionem, dolores colicis similes, præscripsi die decimo potionem sequentem:*

℞. Ol. Amygdal. dulc. rec.
expr. ℥iij.
Mann. elect. ℥ijs.
Aq. chamomill. q. s.
M. F. Potio.

Qua assumpta magnam bilis copiam evomuit, vigesiesque per alvum excrevit materiam biliosissimam, quæ hujusmodi dolorum unica extitit causa. Hac evacuatione facta patiens melius habuit, remittentibus in totum doloribus usque in diem vigesimum tertium, quo ob errorem invictus regimine commissum, diarrhœa biliosa fuit correptus, nam suasu mulierculárum assumsit, & avide comedit pruna sylvestria, à quibus insignis dolor colicus, cum tenesmo, oriebatur: quapropter die 24. exhibui Rhabarb. pulv. ad ʒj. in aqua cichorei, & duabus post Rhabarbarum assumptum elapsis horis, potionem sequentem.

℞. Ol. amygdal. dulc. rec. extr.
Decoct. chamomill. ana ℥iij.
M. F. Haustus.

Bile sufficienter excreta, circa horam undecimam ante meridiem cruciatus colici, cum tenesmo, penitus cessarunt. Die vigesimo octavo *vulnus cerato divino ad cicatricem fuit perductum, ita ut æger de nullo circa plagam dolore, de nullaque respirandi difficultate conquerens, vigesimo nono in publicum prodiret, & cum sociis ad mediam noctem perpotaret.* Die quarto Februarij *restitutus cum conjuge in patriam iter paravit & illam ante discessum fustibus egregiè excepit, ob levissimam causam excandescens. Cujus facti certior factus, maritum admonui, ut sibi in posterum, quantum possibile, ab animi pathematis caveret.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

Vulnus thoracis periculosum.

ANNO 1633. *Die 9. Mensis Februarij, Generosus Dominus* Nicolaus Dietericus, dictus Sprhrreiter *in monomachia sauciatus fuit à Generoso Domino* Rittwein / *Præfecto vigilum Suecico & duo vulnera accepit, quorum prius inflixerat sinistro carpo cum læsione venarum ac tendinum, ad manum extremam decurrentium, alterum dextra mamillæ digito transverso infra papillam,* quod in capacitatem thoracis penetrabat cum vasorum intercostalium læsione, & sputo sanguineo. *Hic propter sæva symptomata, & animi præsertim deliquium, quadriga delatus est in suum hospitium, ubi vulneri omnia necessaria fuerunt adhibita. Inter alia hoc notatu dignum esse judico. Ante primam vulneris deligationem, nonnulli ex magna illa turba adstantium dixerunt, se posse exsugere sanguinem, qui in thoracem fluxit. Admissi fuxerunt quidem, at non sanguinem, sed potius aurum: unus enim inter sugendum vulnerato annulum adamantinum, mille florenis comparatum, clam detraxit, sed proditus iterum restituit. accersitus vulnus thoracis inspexi, & specillo obtuso per foramen in capacitatem thoracis misso, eam sanguine repletam inveni. Ex sputo sanguineo suspicatus sum læsionem pulmonum, unde per vulnus albumen ovi, pulvere adstringente Galeni, Lapid. Chrysoliti præparati & pauca aq. plantaginis conquassatum per siphonem (Tabul. XXXVII. Figur. IV. C.) injeci, immisi dein vulneri turundam ex stuppa cannabina confectam, eodem liquore imbutam, & filo alligatam: inunxi partes vicinas ex oleo rosato, desuper apposui ceratum diapalma, partem q. linteo triplici ex vino rubro expresso, fostrati vinculo (Tab. XXXII. Fig. VI.) obligavi. Vulneri in carpo eadem remedia, ad fluxum sanguinis compescendum fuerunt applicita. Pro roboratione virium & sistendo sanguinis fluxu in thoracem, sæpius recepit de sequenti aqua.*

℞. Aquæ ceras. nigr.
Rosarum.
Plantag.
Pimpinell.
Veronic. ana ℥js.
Cinamom. ʒjs.
Spir. lilior. convall. ʒj.
Pulv. lapid. chrysol. præp.
Hæmatit.
Corall. rubr. ana ℈js.
Bezoard. gr. vii.
Marg. præp. ℈j.
Man. Chryst. plat. ℥ß. M.

Ob sitim bibit aquam hordei, syrupo coralliorum & Tinctura rosarum permixtam, strictè observans tenuis rationem victus.

Propter sputum sanguinis & febrim, revulsionis scilicet & ventilationis gratia, curavi venam jecorariam affecti lateris aperiri, & quatuor uncias sanguinis educi. Hisce peractis, præter decoctum hordei tinctura de rosis alteratum, & ptisanam hordei, pro cæna nihil assumsit. Secundo *mane conquestus est, se præterita nocte nihil vel parum dormisse, unde hora octava matutina sequentem admisit clysterem.*

℞. Rad. Acetos.
Althææ ana ℥ß.
Herbar. Pimpinell.
Agrimon.
Acetos.
Malv.
Violar.
Veronic. ana Mß.
Semin. Lini ʒiiij.
Fænicul.
Citr. ana ʒj.
Coq. in s. q. aq. ad. ℥x. colat. add.
Mell. violat. solut. ℥iij.
Ol. violar. ℥ij.
Chamomill. ℥j. M.
F. Clyster.

*à quo ter dejecit. Post rejectum clysterem religavi vulnus, ex quo parum sanguinis effluxit. Eodem tempore conquestus est Generosus patiens, de insigni dolore & calore lateris vulnerati, ob sanguinis fervorem in thorace collecti. Cum autem sanguis iste ob vulneris angustiam exitum nullū haberet (*etsi æger collocaretur in eadem figura, qua læsus fuerat*) & febris nimium cresceret, necessarium planè fuit sanguini exitum parare, vel vulneris dilatatione per scalpellum (Tab. XII. Fig. I. & Tabul. XXXVII. Fig. V. E) vel nova sectione inter tertiam (Tab XXXVII. Fig. II. Z.) & quartam ab ultima enumerata costam, secundum Hippocr. instituta. Hic enim obiter notandum, quod Hippocrates costas incipiat numerare ab infima seu duodecima numerata, eo quod digitis optimè tangi queat, atque idem sit, ac si dixisset, inter 9. & 10. costam instituendam esse sectionem à superioribus numerando. Dilatatio vulneris frustra fuisset tentata, quoniam major sanguinis in thorace contenti pars in regione diaphragmatis fuerat collecta. Parum etiam Paracentesi profecissem, sive in dextro, sive in sinistro latere facta fuisset. In sinistro non contulisset, quoniam in dextro colligebatur materia. Dextrum incidi prohibuit dorsi jecorisque insignis dolor & intumescentia: supererat expurgatio per urinam & sputum, quam tamen expectare nimis periculosum erat, ob materia copiam, quæ nativi caloris suffocationem minabatur.*

Quare obligavi vulnus, velut die præterito, & ad aliud auxilium deveniendum esse mecum concludens, mihi curavi fieri cannulam & obturatorem aureum (Tabul. XXXVII. Fig. IV. A.) ut facili negotio vel in triangulum, vel semicirculum inflecti possint. Hoc instrumento in triangulum curvato, & in capacitatem thoracis lentè imposito, styloque extracto, magna copia sanguinis (sine suctione quæsit ore) per cannulam effluxit. Post sanguinis hanc evacuationem, vulneri imposui cannulam alatam & auream (Tab. XII. Fig. XII.) pulvere adstringente Galeni, chrysoliti præp. & albumine ovi illitam: desuper applicui Emplastrum diapalmæ, spongiam novam in vino rubro expressam, & linteum duplex, cum Sostrati vinculo. Ab hac evacuatione tota nocte melius quàm præterita quiescere potuit vulneratus. Tertio *post læsionem* die *instrumentum prædictum thoraci adhibui, & libram iterum unam & dimidiam, cum admiratione non solum assistentium, verum etiam cum bona virium tolerantia extraxi.*

Sumpto prandio, quod erat ptisana & decoctum hordei, accepit vesperi emulsionem;

℞. Semin. melon. ʒiiij.
Papav. alb. ʒj.
Aq. fragariæ.
Pimpinell.
Veronicæ.
Nymph. ana ℥ij. F. Emulsio.
cui addatur.
Lapid. chrys. præparat.
Margaritar. præp.
Corall. rubr. præp. ana gr. viiij.
Syrup. violar. ℥j. M.

post cujus usum tota nocte quietè dormivit. Die quarto *læsionis, mingens acerbissimum dolorem in meatu urinario sensit: inspexi igitur urinam, quæ omnino turbata & fætida mihi certissimum signum fuit, materiam in thoraco contentam ad vias urinarias tendere.*

Vesperi ob constipationem alvi usus est Enemate sequenti:

℞. Sequent. Decocti ℥x.
Mell. viol. sol. ℥ij.
Cass. rec. extr. ℥ß.
Ol. viol. ℥iij. M.
à quo bis dejecit.
℞. Herb. Veron.
Pimpinell.
Prunell.
Plantag.
Agrimon. ana M. ß.
Hord. integr. p. ß.
Coq. in s. q. aq. & vini oligophori ad ℔j. colaturæ adde Mell. ros. col. ℥ij. Misce pro injectione detergente & consolidante.

Hoc decocto per siphonem Tab. XXXIII. Fig. IV. C. depictum injecto, & denuo evacuato, cannulam ex auro perforatam Tab. XII. Fig. XII. & digestivo oblinitam vulneri imposui, ac desuper ceratum diapalmæ, ut & splenium quadruplicatum ex vino que rubro expressum, adhibui. Interim non fuit neglectum vulnus carpi, sed alternis diebus suis remediis curatum & obligatum. Die

Sexto

Sexto *ob amaritudinem oris exhibui potionem medicam sequentem.*

℞. Syr. rof. fol. ℥js.
Extract. Rhab. ʒj.
Diacarth. ℈j.
Cremor. Tart. ℈ß.
Aq. Cichor. q. f. M. F. Potio.

Die Septimo *potum ordinarium miſcui ſequenti decocto.*

℞. Herb. Veronicæ.
Agrimon.
Vincæ per vinc.
Prunell.
Fragar. ana. M. j.
Cin. Aſtacor. fluviat. ℥j.
coq. in f. q. vini oligophori ad ℔j. s. col. adde mell. rof. col. ℥ij. M.

Die Octavo *vulnus carpi & patiens benè habuerunt; ille tamen nihilominus pulvere uſus eſt cordiali.*

℞. Pulv. lap. chryſ. præp.
Mag. marg.
coral. rub. ana gr. IV.
M. cum f. q. ſyrup. viol. & corall.

Die Nono *patiens optimè habuit, & de vulnere thoracis parum puris cocti exivit: unde, omiſſo injectionis decocto, ſolam cannulam digeſtivo oblinitam vulneri impoſui. Plagæ carpi, loco diapalmæ, applicui ceratum divinum, ad inducendam cicatricem.*

Die Decimo *omnino nihil de vulnere thoracis effluxit, ſed patiens conqueſtus eſt de tuſſicula, quæ abuſu trochiſcorum pectoralium cum ambra, & moſcho ceſſavit.*

℞. ſpec. diair. s. ℈ij.
diambr. c.
Pulv. ireos Florent. ana ℈j.
Trochiſ. Gall. moſch. ver. gr. XXII.
amyl. ʒj.
Sacch. albiſſ. ℥js.
candi alb.
penid. ana ʒvj.
Ambr. gryſ. ver. gr. vj.
mucilag. tragac. in aq. roſar.
diſſ. q. f. F. Trochiſci.

Urina adhucdum turbida & mictio dolorifica erat.

Die Undecimo *cum patiens optimè valeret, nihilque de cavitate thoracis amplius exiret, ne vulnus degeneret in thoracis fiſtulam, omiſſa cannula, turundam filo alligatam, & unguento de bethonica illitam, indidi, deſuper admoto cerato citrino.*

Die 12. 13. & 14. *æger ſine querelis tranſegit & dixit, ſe ratione virium, citra ſcipionis beneficium, ambulare poſſe.*

Cum die 15. 16. & 17. *vulnus mundum & deterſum appareret, ipſi turundam quotidie breviorem impoſui, ut caro ab intra excreſcere inciperet.* Die 17. *vulnus carpi, cerato divino adjutũ, cicatricẽ acquiſivit.*

A die 18. uſque ad 22, *peroptimè patiens Strenuus valuit, unde extraxi turundam, & ejus loco plagulam ex filamentis carptis confectam, & unguento de bethonica oblinitam vulneri appoſui, & partem affectam ſpongiâ novâ & ex vino rubro expreſſâ, ac faſcia compreſſiva, quam cataphractam Tab. Ultim. S. vocant, obligavi.*

Die 28. *vulnus cerato divino cicatrice fuit obductum, & patiens priſtinæ ſanitati reſtitutus.*

Die 34. *conqueſtus eſt de vehementiſſimo ſiniſtri pedis dolore, qui originem traxit ex animi commotionibus, ſed repurgato corpore à bilioſis humoribus, ceſſavit.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

Vulnus thoracis paracenteſin requirens.

A*NNO 1622. Menſe April. Antonius Auriga Patavii ſauciatus eſt in dorſo, enſe ad ſiniſtram mammam penetrante, atque adeo duo vulnera efficiente, quà inſequebantur præceps in terram lapſus, animi grave deliquium, aphonia, ſudores in toto corpore frigidi, pulſus intermittentes, & vomitus ſanguinis cum ſuſpicione cordis aut æſophagi vulnerati. Vulnus in utraque parte obligavi, ſed prius foramen in mamma ſcalpello falcato Tab. XXXVII. Fig. V. E. dilatavi, & utrique turundam, ex ſtuppa cannabina, albumine ovi oblinitam, filoque alligatam impoſui, nihilq; omiſi, quod in ejusmodi vulneribus fieri neceſſe eſt. Obligato vulnere ob ſummam virium debilitatem, patienti vinum fuit conceſſum, nullum tamen arteriarum in carpo pulſum per integrum diem digitis percipere potui.*

Die ſequente quamvis magna ſanguinis copia ex vulnere fluxerit, nullus tamen pulſus deprehendi potuit, niſi vulneratus, de loco in locum, aut de latere in latus, moveretur. Eodem die aſſumſit panatellam, quam ſubitò revomuit, unde æſophagum læſum eſſe mecum concluſi.

Tertia die patiens difficulter reſpiravit, in latere affecto propè diaphragma inſignem ſenſit dolorem, de vulnere vix guttula effluxit, &, quod maximum fuit, pulſus omninò defecit. Hanc ob cauſam inter tertiam (Tab. XXXVII. Fig. II. 4.) & quartam thoracis coſtam, ſecundum Hippocratem, pectus fuit apertum, hac intentione, ut evacuaretur materia in thorace contenta, ne calidum innatum ſuffocaretur, & ſubſtantia pulmonum putreſieret; Facta perforatione, vix tres aut quatuor guttulæ ſanguinis de vulnere effluxerunt, quod ideò notandum eſſe cenſeo, quia nonnulli ajunt maximum fieri ſanguinis fluxum, ob vaſorum intercoſtalium inciſionem: ſed non eo inficias, aliquando, & præcipuè in biloſis corporibus, ſuccedere ejuſmodi in cavitatem ſanguinis profluvium, quando inciditur vena aut arteria, quæ tamen ſcalpello Tab. II.

 Fig. I.

Fig. I. facillimè evitari possunt. *Sit læsa vena aut arteria intercostalis; quid refert? parum, aut nihil: sanguis enim ob vulnus inter tertiam & quartam costam recens factum, in cavitate thoracis retineri nequit, & si retineretur, sequenti die, dum obligabitur vulnus, iterum effluet. Aperto igitur thorace, de vulnere effluxit materia loturæ carnis simillima, ad integram ferè libram: qua evacuata manifestè percepi pulsum, & vulneri turundam medicamento ex albumine ovi & pulvere adstringente Galeni oblinitam, immisi. Vesperi denuò religavi vulnus arte incisum, rursusque integram libram sanguinis cum tertia parte puris commixtam exemi: postea vulneri imposita fuit turunda ex linteo convoluto parata, & digestivo sequenti oblita:*

℞. Olei Hyperic. ℥ß.
Terebinth. ℥j.
Mell. rof. colat. ℥ß.
M. F. digestivum.

desuper ceratum diapalmæ, linteum quadruplicatum ex vino rubro expressum, fasciaque coneniens.

Quarto die *obligavi superiora vulnera, & ex laterali à me facto vitrum puris, quarta parte sanguinis, mixti extraxi. Circa labia vulneris novi apparuit inflammatio, propter quam ægro interdixi vino, & præscripsi aquam hordeaceam pro potu ordinario. Pulsus manifestissimus fuit, & ex superioribus vulneribus purulenta materia, in paucissima quantitate, effluxit: Unde patienti præscripsi sequentem syrupum, de quo singulis diebus, summo mane & vesperi duabus horis ante cœnam, Uncias quatuor aut quinque per os assumeret.*

℞. Hordei decorticati. M. j.
folior. Fragar.
Vincæ per vinc.
Fol. Bugulæ.
Pimpinellæ.
Cichorei.
Farfaræ.
Pilosellæ.
Equiseti.
Verbenæ. ana M. ß.
Rad. Rub. Tinctor. ℥ij.
liquiritiæ ℨj.
Aq. fontis ℔. vj.

vini albi ℔. ij. Bulliant, ad consumtionem medietatis, & in fine decoctionis addantur mellis colati ℥ij. M. pro syrup. vulnerario.

Quinto die, *per hoc effluxit denuo vitrum puris non nihil fætidi, magisque ad flavedinem, quam ad albedinem tendentis. Ex utroque antiqui vulneris foramine exivit materia instar casei mucosa (ut in peripneumonicis sæpissimè vidi) at in pauca quantitate. Labia novi vulneris fuerunt livida, plagulæ ob magnam corporis impuritatem denigratæ, & febris solito major facta.*

Sexto die, *mane & vesperi, effluxit vitrum dimidium puris, ob cujus maximum fætorem nemo in cubiculo manere potuit, sub plagulis quoque & splenüs humor verè melancholicus visus fuit, hinc sequens decoctum præscripsi.*

℞. Scordi. M. j.
Mell. rof. colat. ℔. j.

Aq. comm. ℔ vj. coq. ad tertiæ partis consumptionem, & de colatura *injiciatur integra libra per siphonem Tab. XIII. Fig. II. delineatum. Post injectionem immisi turundam præscripto digestivo oblitam. Specillum argenteum puri immissum, & illico extractum, si nigrum fiat, ægrotum vix evasurum Hippocrates tradidit. Ego ad imitationem Hippoc. puri specillum immisi, quod cum nullam nigredinem contraxisset, sed albissimum permansisset, de restitutione benè speravi.*

Septimo die, *majorem febrem, quam diebus præteritis, habuit æger, pus etiam in magna quantitate effluxit, sed non adeò malum spirans odorem, ut die quinto & sexto.*

Octavo die *labia vulneris inter tertiam & quartam costam facti inflammationem conceperunt, cujus causa patiens majorem dolorem & febrem vehementiorem sensit.*

Nono die, *fætor purulenta materia evidenter remisit: Vesperi verò circa vulnus novum adfuit Erysipelas, cum dilatatione foraminis & costæ tertiæ denudatione.*

Decimo die *vulnus artificiosè incisum adhuc latius comparuit, quàm die præterito, cujus dilatationis causa meo judicio fuit humor biliosus, qui acrimonia sua substantiam carnosam corrodit. Noctu circa costas spurias, insignem sensit dolorem propter erysipelas, atque nervum intercostalem, qui musculo abdominis descendenti inseritur.*

Undecimo die *melius habuit, & tota nocte dormivit; siphonem noluit admittere, ob dolorem membranæ, quæ succingit costas.*

Duodecimo die *tam magnum dolorem manè sustinuit, quam pridie, unde omissa turunda, vulneri tantummodo spongiæ particulam, decocto vulnerario expressam, imposui: nocte toto corpore bis sudavit.*

Decimo tertio *melius habuit, pus quoque album effluxit.* In his casibus nullum præstantius remedium, quam non purgare corpus, quia si exhiberetur purgans, omnes humores concurrerent ad intestina, & extenuaretur corpus, cujus extenuationem mala sequerentur symptomata.

Die decimo quarto *tota nocte benè dormivit, pus etiam, in pauca quantitate, per vulnus exivit; vesperi verò illud in majori quantitate exiit, & pulsus vehementior solito fuit deprehensus.*

Die decimo quinto *majorem febrem habuit, quam die præterito: quia æger in sinistro & sano potius, quam dextro & læso decubuit latere, unde pus in thorace contentum febrem auxit. Vesperi vulneri laterali fuit imposita turunda, quia caro nimium crevit.*

Decimo sexto *patiens sumpsit, ob amaritudinem oris, quam per quatuor circiter dies sensit, Rhabarb. à quo medicamento quater biliosa egessit excrementa, deinde melius habuit.*

Decimo

Decimo septimo *præbui decoctum ordinarium. Vesperi pus album, in paucissima quantitate, exivit, ob id decoctum per siphonem non fuit injectum, vulneratus etiam non amplius tussivit. Nocte bene dormivit, febris vero nonnihil major fuit die præterito.*

Decimo octavo *neque injeci decoctum, neque vulneri turundam imposui, sed solummodo plagulas unguento de bethonica oblitas adhibui, desuperque Ceratum Barbarum: pus ad viriditatem magis quam ad albedinem tetendit. Nocte dormivit, sed habuit rixas per somnum, quæ significarunt pravorum humorum in corpore abundantiam.*

Decimo nono *tota nocte sudavit. Pus adhuc nonnihil viride fuit: quatuor horis ante prandium sumpsit Cassiam rec. extr. ℥s. dissolutam in jusculo decoctionis cichorei, borraginis, pimpinellæ, & veronicæ, quæ ter ipsum purgavit, excrementa erant omnino biliosa.*

Vigesimo die ℥s. *puris exivit, ob id vulneri arte facto, & in turunda iterū dilatato imposui cannulam stanneam, cum spongia ex vino rubro expressâ. Vigesimo die, tota nocte non potuit dormire, quia cannula premebat costas, & membranam pleuræ.*

Vigesimo primo. *Nihil ex vulnere effluxit, nihilominus tamen cannula fuit vulneri imposita, ut heri. Deinde sumpsit flores cassiæ in prædicto jusculo alterato dissolutas, una cum pulvere Rhab. Mechoacæ nigræ, & Cremoris Tartari. In posterum non sumsit decoctum vulnerarium, sed jusculum ex nonnullis herbis,* Cichorii scilicet, Borraginis, Sonchi, Fragariæ & Vincæ per *vincæ alteratum: foramen in mamma consolidavit.*

Vigesimo secundo *sumsit iterum prædictum jusculum alteratum.*

Die vigesimo tertio *semel injectum fuit decoctum vulnerarium, & parum puris effluxit, quod quia adhuc nonnihil viride fuit, patiens denuò usus est pulvere suo purgante.*

Die vigesimo sexto, septimo & octavo *non amplius injeci decoctum vulnerarium, semel q; in die obligavimus vulnus, & febris post duos dies remisit.*

Die vigesimo nono *patiens sumsit jusculum suum alteratum: pus fuit album, & patiens quasi extra periculum.*

Die trigesimo sexto *cum reviserem vulnus, ex ea magna puris copia effluxit, cum tumore labiorum, quod signum fuit alicujus erroris, quem in victus ratione commiserat: interrogatus respondit, quod comederit de prohibitis lacticiniis, à quibus in posterum abstinuit, & brevi feliciter restitutus fuit.*

OBSERVATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

Fistula thoracis acu pertusa.

Officialis quidam Cæsarianus Anno 1630. lethaliter sauciatus fuit tribus digitis transversis infra claviculam dextram, & Ulmæ in caupona aratro insignita ferè curatus, ob errores in victus ratione commissos corripitur inflammatione, quæ suppurata degeneravit in sinū sub cute latissimū, cujus fundus ad octavam usque costam descendit, ita ut neque Chirurgus, neq; Medicus materiam in sinu collectam expurgare potuerint, nisi ægrum cotidie in caput, pedibus sursum spectantibus collocarent. Cum autem sinus consolidatio protraheretur, patiens quotidiana corporis conversione multum perturbatus, me sibi ab hospite commendatum vocari jussit. Accedens, re percepta, proposui sinus incisionem, quæ scolopomachario peracta felicissimè solet succedere. Hac chirurgia non concessa, modum excogitavi, quo citra sinus incisionem materia facilem acquirat exitum. Quapropter immisso per sinus orificium, gentiana dilatatum, instrumento Tab. XIV. Fig. V. cujus apici globulus cereus erat affixus, inscio patiente (credebat enim me sinus qualitatem explorare) fundum citissimè perforavi, acumque detraxi. Evacuata per datam viam materiam, vulneri inferiori indidi turundam integro ovi imbutam, superiori unguento de bethonica infectam, appositoque emplastro diapalmæ & linteo quadruplici, totum pectus Sostrati vinculo deligavi. Postea vulnus recens penicillo, ex tela incerata cavo, per aliquot dies apertum detinui, donec superius applicito cerato divino consolidaretur, sinusque parietes mellicrato optimè detersi, spongia nova in vino rubro expressa, & fascia, quam Galenus cataphractam Tab. Ultima. S. appellat, arctè adhibita conglutinarentur. Sinu agglutinato, cannulam quotidie minui, tandem ulcus cicatrice obduxi. Hic modus curandi optimè succedit, quando sinus nullum contraxerit callū; secus, voto non respondet curatio.

OBSERVATIO QVADRAGESIMA QVINTA.

Empyema thoracis apertione curatum.

ANNO 1625. Nicolao Kohler *Civi & nautæ Ulmensi apertus fuit thorax in dorso inter quartam & quintam à suprema costam cultro panario, qui pulmones læsit adeo, ut patiens statim, præter sanguinis sputum, de magna respirandi difficultate conquereretur. Prima læsionis hora accersitus, in cavitatem thoracis siphone injeci mixturam stegnoticam, & turunda apertum conservavi vulnus. Ad virium instaurationem, & sanguinis compressionē præscripsi electuarium (cujus ingredientia videantur observat. 41.) & victum tenuem. Discedens adstantibus indicavi, patientem certò periturum, nisi inferius scalpello novum vulnus quam primum pareretur. Adstantes recusarunt. Mane ipsi ægroto proposui paracentesin Hippocraticam, qui statim in ipsam consensit, eaq; mediante, aliisque remediis non neglectis, felicissimè restitutus per annos aliquot integerrimè vixit.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

Materia Empyematis diureticis evacuata.

ANNO 1631. Valentinus Dettelbacher / *Pistor Ulmensis, in diversorio ad Solem sibi ipsi cultrum sub papilla sinistra in thoracis cavitatem adegit, citra tamen læsionem partium contentarum. Quapropter vulneri turundam stegnotico communi imbutam imposui, spleniumque in vino nigro austero expressum Sostrati fascia alligavi. Quo facto clysterem laxativum injici, & sanguinem è dextro brachio educi curavi. Deinde materia partim per vulnus, partim per vias urinarias expurgata, plagam internis & externis medicamentis multoties propositis, injectionibus scilicet, unguentis, emulsionibus & decoctionibus vulnerariis consolidavi.*

OBSERVATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Vulnus thoracis penetrans per septum transversum in ventriculi fundum.

ANNO 1645. *die 12. Augusti,* Melchior Frick / *Fullo Ulmensis, ab hortulano quodam vulneratus fuit, non solum in capite & naso, de quorum curatione supra Tabul. XXXII. & Obs. 22. dictum, verum etiam in thorace, quinque digitis transversis infra sinistram papillam. Vulnus capiti & naso inflictum Chirurgus* Elias Walther / *statim stegnoticis debitè obligavit, & tertium in pectore inveniens me vocari jussit. Accedens, vulneris in thorace accepti qualitatem specillo exploraturus, in cavitatem pervenire non potui:* concidit enim vulnus, ob musculorum situm mutatum, in quo patiens fuit læsus. *Inter explorandi actum vulneratus evomuit magnam sanguinis copiam, ita ut, gravi Syncope correptus, divinis potius, quàm humanis auxiliis indigere omnibus visus fuerit.* Hic vomitus mihi læsionem ventriculi, & per consequens diaphragmatis in parte carnosa, atque perforationem pectoris indicavit. *Quare, prædicto adstantibus vitæ periculo, vulneri turundam stegnotico usitato imbutam imposui, & applicito linimento simplici thoracem Sostrati vinculo Tab. XXXVIII. Fig. VI. deligavi. Secunda die, hora quinta matutina, patiens denuò vomuit duas mensuras sanguinis mero diluti, & posthàc omne id, quod ore assumptum deglutivit. Quæsitum igitur fuit, cum plaga nasi, non in narium cavitatem penetraret, ita ut sanguis per palatum ad fauces, & ab iis in ventriculum defluere potuisset, unde sanguinis iste & ciborum vomitus proveniret? Quærentibus respondi, quamvis vulnus collapsum, specillo adhibito, introitum in thoracem non concedat, nec aliqua in abdomine plaga appareat, nihilominus tamen accidentia, læsioni thoracis supervenientia, satis probare, gladium per musculos intercostales, & diaphragmatis partem carnosam,* (nervosa enim substantia si esset læsa, graviora symptomata ægrum infestarent.) *in ventriculum penetrasse. Perforatam pleuram significavit sanguinis in thoracis cavum fluxus, & multò magis indusii puritas: si namque thorax non fuisset apertus, sanguis effluens, procul dubio, indusium rubicundissimo colore tinxisset. Nec obstat, quod patiens de nulla unquam pectoris angustia aut tussi conquestus fuerit: sanguis enim dicta symptomata efficiens, per vulnus septi transversi defluxit in abdominis cavitatem, in qua suppuratus per alvum tandem exiit. Ventriculi vulnus indicavit, sanguinis & assumptorum vomitus, dejectus appetitus & dolor circa præcordia. His rationibus ego permotus, ventriculi solius rationem habui, reliquis vulneribus non neglectis. Quare potum & medicamenta consolidantia, in paucissima quantitate crebro exhibui,* (ne eorum copia vel distenderetur, vel ad vomitum irritaretur ventriculus) *& vires injectis Clysteribus quotidie duobus, ex jusculo nempe carnium pingui & vitello ovi paratis conservavi: Potus fuit vinum granatorum, medicamentum verò conserva rosarum antiqua pulvere mastichis permixta.*

℞. Conf. rof. antiq. ℥iiij.
Mastich. elect. subt. pulv. ℥ß.
Syr. consol. major. q. s.
M. in form. elect.

de quo, manè & vesperi, sumpsit quantitatem nucis juglandis. Externam ventriculi regionem inunxi oleis adstringentibus:

℞. Ol. rosati.
Mastich.
cydonior. ana ℥ß.
absynth. ʒiij.
M. ad ollam.

& vulnus sub papilla veluti simplex per secundam intentionem curavi. Septima decubitus die æger sedem habuit purulentam: Octava in pectore vulnus fuit consolidatum.

Decima quarta, *& reliquis, æger ore assumpsit liquores consolidantes, eosque citra dolorem retinuit.*

OB-

OBSERVATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

Fistula thoracis exedentibus curata.

ANNO 1643. Joannes Jacobus Wolfius, *Adolescens Heilbronnensis, passus est in dextro thoracis latere tumorem durum, qui ad suppurationem ductus, & malè curatus, in fistulam degeneravit, quam Chirurgi Heilbronnenses veluti desperatam naturæ relinquerunt. Patiens Ulmam veniens, expetiit consilium & operam, quam etiam promisi. Præmissisque universalibus ad discendam fistulæ qualitatem, orificium angustissimum medullâ sambuci vehementer contorta dilatavi, donec specillum rotundum Tab. VIII. Fig. VI. admitteret, quo os asperam tetigi. Ad consumendum callum fistulæ immisi penicillum sequenti unguento imbutum:*

℞. Pulv. semin. hyoscyam. ℈j.
Alum. ust.
vitriol. ust. ana ℈js.
Butyr. in aq. plant. lot. q. s.
M. F. Ung.

Extirpato callo, fistulæ turundam (cujus apicem decocto Divino madefactum, euphorbio pulverisato aspersi, reliquum vero unguento oblinivi:

℞. Ung. de Bethonic. ℥j.
Ægyptiac. simpl. ℥ß.
M. F. Ung. quod calli generationem prohibet.)

imposui, donec, post duos menses, costa squamulas aliquot protruserit: quibus exemptis, turundam cotidie minui, soloque bethonicæ unguento infectam applicui, donec ulcus carne repletum, beneficio cerati Divini, inducendam cicatricem requireret. His topicis æger, & vino medicato, pristinam sanitatem consecutus, Ulma discessit.

OBSERVATIO QUADRAGESIMA NONA.

Vulnus thoracis scalpello dilatatum.

ANNO 1631. *Die 22. Novembris* Johann. Georgius Kostinger / *Hippoporopæus Ulmensis in sinistro latere inter sextam & septimam thoracis costam accepit vulnus, quod sine partium internarum læsione penetrabat, angustissimum, ita, ut nullam turundam admitteret. Quapropter accersitus, illud statim dilatavi scalpello. Tab. XII. Fig. I. seu Tab. XXXVII. Fig. V. E. quo sanguis in cavitatem prolapsus & pectoris angustiam efficiens convenienter possit evacuari. Evacuato tantum, per vulnus, sanguinis, quantum vires oppressæ concedebant, vulneri imposui turundam ex lino crudo confectam, remedio sanguinem sistente infectam, filoque longo alligatam, & præmisso clystere laxativo, sanguinem è vena mediana sinistri brachij Chirurgus eduxit. Sequentibus diebus, manè & vesperi, vulnus religavi, illique, emissa priùs convenienti sanguinis quantitate, turundam digestivo sæpè jam proposito, imbutam immisi, donec, evacuata omni materia vulnus bonum coqueret pus. Ultimò plagæ adhibui cannulam ex linteo incerato cavam, & medicamento sarcotico inunctam, quam cotidie tenuiorem & breviorem paravi, usque dum Vulnus carne repletum cicatricem requireret, postmodum cerato divino inductam.*

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA.

Aliud vulnus thoracis scalpello dilatatum.

ANNO 1627. *Die 5. Decembr. Barbitonsor* Adam *N. ad me venit, & mihi nunciavit, Reverendum Dominum Gallum* Schnitzer *Parochum in pago* Einsingen / *heri post cœnæ tempus, à milite quodam Cæsariano, gladio læsum esse, duo vulnera accepisse, quorum unum in dextra inferioris maxillæ parte, alterum in dorso propè vertebras, inter tertiam & quartam thoracis costam* (eo scilicet loco, quo Hipp. Paracentesin instituere solet.) *lateris dextri in cavitatem penetrans, usque ad supremam ejusdem lateris costam; paulo inferius, quam ubi clavicula summæ ossis sterni extremitati annectitur, cum læsione pulmonum & vasorum intercostalium, quam subsecuta hæc symptomata: Animi scilicet grave deliquium, magna respirationis difficultas, sudores frigidi, & dolores circa pectus maximi. Vulnus in dorso Barbitonsor obligavit, turunda albumine ovi oblita, saltemq; inter membranam carnosam & musculum, anisculptorem dictum, imposita, adhibitoq; desuper Emplastro stictico Crolly, vulgo* Stichpflaster. *Vulnus erat simplex in maxilla inferiore, cui adhibuit ceratum di-palmæ. Sequenti die inveni vulneratum cum magna respirationis difficultate, savissimis doloribus, tam in parte anteriore, quàm posteriore, ob vasorum intercostalium læsionem. Vulnus, quod erat angustum, tentavi specillo obtuso, quo perveni in thoracis cavitatem, quod significavit, magnam sanguinis copiam in thorace fuisse collectam.*

Quapropter statim ad sistendum sanguinis fluxum, siphone in capacitate thoracis infudi sequentē mixturam:

℞. Pulv. adstring. Galen. ʒj.
chrysol. præp. ℈j.
Albumin. ovor. nº. iiij.
Aq. plantagin. q. s.
M. Pro injectione.

& vulneri imposui turundam filo alligatam, & spissiore stegnotico oblinitam, ut apertum conservaretur: desuper applicui linteum in vino rubro expressū, & fasciā, quam Sostrati vinculum Tab XXXII. Fig. VI. appellant, ad detinendam turundam, & impediendam inflammationem.

Ad hæmorrhagiam compescendam, & vires reficiendos usus est Condito.

℞. Conserv. Symphit. ℥vj.
rosar. antiq. ℥j.
Troch. de terra sigill.
Chacab. ana ℈j.
Bol. armen. præp. ℈ij.
Marg. præp. ℈ß.
Sacch. ros. tab. &
Syrup. granat. ana q. s.
M. F. Conditum, de quo æger sæpius per diem sumat aliquam portionem.

Ad sitim levandam præscripsi julepum refrigerantem & adstringentem.

℞. Syrup. Granat.
Myrtin. ana ℥js.
Aq. Veronic.
Plantag.
Prunell.
Cichor. ana ℥iij.
Species diamarg. frig. ℈js. M.

Hora 5. *post meridiem sumpsit grana aliquot laudani opiati cum Magisteriis, a quibus per quatuor horas placidè dormivit.* Die 3. *ob infimi ventris dolorem patiens admisit Enema anodynum, & laxativum:*

℞. Rad. Alth.
Tormentill. ana ℥ß.
Herb. Malv.
Agrimon.
Veronic.
violar.
Flor. chamomill. ana Mj.
Semin. lini.
fænugr. ana ʒiiij.
Anis.
fænicul. ana ʒjs.
Uvar. passar. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. font. ad ℥x.
colaturæ adde
Mell. ros. sol. ℥iij.
Ol. violat. ℥ijs.
M. pro Enemate;

à quo bis dejecit materiam biliosam & serosam. Post Enematis rejectionem, incisa fuit vena jecoraria lateris læsi, & eductus sanguis ad ℥iiij. Hora tertia post meridiem, extraxi turundam, sed nihil effluxit, ob vulneris angustiam, quod scalpello dilatavi Tab. XXX. Fig. V. E. ut materia in thorace collecta liberum haberet exitum. Post vulneris dilatationem ℔j. *sanguis adeo calidi effluxit, ut profluens patientem magis ureret, quam candela accensa. Sanguinis libra evacuata; thoraci injeci iterum mixturam venas, sanguinem fundentes, constringentem, & vulneri immisi turundam filo annexam, atque idoneo medicamento inquinatam. Ad dolorem pectoris mitigandum ordinavi unguentum.*

℞. Ung. pectoral. ℥j.
Ol. amygdal. dulc.
Chamomill.
lumbricor. terr.
ana ʒjs.

M. ad ollam.

Die 4. *ob sanguinem in thorace contentum, major fuit febris, quam diebus præteritis. Soluto Sostrati vinculo, & turunda extracta libra integra sanguinis, vesperi hora 7. iterum libra j. & semis effluxit. Circa 10. noctis horam sequentem assumsit Emulsionem, à qua iterum tres horas dormivit.*

℞. Semin. melon. excort. ℥ß.
lactuc.
papav. alb. ana ℈j.
Aq. Frag.
Pimpinell.
Veronic. ana ℥iiij.
F. Emuls. cui adde
Spec. diamarg. frig. ℈js.
Syrup. violat. ℥ij.
M. Pro dos.

Ad difficultatem respirationis & dolorem pectoris (cujus causa erat magnus sanguinis effluxus) sæpissimè cochleare sumsit de sequenti mixtura.

℞. Aq. veronic. ℥iij.
Pimpinell.
Cichor.
Plantag.
Ceras. nigr. ana ℥ß.
Lapid. Bezoard. gr. viij.
Hæmatit. ℈ß.
Terr. sigill. ℈j.
Corall. rubr.
Mag. Marg. ana ℈ß.
Manus Christ. perl. ℥ß.
M. ad vitrum.

Quinto die, *religato vulnere, iterum* ℔js. *sanguinis effluxit; Respiratio facilior fuit quam diebus præteritis, ob id præscripsi decoctum vulnerarium.*

℞. Hord. integr. p. ß.
Fol. Fragar.
Vincæ per vinc.
Bugulæ.
Pimpinell.
Veronic.
Cichorei.
Farfar.
Pilosellæ.
Verbenæ.
Equiset. ana Mß.
Rad. rub. tinct.
Torment. ana ℥ß.
Liquirit. ʒj.
Aq. fontis ℔vj.
Vini alb. ℔ij.

coquantur ad consumptionem medietatis & in fine ebull. add. mell. ros. colat. ℥ijs. *Misc. & col. pro syrupo, de quo quotidie manè hora 7.* ℥iiij. *& vesperi hora 4.* ℥iij. *sumsit. Potus erat aqua hordei cum herbis vulnerariis decocta.* Die 7. *aliquantulum melius habuit, &* ℔j. *Sanguinis effluxit. Vesperi, ob dolorem circa regionem umbilici, injectus fuit clyster supra descriptus. Turundam vulneri immittendam oblinivi digestivo:*

℞. Tereb.

℞. Tereb. lot. in aq. plant. ℥ß.
Olei lumbr. terrest. ℥j.
vitell. ovi n°. j.
M. in form. linim.

Septimo die *pulsus fuit omninò æqualis, & tam manè quam vesperi* ℥viiij. *puris sanguine mixti effluxerunt.* Die 8. *iterum* ℔j. *puris sinceri effluxit, patiens conquestus est de tussi, propter quam præscripsi Ecclegma:*

℞. Lohoch. de pulm. vulp.
Sani & exp. ana ℥vj.
Syrup. de farf.
de ros. sicc.
Veronic. ana ℥j.
Hyssop. ℥ß.
Pulv. Hyssop. ʒß.
Flor. Sulphur. ben. purg. ℈ij.
Trochisc. de spodio ʒß.
M. & dentur cum baculo liq.

Interim, ob fœtorem puris, non fuerunt neglectæ injectiones ex decocto scordij, hordei, & mell. ros. colat. Die 10. ℔j. *puris cocti ex thoracis cavitate fluxit, & æger melius habuit, quam die præterito.* Die 11. *per vulnus effluxit* ℔ß. *puris optimè cocti, cum pulmonum aliquot particulis, in quibus aspera arteria ramos evidentissimè inspicere licuit.* Die 12. & 13. *pus effluens fuit coctum. Patiens propter tussim & amaritudinem oris, duabus horis ante prandium sumpsit seq. bolum.*

℞. Flor. Cass. rec. extr. ℥j.
Spec. diamarg. frig. ℈ß.
Agaric. trochisc. ℈ij.
Rhab. elect. ℈j.
cum sacch. f. bolus.

à quo ter quaterve dejecit. Die 14. *melius habuit, quam diebus præteritis.* Die 15. ℥iiij. *puris fœtidi effluxerunt: quapropter cavitatem thoracis elui injectione prædicta.* Die 16. *in minore pus quantitate exivit, neque fœtor tam magnus fuit, ut die præterito.* Die 17. *urina non fuit amplius biliosa, ut alias, ægro de tussi valdè conquerenti ordinavi lambitivum:*

℞. Rad. Symph. decoct. contus. & cribro traj. ℥ij.
Spec. diatrag. frig.
Succ. liquirit.
Sacch. penid. ana ℥iiij.
Syrup. liquirit.
viol. ana q. s. M.

Die 18. *tussis, & fœtor remisit, ita ut tota injectio à calore non fuerit mutata.* Die 19. *æger bene habuit, urina quoque planè naturalis fuit.* Die 30. *æger conquestus est de dolore vulneris, quod inspexi, & inveni cannulam à carne optima extrusam: ob id, & quia nihil materiæ effluxit, removi cannulam, & imposui turundam, unguento de bethonica oblinitam: & quotidie bis de hoc decocto in cavitatem thoracis siphone injeci, ad consolidandas & corroborandas partes internas.*

℞. Hord. integr. Mß.
Rad. cons. major.
Tormentill. ana ℥iiij.
Herb. Veronic.
Pimpinell.
Pilosell.
Achimill.
Consolid. Sarac.
Bugulæ.
Verben.
Equiset.
Vincæ per vinc.
Fragar.
Scord. ana M. ß.
Semin. cichor. ℥ß.
Aq. font. ℔vj.
Vini alb. ℔j.
coq. ad tert. part. consumptionem, in fin. add.
Mell. ros. col. ℥ß.
M. Pro injectione.

Die 36. *vulnus omninò consolidatum fuit, & patiens pristinæ sanitati restitutus, in publicum prodiit.*

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

Empyematis per diuretica felix curatio.

ANNO 1638. *die 24. Iunij, Divi Iohannis Baptistæ, hora 7. vespertina, Dominus* Johannes Maschque, *Capitaneus benè potus, in monomachia vulneratus est à Domino de* Grien / *legato seu vicario militum, dextro musculo pectorali, duorum transversorum digitorum infra claviculam, vulnere penetrante (per venam cephalicam & thoracicam.) in capacitatem thoracis, cum insigni hæmorrhagia, animi deliquio, convulsione, stertore, sudore frigido, ἀσφυξία, & risu Sardonico. Et sic ultra dimidiam horam sine sensu & motu jacuit. In quo periculoso casu, ob prædicta symptomata, patientis, & conjugi & filiæ charissimis dixi, hæc esse præludia mortis. In mentem mihi venit Aphoris. Hippoc. 9. sect. 7. A sanguinis profluvio despientia, aut etiam convulsio, malum. Nihilominus tamen hæc medicamenta sunt adhibita.*

℞. Aq. Ceras. nig. ℥iiij.
Spir. Cephal. Anh. ℥j.
Lapid. Bez. ℈j.
Corall. rub. præp. ʒß.
Lapid. Chrysol. præp. ℈j.
Sacch. perlat. ℥ß.

revulsionis gratia ano inditum fuit acre suppositorum, naribus vero & pulsibus admota aqua odorifera Fuchsii & acetum rutaceum. Vulnus turunda ex lino crudo confecta, ovi albumine imbuta, pulvereque stegnotico aspersa, linteo in vino rubro expresso & fascia ad claviculam Galeni obligavi. Et sic deligatus totam noctem quietè

transegit, & crapulam edormivit. Secundo, ob angustiam dextri lateris, & dolorem circa diaphragmatis regionem, aperta fuit vena mediana ejusdem lateris, & emissus sanguis ad uncias quatuor. Vesperi, ob ardorem urinæ, sumsit dimidiam partem emulsionis:

℞. Sem. Melon. ℥j.
Aq. Pimpinell.
Fragariæ.
Veronicæ ana ℥ijs.
Ceras. nig. ℥ij.
Corall. rub. præp. ℈js.
Marg. præp. ℈j.
Lapid. Chrys. præp. ℈s.
Sacch. cand. & Syr. viol. simp. ana ℥j.
M. pro emulsione.

Plagæ imposui turundam digestivo oblitam (quod constabat ex vitello ovi, Terebinthina lota in aqua rosarum.) & pulvere Lapid Chrys. præp. aspersam: deinde apposito splenio in vino rubro calidè expresso fasciam dictam Galeni adhibui. Tertio die alvus mota est sequenti clystere:

℞. Herb. Malv.
Violariæ.
Parietariæ.
Veronicæ.
Flor. Chamom.
Malvæ. ana M. s.
Sem. Lini ℥iiij.
Melon.
Citri ana ℥iij.
Coq. in suffic. q. aquæ. s. ad ℥viiij. colaturæ adde.
Mellis. viol. sol. ℥ij.
Elect. Lenit. ℥j.
Olei violat.
Chamom. ana ℥js. M. F. Clyster.

à quo quater dejecit. Vulnus tractavi propter fluxum sanguinis medicamento stegnotico (quod ex albumine ovi, Lapid Chrys. præp. & pulv. adstr. Gal. paratum erat) & æger ob animi deliquium, sæpius per diem grana aliquot de confectione Alkermes sumsit, à qua melius habuit.

Vesperi, post emulsionis usum, conquestus de ardore urinæ, inde vitro exceptæ, in cujus fundo purulenta materia apparuit. Dolor & gravitas circa diaphragmatis & hepatis regionem desiit, & totam noctem placidè dormivit. Die 4. *propter absentiam febris, & quia materia in capacitate thoracis ad urinarias vias tenderet, operæ pretium duxi præscribere decoctum vulnerarium:*

℞. Cineris Astacor. fluv. M. js.
Herb. Pimpinell.
Vincæ per vincæ.
Veronicæ ana M. ij.
Aq. Fragariæ ℔j.
Vini Oligophor. ℔vij.

bulliant ad tertiam consumptionem, addend. in fine Mell. ros. col. ℥ij.

Hoc decoctum mane & vesperi mixtum fuit emulsioni, quod mirificè sanguinem in thorace contentum ad vias urinarias deduxit. Ex vulnere sanguis fluxit grumosus, quapropter cavitati thoracis decoctum adstringens & consolidans per siphonem injeci, quod describitur observatione 50.

Deinde vulneri cannulam, ex linteo & cera flava confectam, imposui. Desuper ceratum diapalma, & spongiam in vino rubro expressam cum fascia adhibui. Die 5. & 6. *æger iterum melius habuit.* Die 7. *vero nihil dormivit, & conquestus est de dolore vulneris, & totius lateris. Inspecto vulnere cannula sive turunda, ex linteo incerato cava, extra vulnus posita erat, unde materia in pectore contenta, & dolorem excitans, non habebat exitum. Evacuata materia remisit dolor, sed patiens conquestus est de oris amaritudine, propter quam præscripsi syrup.*

℞. Mann. el. ℥js.
Extr. Rhab. ℈j.
Cremoris Tart. ℈ij.
Aq. Veronicæ. q. s.
M. F. Syrup. liquid.

à quo ter dejecit materiam biliosam. Vesperi cum dolor in partibus pectoris superioribus & inferioribus, hoc est, circa vulnus, hepatis & diaphragmatis regionem remisisset, inspeximus & tetigimus infimum ventrem, qui flatibus erat distentus. Quare usus est præscripto Enemate, quod ipsi optimè conduxit, & inde tota nocte admodum dormivit. Die 8. *urina erat turbida & catarrhosa, unde hesternus dolor à defluxione capitis potius, quàm ab ipso vulnere originem traxisse videtur.* Die 9. *usus est Emulsione cum decocto vulnerario. Vulnus obligatum fuit uti præteritis diebus, nisi quod sola turunda perforata oblita erat digestivo antea præscripto, & aspersa pulvere ex Aloe, Thure, Lap. Chrysolito, prius decocto vulnerario per siphonem injecto.* Die 10. 11. 12. & 13. *optimè valebat.* Die 15. *Urina fuit clara, & tota nocte optimè quievit. Ex vulnere fluxit pus bonum & album; ideo cannulam, seu turundam ex linteo inceratо cannulatam, extraxi, eamque unguento de bethonica oblinitam imposui.* Die 16. *surrexit & paulisper ambulavit, & nonnihil puris albi & cocti ex vulnere fluxit. Vesperi usus est decocto vulnerario, & emulsione seminum Melonum.* Die 17. & 18. *iterum benè habuit, & ex vulnere, nihil, aut parum materiæ exivit. Quapropter extraxi turundam, & filamenta carpta & ceratum diapalma imposui, & spongiam novam ex vino rubro expressam superligavi.* Die 20. & 21. *vulnus cicatrice obduxi.*

OB-

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

Cancer mamillæ exulceratus scalpello abscissus.

Religiosissima Domina Anna Sibylla, Abbatissa Urspringensis, 47. circiter annorum, temperamenti calidi & parum sicci, ante quinque annos, ex mensium suppressione laborare cœpit, ex qua in mamma sinistra tuberculum ipsi ortum est durum, nigrum & dolorosum, ita ut barbitonsoris opem implorare cogeretur, qui tuberculi istius duritiem, non intellecta causa, emollientibus & humectantibus resolvere conatus est, sed hac ratione, non modò non opem tulit, verum potius miseram mulierem in majorem calamitatem præcipitavit: Scimus enim ex nostro Sennerto, cancrum emollientibus tractatum exasperari. Dum his emollientibus tuberculum non cessit, Balneator illius excisionem proponit, & dum secat, ac mammam cruore manantem videt, lepore timidior aufugit, & cruentam fereq; mortuam Abbatissam dereliquit, ita, ut, propter balneatoris aufugium, sorores monasterii præ anxietate fuerint coactæ, sanguinem ex vulnere fluentem sistere, & ægram aqq. corroborantibus reficere. Ab hac incisione integra mamma exulcerari cæpit, & in horrendam magnitudinem excrevit, cum fœtore, ac si acetum cum carne mixtum esset, febre propter viciniam cordis ingenti, & acutissimo dolore, quem in longius perferre non potuisset. Sefflingam venit, & meum & Clariss. viri D. D. Iohan. Reguli Villingeri, Affinis mei plurimùm honorandi, consilium & auxilium imploravit. Nos primo intuitu & visitatione malum, ex odore, tumore, & ortu, judicavimus esse cancrum, cui cùm aliter, nisi totius mammæ abscissione, mederi non possit, de hac Abbatissam admonuimus, ut illam cum forti animo & spe certissimæ salutis, (cum radices profundas nondum habuerit, & tempus menstruorum jam præterlapsum fuerit) sustineret.

Qua igitur consentiente, mammam exulceratam, ob summum fœtorem, putredinem & dolorem, lavi decocto divino, ipsi pulverem ex alumine usto, tutia præpar. lapide chrysolito, & scordio paratum inspersi, & desuper ceratum oxelæum linimento simplici mixtum:

(℞. Cerati oxelæi.
Linimenti simpl. ana ℥j.
Ol. myrtin. ʒij. M. in mortario plumbeo.

Linimenti simplicis descriptio.

℞. Succ. Solatr. rec. exp.
Ol. ros. ana ℥xx.
coq. secund. art. ad consumptionem succi; colaturæ adde
Litharg. aurei.
Cerus. ana ℔j.
Misc. sec. art. in formam Ung.

Ceratum verò oxelæum paratur è sequentibus.

℞. Ol. comm. vetust. ℔j.
acet. vin. acerr.
Litharg. aur. ana ℔ß.
Misceantur ad ignem lentum, donec cerati consistentiam acquirant.)

applicui. Præscripsimus vinum laxativum ex hydragogis & melanagogis, quo corpus per Epicrasin à vitiosis humoribus expurgaretur. Dein Domina Abbatissa secta fuit vena mediana brachii sinistri, at emissus sanguis in paucissima quantitate, eum modò in fine, ut ejus substantiam & qualitates inspicere queamus; fuit autem sanguis adhuc serosus & semiputridus, absque omni ferè fibrarum concretione. Quapropter usa est condito ex Trochisc. viperinis.

℞. Conservæ Boraginis. ℥js.
Trochisc. de viperis. ʒiiij.
Syrup. corall. q. s. F. condit.

ut materia serosa & maligna à centro ad circumferentiam duceretur. A dictorum remediorum diligentissimo usu patiens melius habuit, fœtorque cum putredine omninò cessavit.

Sic præparato & purgato corpore, Domina Abbatissa, mammæ abscissionem instanter rogavit: unde, ne longiore procrastinatione ulcus profundiora peteret, Anno 1641. die 25. Iunij; omnia ad operationem necessaria præparavi, & sequenti die sectionem ita institui. Exhibita patienti potiuncula ex confect. Alkerm. aquis cordialibus & cinamomi, ad Chirurgiam perveni: Etsi in totius mammæ abscissione accipienda sit acus oblonga, anceps, acutissima, duo fila trahens & trajicienda in infima mammillæ basi: deinde fila utrinque alliganda & constringenda firmiter, ac si non sufficiat, transmittenda alia acus sit, & similiter fila liganda, ut ex Tab. XXXIIX. Fig. I. patet; ad evitandum tamen maximum dolorem, qui ex duplici acus trajectione suboritur, ego (fretus cognitione anatomica:) sine transmissione acuum mammam novo vinculo, variis capitibus donato, quod excogitavi, ligatam, in circumferentia tumoris erosi atramento scriptorio notavi, hinc unico tractu, mammillam, acutissimo scalpello, à musculo pectorali radicitus, (ne mihi accideret, quod posthac cuidam lithotomo evenisse sequens observatio docet.) abstuli, & hæmorrhagiam non statim stiti sed postquam omnis sanguis atrabilarius & adustus, ex venis proximis effluxerit: quare venas & arterias, saltem corroborandi gratia, cauterio ignito leviter inussi, deinde loco affecto pulverem adstringentem Galeni, & lapidis Chrysoliti præparati albumine ovi conquassato exceptum, & filamentis carptis illinitum imposui, & deligatura, quam Galenus & alii Græci Autores cataphractam appellant, commodè firmavi. Die 27. Junii, sanguinis fluxu subsistente, mammæ decurtatæ digestivum non adhibui, sed ceratum divinum, ob partis humiditatem. Die 28. nullus aderat dolor, nullumque inflammationis signum, nihilominus tamen 29. sumsit haustum vini laxativi, & 30. portionem de condito viperino, ad vitiosorum humorum reliquias educendas, & dissipandas. Trigesimo Junii, Ul-

mam vecta, usque ad 4. Augusti optimè patiens habuit, & nunquam conquesta est de ullo symptomate. Die sexto observavi aliquot carunculas albas in mamma; & interrogavi Dominam Abbatissam, an errorem in victus ratione commiserit? respondit, se jussu œconomæ haustum vini, quod tamen interdictum fuit, bibisse. Die 8. *fuit vox aspera, & statim mihi in mentem venit Hippocratis dictum, libr. de glandulis: Quibus per morbum aut aliam quandam calamitatem mamma aufertur, vox ferox efficitur.* Die 9. *iterū usa est vino laxativo cū manna permixto, ob constipationem alvi.* Die 13. *cum animi gratia, gossypinas chirothecas acu texeret, inferiorem mammæ partem, ob continuum brachij motum, herpes miliaris corripuit: Quapropter hujusmodi exercitium interdiximus, & patienti præscripsimus vinum medicatum, ut materia biliosa & acris à circumferentia ad centrum, & ab hoc extra corpus moveretur.* Die 14. Augusti, *ne hujusmodi humores acres in principales corporis partes incurrerent, ipsi fonticulum paravi, revulsionis gratia, in sinistro pede supra genu, & brachio dextro.* Die 16. *ob summum aëris calorem maximumq. herpetis pruritum, facta est excrescentia carnis, unde per os sumsit Syrupum.*

℞. syrup. rof. sol. ℥ij.
Extract. Rhab. ℈iijß.
Diacarth. ℈ij.
Mag. Tartar. ℈j.
Aq. cichor. q. s. pro Syrup. liquido.

à quo per novem vices copiosissimam bilem egessit: Excrescentia carnis pulvisculum ex Tutia & lapid. chrysol. præp. ana ℈j. & alum. Roch. ℈iiij. *paratum, & filamentis carptis aspersum, applicui, & Herpete miliari ob insignem pruritum, post fomentum ex decocto malvæ & aq. fluviali ceratum citrinum apposui: à quorum remediorum usu excrescentia fuit consumpta, & herpes miliaris, cum suo pruritu, omninò evanuit.* Die 7. Septembris *uterque fonticulus suum officium fecit: à nono usq. ad 15. pilulas Aloeticas Hieron. Fabrit. ab Aquap. usurpavit, propter dolorem Capitis & pigritiem alvi; & postea optimè valuit cicatrice parti affectæ obducta.* Die 28. Septembr. *ipsi secta fuit vena pro exploratione sanguinis, qui bonus & rubicundus absq. omni putredine erat.* Die 6. Octobris *lætissima & sanissima Vlmâ discessit.*

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

Vulnus Sclopeti in inguine & pene curatum.

ANNO 1633. *Mense Iulio N. N. vexillifer equitum in duello vulneratus fuit, sclopeti globulo, in femore dextro propè inguen, meatu urinario & crure sinistro. Globulus namq. membri virilis radicem perforans, & per meatus urinarij longitudinem excurrens, sinistrum etiam læsit crus. Tertio læsionis die vocatus, agri (qui de insigni meatus urinarij laceratione, penisq. inflammatione, & priapismo conquestus est) alvum subduxi, propter gangrænæ metum, clystere leniente: & ordinato tenui victo (qui in præcavendis & curandis quibuscunque inflammationibus plurimum valet) vulneribus inguinis dextri, penis, atque cruris sinistri oleum violatum aquis carduibenedicti & malvæ septies lotum, & parva quantitate mellis rosati colati permixtum, per siphonem injeci, & turundas eodem medicamento oblinitas imposui, desuper unguentum linimenti simplicis & cataplasma ex farina hordei & fabarum, mica panis, oxymellite simplici, oleoque rosato & violato compositum adhibui, atq. partes læsas convenienti fasciâ deligavi.*

Die 4. ob insignem inflammationem penis & febrim, barbitonsor incidit venam jecorariam dextri cubiti, & ℥vj sanguinis emisit. Post prandium ejusdem diei aperuit venam saphenam dextri pedis, & ℥v. sanguinis eduxit. Vesperi ob insignem penis dolorem, & semi-suppressionem urinæ, usus est hac emulsione.

℞. Semin. Melon. ℨvj.
Lactuc.
Papav. alb. ana ℨj.
Agni casti ℈ij.
Aqu. Nymph.
Fragor.
Acetosæ ana ℥iij.
F. Emulsio, cui adde
Syrup. viol. ℥js. M.

Die 5. conquestus est de maximo inter mingendum dolore, & eschara tam in meatu urinario, quàm in reliquis vulneribus separari cæpit. *Ob id per siphonem injeci sequentem mixturam.*

℞. Aq. Rosar.
Malv.
Carduib. ana ℥ij.
Boli arm. præp.
C. c. ust. præp. ana ℨj.
Lapid. chrys. præp. (*ob sanguinis fluxum*) ℈js.
Olei violati ℥j. M.

Vulneri meatus urinarij, loco turundæ, immisi, per glandis orificium, catheterem aureum Tab. xij. Fig. xiv. linteo obductum, & linimento simplici oblinitum: inguinibus oleo rosato inunctis adhibui lanam succidam, lumbosq. hoc unguento oblinire jussi.

℞. Ung. infrigid. Gal. ℥ij.
Comitiss. ℨß.
Ol. rof. ℥ij. M.

Die 6 propter meatus urinarij obstructionem ab eschara particula patiens urinam per glandis orificium reddere nequit: quapropter ipsam volsella dentibus apprehendi, & foras extraxi. Die 7. dolor remisit, ægerq. paulo melius habuit, quam diebus præteritis. Die 8 *patiens bibit vinum, & lusit cum anillis. Vesperi conquestus est de priapismo, & inflammatorio penis dolore. Propterea, & ob sanguinis profusionem, ager usus est suo Enemate & emulsione: Lumbos inunxi unguento adstringente, penisq. injeci mixturam, & meatui urinario imposui fistulam*

tam modo citatam, linteo obductam & linimento simplici oblinitam. Vulneri cruris & inguinis, post injectionem, oleum violatum & rosatum adhibui. Die 9. *propter inflammationem adhuc durantem, iterum secta est vena saphena sinistri pedis, omniaq; medicamenta fuerunt apposita, quæ die præterito.* Die 10. *æger melius habuit, escharaq; ablata, meatui urinario per siphonem injecî liquorem sequentem:*

℞. Aq. Plantag.
Prunell.
Rosar.
Carduib. ana ℥j.
Tutiæ præp. ʒij.
Lapid. hæmatitid. ℈j.
Bol. armen. præp. ℈ſs. M.

Vulnus inguinis & cruris digerentibus, detergentibus, sarcoticis & epuloticis tractavi. Die 11. *totam diem & noctem sine omni dolore & molestia transegit.* Die 12. *ob ventris constipationem assumpsit bolos*

℞. Flor. cass. rec. extract. ℥j.
Mann. elect. ℥ij.
Pulv. liquirit. ℈j.
Sacch. albiss. q. s. F. Bol.

a quibus quater dejecit. Die 13. *ab Gonorrhœam non virulentam, præscripsi conditum:*

℞. Conserv. Malv.
Violar.
Fl. cichor. ana ℥j.
Semin. Agni cast. ʒſs.
Lactuc. ʒj.
Papav. alb. ℈iiij.
Syrup. papav. q. s. Misce.
F. Cond.

De quo mane, & vesperi ante introitum lecti, & emulsionis usum, magnitudinem nucis castaneæ assumpsit. Die 14. *viscida quædam materia penis meatum propè glandem ita obstruxit, ut urina per vulnus inguinis effluxerit. Quapropter particulam viscidam volsella extraxi & fistulam linimento simplici obductam, post liquoris postremo præscripti injectionem, meatui immisi, & ne excidat filo alligavi.* Die 15. 16. 17. 18. & 19. *ab usu medicamentorum optime habuit, & pus album, leve, atque æquale, in paucissima quantitate, è vulneribus effluxit, quibus incepit caro rubicundissima increscere.* Die 22. & 23. *loco canaliculi Tab. XII. Fig. XVI. candelam ceream cerato divino oblinivi, eâq; impositâ meatu urinarium consolidavi. Interea tamẽ semper usus est victu non admodum crasso, & refrigerante emulsione.* Die 17. *meatus urinarius consolidatus, vulneraq; externa, cruris & inguinis, ad cicatricem ducta fuerunt.*

OBSERVATIO QVINQVAGESIMA QVARTA.

Cancer mamillæ malè incisus.

ANNO 1643. *Die 9. Decembris, Inclyti Senatus decreto, cum chirurgis Georgio* Riedlin *& Ioann. Georgio Bauler visitavi Matthiæ N. charissimam conjugem, quæ sinistro brachio maximè dolens nobis retulit, quod lithotomus N. N. ipsi tertia post partum septimanâ, cancrum mammillæ sinistræ occcultum, in præsentia cujusdam Medici Vlmani, citra antecedentis causæ præparationem & evacuationem, novacula abscideriт, duosq; tumores sub axilla insignes quidem, musculis tamen non adhærentes, topicis resolvendos reliquerint. Elapsis duodecim diebus tumorum anteriori chirurgus apposuit causticum ex arsenico paratum, quod eum radicitus non exedit, sed tantos dolores excitavit, ut humores è toto adcurrentes brachium enormiter distenderent. Rebus ita habentibus, adstantibus & marito significavimus, miseram mulierem, neque ferro neque medicamentis restitui posse, sed ob relictos tumores certò perituram; quod etiam brevi evenit, vires enim doloribus exhausti nulla purgantia concesserunt, neque dolores ullo medicamento anodyno mitigari potuerunt. Malè itaque fecit tàm Medicus, quàm Lithotomus. I quod cancri curam tempore puerperij, quo corpus ab atrabilariis humoribus expurgare non licuit, aggressi fuerint. II. quod malum non radicitus ferro extirparint; (ignorantes Hipp. Aphorism. 13. sect. 12. quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consueverunt) sed potius arsenico periculoso retractisque uteri purgamentis exasperarint. III. quod petitam curationem Anatomiæ periti (quipræmissis universalibus, tumores haud profundè radicatos citra vasorum læsionem aut recidivæ periculum excidere potuissent) non commiserint, excusantes se, Hipp. Aphor. 38. sect. 6. quibus occulti cancri fiunt, non curare melius: curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.*

OBSERVATIO QVINQVAGESIMA QVINTA.

Cancer mammæ parvus & occultus medicamentis resolutus.

ANNO 1634. *Mense Septembri, Barbara* Heylerin *villica Bermaringensis, mihi monstravit, in sinistra mamma tumorem, qui à suppressis mensibus subortus, nullis remediis, sed sola sectione extirpari posse videbatur. Habebat enim omnia cancri signa, duritiem scilicet, dolorem acutum, rotunditatem, inæqualitatem, lividitatem, calorem, vasorumque nigricantium protuberantiam. Propositam chirurgiam patiens recusavit, cancrumque medicamentis externis attingere prohibuit Amatus Lusitanus. Nihilominus tamen,*

quoniam

quoniam quosdam novi, qui selectorum remediorum usu, à cancris occultis fuerunt liberati, patienti exhibui potionem melanagogam:

℞. Confect. Hamech. ℥vj.
Extract. hell. nigr. ℈j.
Crem. Tartar. ℈ß.
Decoct. fl. & fr. q. s. M.

& doloribus in dorso ingruentibus ℥vj. sanguinis, è vena saphena sinistri pedis, eduxi. Hoc facto, corpus ab humoribus atrabilariis quasi tinctum, decocto Magistrali Tabul. Ultima sub. litt Æ. proposito expurgavi, deinde post exquisitam corporis expurgationem mamillæ applicui ceratum Ioannis Prevotij:

℞. Farin. mil. ℥ij.
Ol. rosf. compl. in mortar. plumb. duct. ℥j.
Plumb. crud. pulv. ℥ß.
Pulv. virg. aureæ
Sonch.
Solan. ana ℥ij.
Ceræ nov. ℥xxij.
Resin. Pin. ℥x.
M. F. Ceratum.

quod, trimestri spatio, tumorem insensibiliter resolvit. Interim, cum menses per biennium suppressi, medicamentis exhibitis promoveri non potuissent, patienti in utraque femoris parte interna, inussi fonticulum, ea intentione, ut inter curandum materia peccans ad inferiora revelleretur, quos, tumore resoluto, per annum apertos detinuit, ne humores, in corpore denuò collecti, aliam partem vel externam vel internam offenderent. Anno elapso, mulier infelix, quæ sibi ipsi sanissima videbatur, fonticulos consolidavit, & exin de novo tumore in mamma dextra conqueri cœpit, quo, per ferrum, radicitus extirpato, repetiit decocti usum, & fonticulos renovavit, quos ad vitæ terminum conservare jussi: quod utrum fecerit, nescio.

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

Dolores cancri mitigantur.

Charissima Petri Heilbronners *conjux, in dextra mamma habuit cancrum parvum & occultum, in sinistra magnum & exulceratum. Occultus, finito decocti magistralis usu, ceratum oxelæum in mortario plumbeo circumductum minuit, exulcerati verò dolores atrocissimos præstantissimum cancri anodynum mixtura scilicet ex linimento simplici cerato oxelæo & oleo myrtino ad obitū usq; mitigavit. Eadem patiens singulis annis conquesta est de molestissima intertrigine iliū, quā causavit obesitas nimia. Huic enim inter deambulandum, præsertim in æstate, sudante corpore, partes modo dictæ fuerunt collisæ, attritæ, excoriatæ, & inflammatæ. Hanc excoriationem ipsa patiens crebra per diem lotione aquæ dulcis, in qua decocta fuerat herba malvæ, & euporisti inspersione pulveris, bidui spatio curavit,*

℞. Flor. Balaust.
Rosar. rubr.
Santal. rubr. ana ℥iij.
camphor, ℈js. M. F. Pulvis.

qui etiam infantum phlogosin & excorationem, ab acriusculo lacte provenientem quàm citissimè sanat.

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

Exulceratio pectoris, ejusque dolor fonticulo in femore mitigatus.

Nauta quidam octagenarius, conquestus est de insigni angustia, vehementissimoque dolore, ac pustulis in dextro pectoris latere subortis, quibus exulceratis dolor & angustia recessit. Patiens accersivit chirurgum, ipsumque etiam atque etiam rogavit, ut ulcuscula illa sibi satis molesta consolidaret. Ulceribus cicatrice denuo obductis, rediit dolor & angustia circa pectus, ita ut æger multas septimanas insomnes habuerit. Rebus ita stantibus, in consilium vocatus interrogavi senem, an ulcera in pedibus diuturna habuerit? Adhæc respondit se, per integrum decennium, ulcus maximum in tibia dextra, sine motus impedimento, circumgestasse, & ab eo tempore, quo illud sanaretur, primo angustiam, secundo dolorem, tertio pustulas, & tandem pectoris ulcuscula percepisse. Ad humores igitur revellendos, in femore tibiæ prius exulceratæ fonticulum paravi instrumento Iulij Casserij Placentini, cui altera die successit aliqualis inflammatio, cujus ratione patientem de recuperanda salute sperare jussi. Eschara ablata, fonticuloque suum officium faciente, dolor pectoris & respirandi difficultas paulatim remisit, ita ut æger triginta dierum spatio à dictis symptomatibus liberrimus evaserit, & per multos abhinc dies senili gavisus sanitate, citra ullum obstaculum negotia sua obierit. Ex his chirurgiæ tyrones ut discant volo, quanto cum periculo ulcera diuturna, in senibus præsertim, consolidentur, & quanta cum utilitate fonticuli femoris parti domesticæ inurantur, si vel ex errore patientis aut chirurgi ejusmodi ulcera, quæ totum corpus ab impuritatibus evacuant, cicatrice obducantur.

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

Vulnus sclopeti in dorso.

ANNO 1644. die 27. January, horâ 3. post meridiem, Balthasarus Steiger / rusticus Gegglingensis, cum uxorem suam Vlma domum vehere voluisset, miles quidam, benè potus & temulentus, sclopetum ejaculavit, & unica vice non solum villanum, sed etiam ejus uxorem ita graviter læsit, ut Vlmam reduci fuerint coacti, ubi vulnera usque in sequentem diem obligavit chirurgus. Die 28. Januarij, propter insignem vulnerum dolorem, à molitore patientis, in subsidium vocatus, villanum tribus globulis læsum inveni, quorum primus circa suturam occipitis lambdoidem obliquè inhæsit. Secundus circa octavam thoracis costam fuit extractus: tertius verò, paulùm supra os sacrum, ita fuit immersus, ut nullo modo extrahi potuisset. Ob id vulnus occipitis filamentis carptis nonnihil dilatavimus; vulnus autem thoracis, cum ferè nullius esset momenti, tractavimus ut simplex. Vulnus propè os sacrum, vehementissimeq; dolens, inflammationem adeò insignem causavit, ut etiam partes obscœnas corriperet. Huic, propter sanguinis affluxum, per siphonem injecimus albumen ovi spathula agitatum, pulveremq; adstringentem Galeni, ac Lapid. Chrysolit. præp: cum aqua Plantaginis. Revulsionis gratia adhibitum fuit Enema refrigerans, & emissus sanguis è vena brachii dextri mediana. Vesperi æger sumsit non solùm aliquot cochlearia de aqua cordiali:

℞. Aq. ceras. nigr.
Pimpinell.
Ros. ana ℥j.
Cinam. ʒiij.
Spirit. Cæphal. Anh. ℈js.
Corall. rub. præp. ℈js.
Lapid. chrys. præp. ℈ß.
Manus Christ. perl. ʒiiij.
M. ad vitrum.

verùm etiam syrupum refrigerantem:

℞. Syrup. acetos. simp. ℥j.
Acetos. citr. ℥ß.
Aq. Endiv. ℥ij.
Nymph. ℥j.
Pulv. Marg. præp. ℈ß.
M. pro dosib. j.

Villani conjux quinque globulis fuit læsa, quorum unus infra sinistram aurem intravit, & sub cute repens circa os inferioris maxillæ exiit, secundus, tertius & quartus in dorso inter scapulas hæsit, quintus verò intravit circa internam humeri partem, & exiit circa flexuram cubiti. Vulnera circa os maxillæ, & inter scapulas, tractavimus ut simplicia, illud verò, quod erat in cubito, ut compositum. Itaque ob insignem totius brachij inflammationem, vulneri turundas sequenti digestivo:

℞. Resin. Tereb. lot. in aq. plantag. ℥j.
Olei lumbric. terrest. ʒjs.
Vitell. ovi parum. M.
Pro digestivo.

oblinitas imposuimus, injecto priùs per siphonem oleo violarum & lumbricorum terrestrium, desuper diapalma strictiori linteo inductum & linimento simplici obductum adhibuimus, & totum, apposito cataplasmate (quod constabat ex farina hordei & fabarum, Mica panis, oleo ros. Chamom. atq; lumb. terrest. & vino rubro.) brachium fascia obligavimus. His medicamentis usi sumus usque in septimum diem, quo decidit eschara; interim observata fuit optima victus ratio, una cum præparantibus & alterantibus medicamentis.

Die 8. ægra benè habuit, & dolor & inflammatio totius brachij cessavit: Hanc ob causam vulneribus turundas linimento:

℞. Resin. Tereb. lot. in aq. plantag. ℥j.
Pulv. myrrh.
Aloes ana ℈j.
Lapid. Chrysol. præp. ℈ß.
Mell. ros. col. ʒjs.
Bals. Peruvian. ℈js.
Syrup. de ros. sicc. q. s.
M. pro Linimento.

oblitas immisimus, & ceratum diapalmæ apposuimus, spongiamque in vino rubro expressam, fasciaq; duobus capitibus prædita nonnihil expressivè superligavimus. Vulnera simplicia jam ad cicatricem tetenderunt. Die 14. tam vulnus brachij compositum, quàm reliqua simplicia cicatricem habuerunt, & patiens feliciter restituta Gegglingam properavit.

Die 3. licet sinus ægri in occipitio major fuerit, quàm die præterito, illum tamen spongiola contorta magis dilatavimus, vulnus ob fœtorem eluentes decocto divin o. Circa os sacrum inflammatio & dolor, beneficio cat aplasmatis supra descripti, & repetito Enematis usu, remisit. Die 5 pus vulneris circa os sacrum inflicti fuit album & coctum. Vulnus in occipite satis fuit profundum, & patiens conquestus est de insigni dolore capitis circa frontem. Die 7. tumor & dolor circa os sacrum omninò evanuit, & propter hæmorrhagiam narium dolor circa frontem cessavit Die octavo vulneri circa os sacrum turundam unguento, quod paratum fuit ex pulvere sequente:

℞. Lapid. Chrysol. præp.
Hæmatit.
Aloes.
Bol. arm. præp. ana ℈js.
M. F. Pulv.

& albumine ovi subacto imbutam imposuimus, & Emplastrum albi cocti superligavimus. Die 9. dolor omnis intermisit, & patiens tota nocte quietè dormivit: turundam breviorem vulneri circa os sacrum imposuimus, & ad latera spongiam vino rubro tepido expressam fasciâ expressivè superligavimus: Vulnus occipitis adhuc sinuosum existens absque dolore serosam materiam emisit.

Die 10 *vulneratus dixit, se noctem placidè transegisse: vulnusque circa os sacrum benè habuit, pes enim album & coctum in paucissima quantitate generavit: Circa oculos æger sensit dolorem gravativum, quem post aliquot horas secuta est hæmorrhagia narium, à quâ gravitas illa iterum remisit: patiensque hunc sanguinis fluxum sibi proprium esse dixit.*

Die 11. *vulnus circa os sacrum cicatrice fuit obductum.* Die 12. *vulnus occipitis specillo obtuso exploravi, & oblique, inter cucularem & patientiæ musculum deorsum perveniens, prædixi Chirurgo & vulnerato: vulnus hoc, ob insignem contusionem, adhuc esse periculosum. Cùm iterum totâ nocte placidè dormivisset,* Die 13. *propter milites in suis ædibus hyemantes domum equitavit, sinu in in capite nondum consolidato. Interim Chirurgus singulis diebus ipsum visitavit, & sinum curavit. Post 10. dies Chirurgus à me, ut vulnerato præscriberem potionem medicam, petiit: præscripsi, à quâ aliquot sedes habuit. Sequenti die chirurgus iterum me accessit, dicens, cogi se sinum aperire, cujus operationis modum optimè norit. His ita peractis,* Die 28. Feb. *sinum aperuit, sed quo scalpello nescio.* Die 29. *ægrum invasit febris.* Die 1. Martii *patiens sumsit syrupum purgantem.*

℞. Syrup. rosf. sol. ℥js.
de mann. ʒvj.
Extract. Rhab.
diacarth. ana ℈js.
Mag. Tart. ℈j.
Aq. ceras. nig.
q. s. M.
F. Syrup. liquid.

à quo cum illum vomitu statim rejecerit, ne semel quidem fuit purgatus. Die 3. *cum æger pejus haberet, Gegglingam vocatus inveni ipsum valdè debilem, vulnus totum Erysipelate inflammatorio obsitum, sinumq́; in superficie vix ad tertiam partem à barbitonsore incisum, paulo enim inferius magnus sinus adhuc ipsum latuit, quem scalpello intactum reliquit: pericranium adeò putrefactum erat, ut facilè specillo obtuso à cranio potuisset separari. Obligato idoneis vulnere & refectis viribus, incisa fuit ejus lateris vena cephalica, ex qua sanguis fluxit serosus & semiputridus. Cùm res ita sese haberent, suasi ut patiens iterum in Civitatem lecticâ veheretur.* Die 4. *lecticâ in civitatem lati vulnus religavi, & inveni Erysipelas, quod non solùm vulnus, verùm etiam posteriorem & anteriorem capitis partem ita occupavit, ut patiens, de dolore capitis vehementius conquerens, oculos nullo modo aperire potuerit.*

Die 5. *ob insignem dolorem & calorem internum usus Enemate refrigerante;*

℞. Radic. Acetos.
Alth. ana ℥ß.
Herb. Nymph.
Violar.
Malv.
Bethon.
Flor. Cham. ana M ß.
Semin. lini ʒiij.
Citri.
Fœnicul. ana. ʒj.
Uvar. pass. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. font.
Colatur. adde
Mell. rosf. sol. ℥iiij.
Ol. violar.
Chamomill. ana ℥js.
M. pro Enemate.

Vesperi sumsit syrupum refrigerantem. Die 6. *noctem quietam habuit, & conquestus est de cardialgia, & magna virium debilitate, idcirco præscripsi:*

℞. Conf. rosf. vitriol.
violar. ana ℥j.
Conf. Alkerm. compl. ʒj.
Cortic. citr. cond. ℥ij.
Syrup. acetos. citr. q. s.
M. F. Condit.

de quo sæpius per diem pauxillum sumsit. Vulnus fudit pus semicruentum, & pericranium apparuit semiputridum: quamvis autem vulnus hoc majorem dilatationem requisiverit, ratione sinus, propter virium tamen debilitatem illud dilatare non licuit. Interea ob angustiam pectoris & vigilias usus est emulsione:

℞. Sem. melon. ℥ß.
papav. alb. ʒj.
Amygdal. dulc. ʒij.
Aq. ceras. nigr.
Nymph.
Frag. ana ℥iij.
F. Emuls. cui add.
Magist. Corall. rub. ℈js.
Sacch. perlat. ℥ß.
Misc. ad vitrum.

Die 7. *æger melius habuit, totumque caput & facies detumuit; vulnus pus coctum fudit, & labia fuerunt sordida, quapropter ipsis adhibitum fuit unguentum Ægyptiacum compos. Cum pericranium adhuc esset semiputridum, imposuimus ipsi syrupum de rosis siccis, cum spiritu vini mixtum. Ob sitim & capitis dolorem, patiens admisit Enema hesternum.*

Die 8.

Die 8. *calor febrilis nonnihil remisit, at quia æger conquestus est de dolore & incendio vulneris, circa os sacrum, cicatrice jamjam obducti, usus est Enemate & Emulsione melonum ordinariis, vulneri adhuc sordido adhibuimus unguentum Ægyptiacum compositum, & pericranio semiputrido syrupum de rosis siccis, cum spiritu vini permixtum, atque decocto nostro divino.* Die 9. *dixit, se sex horas dormivisse: Ex vulnere pus ad viriditatem tendens, in pauca quantitate, effluxit. Vesperi benè habuit, & calor totus omninò remisit.*

Die 10. *vesperi conquestus est de summo calore dorsi, & vehementi dolore capitis, dicens, se non posse dormire propter somnia, quæ ipsum territent. Quapropter usus est Enemate suo ordinario, à quo dejecit ter materiam biliosam.* Die 11. *benè habuit, & totam noctem placidè consumsit.* Die 12. 13. 14. & 15. *rectè habuit, & sinus internus parum puris cocti generavit.* Die 16. *benè habuit, sed ob bilis in corpore abundantiam, usus est syrupo sequenti:*

℞. Syrup. rof. sol. ℥ij,

Extr. Rhab. e. ℈iijs.
Diacarth. ℈j.
Magist. Tartar. ℈ß.
Aq. ceraf. nigr. q. f. M.

Die 23. *cum sinus inferior propter foramen superius nullo modo consolidari potuisset, suasi apertionem sinus, ut materia haberet exitum. Ab hac sectione, propter antecedentem frustra adhibitam, valdè abhorruit. Quapropter vesperi candelam ceream usque ad fundum sinus imposui, & per noctem reliqui: Manè extraxi candelam, & ejus loco acum (Tab. XII. Fig. VIII.) quæ ex una parte trahat funiculum (seu setonem Fig. VII. Tab. VII. exarmatum) & ex altera acuta affixum habeat globulum cereum sinus fundo apposui, & cutem ægro inscio citissimè perforavi, & funiculum in sinu, velut in setaceo reliqui.* Die 30. *purgato iterum corpore, & secta vena mediana dextri brachij, patiens rectè habuit, & a vinenque superius usque ad funiculum consolidatum fuit.* Die 6. Aprilis *optime habens, Ulmâ discessit.* Die octavo *extractus est funiculus, & 10. vulnus cicatrice obductum.*

OBSERVATIO QUINQUAGESIMA NONA.

Vulnus pectoris ex neglecta paracentesi lethale.

ANNO 1645. *Die 10. Martij, hora 8. post meridiem,* Juvenis quidam *vulnus accepit in dorso angustissimum, duobus digitis transversis infra scapulam dextram, & quatuor à spina, in cavitatē penetrans, quod Barbitonsor, aliàs non imperitus (quem primo læsionis quasi momento, accessit vulneratus) tractavit ac si vulnus simplex esset, & minimè penetraret. Hinc sanguis, è vasis intercostalibus incisis, defluxit in thoracis cavitatem, qui tantam causavit pectoris angustiam, ut parentes ægri etiam me vocari jusserint. Circa duodecimam noctis horam vulnus religavi, quod propter gladii qualitatem, situm thoracis mutatum, & apposita medicamenta constringentia, adeò angustum erat, ut neque specillo in cavitatem pervenire, neque sanguinem sistentia, aut per siphonem injicere, aut sub turunda applicare, potuerim. Quapropter adstantibus patientis de vita periculum indicavi, & paracentesin in loco Hippocratico Tabul. XXXVII. Fig. II. Z. sine mora administrandam proposui, qua materiæ, certam suffocationem minanti, pararetur exitus. Cum autem hanc absque dubio salutiferam, in hoc subjecto, chirurgiam parentes concedere noluissent, & materia, exhibitis diureticis, per vias urinarias tam subitò expurgari minimè valuisset, æger die sexta suffocatus obiit, qui forsan dilatatione in principio non neglecta conservari potuisset, citra læsionem partium internarum decumbens. Illæsi namque fuerunt pulmones, quoniam æger nunquam expuit sanguinem. Non læsus œsophagus, quia sine ulla difficultate cibum & potum deglutivit. Non offensum cor: non vena cava aut arteria magna: quoniam æger tam diu post acceptum vulnus non supervixisset, sed citius obiisset. Integra cordis capsula, quoniam cor humido suo privatum citissimè deficit. Non offensum diphragma, ob absentiam eorum symptomatum, quæ omnes chirurgiæ Scriptores ejusmodi vulnus comitari tradunt: sed æger conquestus est de sola pectoris angustia, quam induxit copiosi collectio sanguinis. Hic admonitos volo chirurgiæ tyrones, ut ad vulnus pectoris curandum vocati, diligentissimè specillo inquirant (ægro prius, si fieri potest, ea figura in qua læsus fuit collocato) an illud thoracis cavum penetret, nec ne?* Si penetrat, *periculum pronuncient,* & si angustum, *consensu patientis & adstantium obtento, dilatent scalpello Tab XXXVII. Fig. V. E. ut materia in thorace collecta, vel sponte effluere, vel imposito canali Tab. XXXVII. Figur. IV. A. educi possit.* Si verò latum, *turundâ, ob rationes modo dictas, immissâ apertum conservent. Cum autem materia collecta neque per vulnus, propter altiorem affectus situm, sponte expurgari, neque ob sui crassitiem per applicitum canalem extrahi, neque, ratione copiæ, per vias urinarias expelli possit, statim (dum scilicet vires ægri adhuc constant) perforationem thoracis adhuc reliquam* cautè *proponant, sive concedatur, sive recusetur,* ne ipsis vel patientum, si ob affectus vehementiam moriantur, consanguinei, vel ii ipsi qui vulnus inflixerunt, negligentiæ, aut occisionis crimen inferendi causam habeant.

OBSERVATIO SEXAGESIMA.

Extirpatio Penis.

ANNO 1635, Mense Iulio, civi cuidam Ulmano penem sphacelo corruptum, in confinio vivi, scalpello Tabul. XII. Fig. VI. abscidi, venas & arterias, ad mox sistendum sanguinem, ferramentis ignitis tetigi, iisque putredinis reliquum absumsi, donec patiens vim ignis perciperet. Operatione finita, & Syringa Tab. XII. F. XVI. meatui urinario imposita, loco adusto adhibui unguentū Ægyptiacū Mesue, cum filamentis carptis, ad removēdam escharam, quā ablatā ulcus ceratum divinum brevi consolidavit, & æger salvus evasit. Novi feniculum, cui ordinarius Nosocomij Patavini Chirurgus, penem, lue Venerea corruptum, pariter amputavit, ulcusq., convenientibus medicamentis applicatis, cicatrice obduxit.

OBSERVATIO SEXAGESIMA PRIMA.

Cancri ex obstructione Vesiculæ felleæ, & ductus bilarii incurabiles.

ANNO 1622. aperui cadaver Nobilis cujusdam Galli, qui atrocissimis intestini coli doloribus consumptus obiit, & inveni intestinum colon cancro occulto affectum, cujus causa, meo judicio fuit obstructio pori bilarÿ. Hic enim ea parte, quā duodeno inseritur, lapillo, pisum magnum adæquante, adeò obstructus fuit, ut ne tantillum bilis per eum expurgari potuerit: hanc tamen bilis copiam natura non ad universum corporis habitum, ut plerunque solet, sed ad colon deposuit. Anno 1624. Die 24. Ian. in cadavere Dn. Catharinæ N. Venetæ, quam cancer uteri exulceratus è medio sustulit, reperi vesiculam felleam calculo instar crystalli pellucido, repletam & distentam, ut nihil quicquam bilis recipere apta fuerit. Nihilominus tamen natura bilem quotidiè genitam, non ad corporis circumferentiam expulit, sed ad uterum. Ex duabus hisce historiis etiam duo notanda videntur, 1. quod ad obstructum porum bilarium, & cysticum, non semper sequatur icteritia, sed bilis aliquando expellatur vel ad intestina, vel uterum, vel aliam partem nobilem; 2. lectio, quam habuit Excellentiss. Spigelius super hac. Si Venetæ & Gallo exortus fuisset cancer in mammis, aut artubus, ulcus, post radicalē ferro resectionem, vix cicatrice potuisset obduci: vel eo curato, materia illa maligna invasisset partes principales, ægrisque, post tres vel quatuor annos, mortem intulisset. Ratio est in promptu, quia non potuit tolli causa, quæ fuit obstructio vesiculæ felleæ pertinax. *Lienis observavi obstructionem in quadam muliere incurabilem, qua dum viveret, per aliquot annos passa est ulcus in pede dolorificum, quod, quotiescunque sanabatur, toties febrem quartanam induxit, donec humor, cujus collectio prohiberi non potuit, per inustum femori fonticulum quotidiè evacuaretur, atque hac ratione, febris quartana, ut & ulceris in pede valdè dolentis exortus prohiberetur.*

OBSERVATIO SEXAGESIMA SECUNDA.

Ossis scapulæ sinistræ corruptio.

ANNO 1632. Mense Martio curavi scapulam sinistram valdè corruptam, filij Prætoris Burlensingensis, injiciendo quotidiè, per duo sinus foramina, turundis unguento de Bethonica illitis conservata, decoctum:

℞. Radic. Irid. Florent.
Aristoloch. rotund.
Consol. major. ana ℥j.
Herb. Veronic.
Pilosell.
Pimpinell.
Verben.
Vinc. perv.
Fragar. ana Mj.
Semin. plantag.
cichor. ana ℥ß.
Aq. Font. ℔vj.
Vin. alb. ℔ij.
coq. ad consi. tert. partis. colat.
adde Mell. rosi. col. ℥iiij.
M. pro injectione.

donec scapula tam magnam ossis squamam separaret, quam mihi ob foraminum angustiam extrahere non licuit. Quapropter foraminum interstitium scalpello Tabul. XIV. Fig. II. vel III. intercidi, squamaque separata per volsellam exemptā, sinus parietes apposita spongia nova, in vino rubro expressa, atque cataphracta Tab. ult. Litt. S. *arctè adhibita, ossi scapulæ agglutinavi.*

OBSERVATIO SEXAGESIMA TERTIA.

Lapis citra meatus urinarii incisionem, vel specilli admotionem exemptus.

A *NNO 1639. Mense Februario*, Juvenis quidam Leipheimensis *receptus fuit in Nosocomium Vlmense, laborans urinæ incōtinentia ex laceratione cervicis vesicæ, à calculo uncias sex pēdente, quem insignis Augustanorū Lithotomus Angelus Marian forcipe extraxit: Quoniā verò affectus erat incurabilis, medicamētis, quæ urinæ acrimoniam mulcerent, & intertriginem partium prohiberent, instructus Vlmā discessit. Mense, ejusdem Anni, Majo, is ipse laboravit Ischuria ex calculo meatum urinarium obstruente, meumque consilium & quidem literis mandatum percipiens, manè & vesperi, sumsit dosin sequentis Julapi:*

℞. Syrup. de Alth. Fernel. ℥iiij.
Aqua Malv. ℥viij. M. pro duabus dosibus.

& sæpius insedit balneo ductum relaxante, donec calculus rotundus, instar silicis durus, & tres ferè drachmas ponderans, ad colis orificium, ab urinâ, protrusus, volsellæ dentibus arripi, atque sic citra uretræ incisionem (quam Sennert. Instit. l. 5. part. 1. sect. 2. c. 13. ex Fabrit. Hildan. Tractatu de lithotomia vesicæ c. 27. proponit) aut specilli Tab. XIV. Fig. VIII. operam, eximi potuerit.

OBSERVATIO SEXAGESIMA QUARTA.

Nervi punctim vulnerati.

I *N nervis punctim & cæsim vulneratis, post universi corporis procurationem, Medicorum quidam prius incidunt cutim ad angulos rectos, ut sanies liberè exeat, & medicamenta topica ad puncturam usque nervi penetrent; Alij, factâ cutis in angulos incisione, etiam nervum transversim dissecant bono successu, antequam remedia externè adhibent, ut humorum affluxus inhibeatur, qui dolorem auget, inflammationem efficit, ac convulsionis causa sit. Quia tamen hanc cutis incisionem, vel etiam nervi punctim læsi dissectionem, ægrotantes rarò vel nunquam concedunt, in Barbitonsorum gratiam* (qui non rarò, dum venas phlebotomo incidunt, nervos vicinos, vel venis subjectos imprudenter lædunt,) *topicum sæpius expertum apponam.*

℞. Euphorb. optim. ℈j.
Resin. Tereb. ℥ß.
Cer. par. M. F. Ung.

extendatur super linteum, & calidè applicetur. Hoc solo, statim adhibito, plures ejusmodi puncturas tutissimè curavi, ut testabitur Clariss. & Chariss. meus Affinis & Collega Dn. D. Johann. Sebastianus Blosius, & Chirurgus Nicolaus Reutte.

OBSERVATIO SEXAGESIMA QUINTA.

Gumma Gallicum chirurgia curatum.

M Artinus Fischer *conquestus est de Gallico sinistri pedis gummate, quod neque curæ sudoriferæ, neque cerato*, (Tab. XLIII. sub Lit. R. commendato,) *cedere voluit. Quapropter tibiæ cariem caustico detexi, ipsamque scalpris, ad vivum usque derasi. Operatione finita, ossi adposui pulverem exiccantem, & filamenta arida, donec carne obduceretur. Vlcus tandem incarnantibus & epuloticis tractavi notissimis. Hac chirurgiâ, hisque remediis æger felicissimè restitutus, perplures annos optimè valuit, & postmodum violenta morte vitam finiit. Nonnunquam tanta luis est virulentia, ut ossa tibiæ ad medullam usque corrodat, hincque scalprorum usus sufficiens non sit, sed præter hæc etiam requirantur vel modioli, vel ferramenta ignita, ad eradicandum vel consumendum cariei reliquum, quod Euphorbij prius pulvere insperso separari nequivit. Hujusmodi virulentiam observavi Patavij in vetula quadam octogenaria, è cujus sinistra tibia sæpè ossa ad indicis digiti magnitudinem accedentia Fabritius extraxit.*

OBSERVATIO SEXAGESIMA SEXTA.

Meliceris in humero & genu.

A *NNO 1629.* Andreas Mönchmayer / *Bigarius Vlmensis, conquestus est de molesta meliceride in dextro humero, quam, præparato & purgato prius corpore, resolvi apposito cerato diasinapios Tab. Vltima sub Lit. C. descripto. Hujus quoque cerati peculiarem contra meliceridas efficaciam, nuper experta est* Waldburga Hegelerin / *qua*

meo consilio, meliceridi in dextro genu enatæ, & ovum anserinum sua magnitudine adæquanti applicuit idem eratum, quod mensis spatio tumorem; & quicquid primis diebus, ob neglecta Universalia, fuit attractum, integrè discussit.

OBSERVATIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

Sterilitas ex male reposita hernia.

Anabaptistæ in Moravia herniam intestinalem curantes, post reductionem intestini prolapsi foramen peritonæi testiculo obturant. Hunc autem curandi modum peritiores chirurgi minimè laudant, tum quia testiculus, si eo majus fuerit foramen, facilè excluditur, ut æger antiquum obtineat; vel quia testiculus, si major fuerit foramine, coarctatus dolore afficitur, à quo vel inflammatio, vel sterilitas, vel ipsa mors. Probè igitur observent chirurgiæ tyrones, ut in repositione intestini testiculum in Scroto relinquant, ne in foramen adactus doleat, & coitum prohibeat. Novi enim quosdam, qui ex hac unica causa sterile & rixosum habuerunt conjugium, *ut & pistoris filium, qui quale habiturus sit conjugium, tempus edocebit.*

OBSERVATIO SEXAGESIMA OCTAVA.

Erysipelata.

Usu linimenti simplicis, nondum rancidi, & frequenter immutati (cujus descriptio videatur supra Observatione 52.) *innumera extremorū erysipelata felicissimè curavi, non neglectis tamen universalibus & refrigerantibus internis. In hujus linimenti defectu nihil præstantius sum expertus, quam oleum amygd. dulcium recens, & ex aqua solatrii in phiola vitrea novies lotum, quo frigidè inungitur pars affecta, donec illius calor vehemens minuatur. Alij commendant Balsamū Saturni oleo lini paratū, & sæpius pluma illitum.*

OBSERVATIO SEXAGESIMA NONA.

Vulnus sclopeti cum gangræna.

Anno 1634. Johann. Philippus Schmid / *Præfectus Vigilum Vlmensis, in conflictu propè Nordlingam sauciatus fuit glande sclopetaria humerum perforante, Vlmamque veniens incidit in manus chirurgi parum exercitati, qui vulneris orificia, non turundis, sed trajecto setone, citra totius procurationem, aperta detinuit, eoque tantos dolores excitavit, ut inflammationi succederet gangræna, cui, fortuna superveniens, statim remoto prius setone, applicui* cataplasma ex farina malvarum & aqua rosacea confectum, *& alvaper clysterem lenitivum recluso, è sinistro brachio, revulsionis gratia, eduxi ℥vij. sanguinis, qui biliosus valdè, & serosus fuit. Quapropter, altera die, gangræna remittente, æger sumsit potionem hydrocholagogam, à qua decies dejecit:*

℞. Syrup. ros. sol. ℥ij.
Extract. Rhab. ʒj.
Cnicoph. ℈ij.
Mag. Tart. ℈ß.
Aq. Borrag. q. s. M. F. Potio.

Die tertio *gangræna omninò evanuit: Reliquis diebus carnes circa vulnus putrefactas unguento Ægyptiaco Hildani separavi, vulnusque tandem per secundam intentionem, mensis spatio, feliciter curavi. Miras hujus cataplasmatis vires, restitutus adhuc superstes, satis laudare non potest, eique brachij conservationem unicè adscribit.*

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA.

Herpes miliaris & exedens.

Arida herpetis tàm exedentis, quàm miliaris ulcuscula, post totius corporis (per medicamēta cholagoga & refrigerantia repetitis vicibus assumpta) procurationē, & lotionem partis affectæ decocto, ex aqua dulci, malvarū, in plurimis, brevi temporis spatio, sanavi præstantissimo Nicotianæ cerato, cujus descriptionem, ex Hier. Fabrit. ab Aquapend. pentateucho chirurgico, Tabulæ ultimæ sub Littera C. inserui. Quòdsi ulcuscula nimis in altum serpsere, ceratum modò allegatum redigatur in formam Vnguenti:

℞. Cerati Citrin. ℥j.
Olei myrrh. q. s.
M. F. Unguentum.

quod filamentis aridis inductum admoveatur, & apposito cerato de cerussa conservetur, ne decidat.

OB-

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA PRIMA.

Erysipelas exulceratum.

ANNO 1645. Die 24. Augusti, Generosus Dn. Nicol. Joh. Chunrad. Dieterich / vulgò Sperreiter dictus, conquestus est de erysipelate utriusque cruris exulcerato, summo pruritu, & acris materiæ per poros cutis effluxu. Cum autem affectus iste, ab effervescentia sanguinis, & abundantia bilis in toto dependeret, præmisso clystere laxativo & refrigerante:

℞. Specier. decoct. carm. ℥j.
Herb. violar. Mj.
coq. in s. q. aq. simpl.
Colatur. ℥ix. adde
Mell. ros. sol. ℥ijs.
Flor. cass. rec. extr. ℥j.
Ol. violat. ℥ij. Misc.

per venam jecorariam ℥vj. sanguinis educi curavi, & ad temperandum calorem vesperi exhibui julepum.

℞. Brod. de rad. cich. condit. ℥viiij.
Aq. cichor. q. s. M. pro duab. dosib.

Potus fuit aqua hordei Tinctura ros. permixta, & cibus refrigerans. Cruribus affectis chirurgus militaris sæpius per noctem applicuit linteum triplex in decocto sequenti calidè expressum, ad mitigandum pruritum, & impediendum acris materiæ affluxum:

℞. Herb. Malv. Mj.
Veronic. Mß.
Alum. crud. pulv. ʒj.
coq. in s. q. aq. fluvial.
colatur. serv. in olla.

Die 25. pruritus & acris per poros effluxus cessavit. Quapropter tibiis exulceratis apposui Emplastrum de Saturno Mynsichti Linimento simplici permixtum, & linteo ro inductum. Æger verò ad expurgandos humores serosos & biliosos hausit potionem sequentem:

℞. Syrup. ros. sol. ℥iij.
Extract. Rhab.
Diacarth. ana ℈ij.
Aq. Endiv. q. s.
M. F. Haustus.

à qua decies dejecit. Die 26. ob nimias animi commotiones crura invasit inflammatio vehemens, quæ certissimam gangrænam minata est. Ad eam igitur præcavendam, expertissimum meum cataplasma (de quo obserν. 69.) calidè adhibui, & quoties exiccabatur, aliud applicari jussi. Die 27. inflammatio remisit, & Die 28. cessavit: Quaprop. ulceribus iterum adhibui mixturam:

℞. Empl. de Saturno Mynsf.
Linim. simpl. ana part. æq.
M.

donec 9. Septembr. consolidarentur, & æger de nullo amplius vel dolore, vel calore conquereretur.

Die 12. ad præcavendam recidivam, præscripsi vinum medicatum, à cujus usu felici, brachio dextro fonticulum inussi; & dentifricium Electuarium ordinavi, ad dentium radices obfirmandas, eorumque sordes detergendas:

℞. Pulv. Porzellan. ℥iiij.
Lign. aloes.
Santal. citrin. ana ℥j.
Mosch. ℈ß.
Rad. Ireos ℥ijs.
Alum. crud. ʒij.
Mellis ros. optim. desp. ℔ij.
M. ad ignem in form. Electuar.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

Tumores œdematosi.

NObilissimâ calcis aquâ, per aliquot dies usurpatâ, multos tumores œdematosos jam consistentes discussi. Sumitur autem frustulum calcis vivæ, ad quantitatem nucis juglandis, & in aquam ferventem immittitur, donec dissolvatur, quo facto calx cum aqua agitatur, & postea sponte residere sinitur. Hinc clarior aqua, per inclinationẽ, in aliud vas transfunditur, in qua spongia nova, & quæ nitrosa qualitatis adhuc particeps exprimitur, calideque parti affectæ superligatur. Notandum verò, quod pars oleo amygdal. dulcium; vel axungia porcina veteri, debeat inungi: facilè enim fieri potest, ut portio quædam calcis, quæ est acerrima & corrosiva, in aquam transfusam abierit; quâ cum spongia applicita, erodere, partemque mordicare posset. Idem encomium meretur spongia in oxycrato madefacta, si œdema morbus vel in principio vel in augmento fuerit.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

Vomitus sanguinis lethalis.

VIR 40. annorum temperamenti calidi & sicci conquestus est, quod ante quatuor menses febricitans magnum habuerit sanguinis vomitum; qui adhibitis in extremis frictionibus, & assumtis medicamentis, quæ respiciebant hepatis calorem, cessavit. Nunc iterum, circa duodecimam noctis horam, evomuit prius sanguinem, deinde

deinde canam. Huic exhibui pulverem in aqua plantaginis sequentem:

℞. Pulv. Radic. Pimpinell.
Consolid. major. ana ℈ij.
Misc. pro dosi.

Sequente die patienti cum iterum evomuisset ℔. x. *sanguinis, applicari jussi, artubus & vertici cucurbitulas sine scarificatione siccas, & clysterem domesticum infundi.*

℞. Decoct. Mercurial. ℥x.
Mell. crud. ℥ij.
Elect. Lenitivi ℥j. M. F. Enema.

Tertio die conquestus est de oris amarore, & postea evomuit bilem in magna copia, & interrogatus, an nunquam ulcera in pedibus habuerit, respondit se in utraq; tibia exulcerationes perpessum, quæ medicamentis potius externis, quam internis curatæ fuerint. Post ulcerum consolidationem utrumque pedem infestavit Erysipelas, quod assumpto ligni decocto evanuit. Causa vomitus sanguinei procul omni dubio fuit ulcerum consolidatio, quare ad revellendos humores utroque femori quatuor digitis supra genu inussi fonticulum cauterio Placentini. In his enim meo judicio consistebat conservatio vitæ patientis, alioquin brevi periturι. His tamen fonticulis nulla supervenit febris, ut solet, nullaque inflammatio aut leve erysipelas, quæ significare potuissent materiam à centro ad circumferentiam & extrema revelli. Si horum morborum fonticulum nullus comitatur, signũ est certissimum, materiam in corpore esse fixam, & ægrum interiturum. Quinto die iterum evomuit sanguinem copiosum. Sexto convulsus obyt.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA QUARTA.

Hernia carnosa.

ANNO 1634. Mense Augusto, Generosus quidam Nobilis *conquestus est de magna sinistri testiculi sarcocele, quam (præmissis universalibus & bona victus ratione) sequenti emplastro, & pulvere radicum ononidis, quem Petrus Mathiolus comm. in Dioscorid. l. 3. c. 18. nobis commendat, insensibiliter resolvi.*

℞. Gummi. Ammoniac.
Galban.
Bdell. ana ℥ß.
dissolutis in aceto adde
Adip. Anat. liquat. & col. ℥js.
Ceræ citrin. ℥ij.
Ol. lilior. albor.
Medull. Crur. bovis ana ʒx.
M. in form. Empl.

quod linteo inductum scroto applicetur & quarto quoq; die renovetur.

Ononidis pulverisata sumsit singulo mane ʒj. *in haustu vini absynthites. Parti domesticæ dextri femoris, quatuor digitis supra genu, sibi inuri passus est fonticulum ad derivandos humores, dictorumq; præsidiorũ usum continuavit, ita ut quatuor mensium spatio pristinam sanitatem consecutus fuerit: Anno 1641. in Xenodochium Ulmense receptus fuit* Georgius Klarer */ Reichenbachensis, qui iisdem remediis in simili casu felicissimè curatus fuit. Præter hos & plures alÿ beneficio solius hujus pulveris, sensim & sensim convaluerunt, quorum tamen nomina, cum reliquis, qui in obscænis partibus laborarunt, quod eorum plurimi adhuc in vivis sint, lubens meritoque silentio involvo.*

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA QUINTA.

Fistula mammæ dextræ.

Villana quædam puerpera, ex concretione lactis in mamma dextra, passa est inflammationem, quæ nimis resolventibus indurata, adhibitis inconvenientibus remediis degeneravit primo in abscessum, & tandem in fistulam, cum callo, angusti orificy, profundam. Quapropter chirurgo patientis ordinario consului, ut, purgato per panchymagogon aliquod corpore, fistulæ orificium turundis, ex gentiana paratis, sufficienter dilataret, postea callum semel imposita turunda linea, & medicamento sequenti imbuta, consumeret:

℞. Mercur. præcip.
Alumin. ust.
Virid. æris.
Sal. Nitr. ana p. æqu.
Album. ovor. q. s.
M. F. Unguentum.

quod fistularum callos cito quidem, sed in partibus præcipuè nervosis, & exquisito sensu præditis non adeò jucundè & tutò extirpat.) *eoque consumpto ulcus Unguento Ægypt. Mes. mundificaret, mundificatum unguento de Bethonica incarnaret, incarnatum cerato divino consolidaret, tumorisque duri reliquias cerato oxelæo resolveret. Chirurgus dato consilio obtemperavit, & patiens exinde sanitatem exoptatissimam brevi recuperavit.*

OB-

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA SEXTA.

Recidiva hæmorrhoidum ex scammoniatis.

Lanius Ulmensis, adhuc superstes, à diuturnis hæmorrhoidibus cannula & stylo Tab. XVI. Fig. III. & IV. tandem liberatus, toties recidivam passus est, quoties medicamentum purgans, quod ingrederentur vel folia sena, vel scammonium, ore assumsit. Quapropter ego, ut & Clariss. alij Medici, ægrotanti interdiximus usum sennatorum & scammoniatorum, qui inde, acerbo ab hæmorrhoidum dolore per multos annos immunis, saluberrime vixit.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

Anus non satis perforatus.

Anno 1640. Jacobo Neubronner / *Civi & Pannitonsori Ulmano natus est filius cum ano non satis perforato, sed adeò angusto, ut vix aciculæ communis cuspidem admitteret. Vocatus proposui chirurgiam Tabul. XLI. Fig. VI. depictam, quam parentes noluerunt concedere. Quapropter necessariam ani strictissimi dilatationem tentavi penicillis ex radicibus gentianæ paratis, quos oleo prius imbutos ani orificio imposui, ibique reliqui, donec tumefacti anum sufficienter dilatarent. Modus cum radicibus procedendi videatur supra observation. 40 & ratio deligandi ne turundæ decidant, Tab. XLI. Fig. VII.* Novi obstetricem Patavinam, quæ anum totaliter occlusum acicula communi perforare, factumque foramen impositis ex gentiana turundis ampliare solita est.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA OCTAVA.

Fœtus mortui eductio.

Cum fœtus mortuus, remediis internè prius assumtis, quorum Tab. XLI. Fig. V. facta est mentio, expelli nequit, commendatur suffumigium ex uvis putridis vulva aliquoties in die susceptum, cujus efficaciam admiratus sum Ulmæ in honestissima quadam matrona adhuc superstite, quæ tum temporis libentius mori, quàm tutissimam aut manus Chirurgi, aut unci, aliorumve instrumentorum operam, mihi sæpius visam (quam tamen ipse in vivis, ut fatear id quod res est, nunquam adhibui) concedere voluisset. Fœtum tamen mortuum, ex cujus retentione parturientes occubuere, è tribus cadaveribus uncis Tab XVII. Fig. IV. depictis, citra tantillam uteri & vaginæ lacerationem, integrè detraxi, in iisque observavi, quod vera sit illorum sententia, qui ossa pubis in difficili partu à se invicem diduci scribunt.

OBSERVATIO SEPTUAGESIMA NONA.

Gonorrhea virulenta.

Nobilis quidam Germanus, viginti annorum, temperamenti calidi & sicci, post tertium ab impuro concubitu diem, conqueri cœpit de gonorrhœa virulenta, pro cujus curatione corpus bolo, repetitis vicibus assumpto expurgavi:

℞. Terebinth. Venet. aq. malv. lot. ℈iiij.
Flor. cass. rec. extr. ℥vj.
Mercur. dulcif. gr. xiv.
M. c. facch. & f. bolus.

Deinde, pro potu ordinario, præscripsi decoctum aliquod appropriatum:

℞. Hord. integr. p. j.
Semin. melon. par. contus. ℥j.
Fol. Equiset M. ß.
Aq. fontan. ℔viij.
Bulliant ad consumptionem medietatis & in fine add. liquir. minut. incis. ℥j.

Pro lumborumque, ad vesperam, fervore mitigando, refrigerans seq. ordinavi:

℞. Cerat. Santal.
Ung. ros.
Comitiss. ana ℥vj.
Ol. nymph.
violar. ana ℥ß.
Camph. pulv. ℈ß. M. Pro Ung.

Et singulo mane tribus horis ante prandium, exhibui mixturam, quam Ioann. Petrus Faber commendat, ex succi limonum ℥j. & spiritus camphoræ ℈j. Quibus remediis æger sexto curationis die citra injectiones (quos alii miro successu ex plantaginis succo, melle rosato, mercurio dulcificato, aloeque succotrina conficiunt) *felicissimè restitutus fuit. Aqua ad Gonorrhœam Quercetani, præmissa per Mercurialia expurgatione, per aliquot dies exhibita quamplurimos curavi.*

OBSERVATIO OCTOGESIMA.

Erosio ventriculi curata.

ANNO 1622. aperui cadaver Monachi Patavini, qui doloribus colicis obiisse ferebatur, & in causam mortis investigans, reperi non modò ventriculi fundum phlegmone correptum, verùm etiam ad mediam usque tunicam corrosum. In tali curanda ventriculi inflammatione & erosione, dixit Excell. Spigelius, quod nihil præstantius fuisset terrâ sigillatâ ore sæpius assumptâ, ut quæ, ob visciditatem suam, ventriculi tunicis erosis tenaciter adhæreat (non aliter, quam ceratum diachalciteos inflammato pedi applicitum) erosiones exiccet. Hujus efficaci dignitatem postea summa cum admiratione, bis expertus sum in enormibus ventriculi doloribus, qui neque assumptis, neque adhibitis ullis remediis, mitigari potuerunt, nisi terra sigillata, syrupo consolidæ majoris attemperata.

OBSERVATIO OCTOGESIMA PRIMA.

Tibia corrupta.

ANNO 1634. die 8. Iunij, Dn. Augustinus Mertz, mercator Ulmensis, conqueritur de insigni exulceratione, doloreque magno dextræ tibiæ, ac totius corporis atrophia. Inspecto ulcere non solùm os tibiæ à superficie ad medullam usque corruptum, verùm etiam inferius fibulæ caput læsum invenimus, & communicatis consiliis clarissimor. & Excellentissimor virorum, Domini D. Gregory Horstij, ac Domini D. Iohann. Reguli Villingeri statuimus, totum os tibiæ removendum esse. Cum autem corpus ratione atrophiæ esset exangue, de inducenda ultimo cicatrice dubitavimus. Quamvis, ad petitionem Domini ægroti, abrasione & ustione, ad removendam cariem, periculum fecerimus, ob defectum tamen alimenti, quod ossa ex sanguine & medulla habent, omnia frustrà tentavimus: os enim derasum vel ustum, ob alimenti defectum nec carne tegi, neque squammas separare potest. Ob id unanimi consensu pro rato habuimus, ut totum tibiæ os corruptum, frustra hactenus abrasum & inustum excideretur. Præparato igitur corpore die 6. Iulij, secui cutim (crure prius secundum rectitudinem collocato, & ab adstantibus utrinque detento.) scalpello Tab. II. Fig. II. ferè usq. ad inferiorem appendicē tibiæ Tab. XXVII. Fig. I & ostendi Dominis meis collegis & adstantibus tibiam valdè corruptam, & dimidium caput fibulæ putrefactum. Huic tibiæ supercrevit cartilago quædam, ut os sub illa tanquam gladius in vagina (Tab. XXVII. Fig. I. Lit. A.) trahi posset; ob id vulnus filamentis concerptis, pulvere adstringente Galeni, & albumine ovi agitato obligavi. Die 7. Julij, subsistente sanguine vulnus religavi, & tibiam corruptam in sua vagina cartilaginea (quam modiolis Tab. II. Fig. III. & IV. bis vel ter ad corruptum usque os tibiæ Tab. XXVII. Fig. I. Lit. B. perforavi, & postea foraminum interstitia forcipe Tab. IV. Fig. II. & Tabul XX. Fig. I excidi) monstravi. Hoc facto tibiam corruptam (Tab. XXVII. Fig. II.) extraxi, & caput fibulæ magis corrosum (Tab. XXVII. Fig. III.) vidi, & modiolo quoq. excidi, atq. hac ratione tibiam, à genu ferè usque ad inferius caput, abstuli. Hoc peracto, utrique tibiæ capiti pulverem (ex rad. Aristoloch. long. Irid. Flor. & Lapid. chrysoliti præp.) inspersi, deinde filamenta decerpta, ceratum diapalmæ, spleniumq. ex vino rubro, oleoque rosarum expressum adhibui, crus fasciis decussitis (Tab. XXVII. Fig. I.) in crucem (Tab. XXIIX. Fig. X.) obligavi & in suum canalem (Tab. XXVI. Fig. III.) deposui. Die tertio post sectionem dolor aliquantulum remisit, & patiens ob constipationem alvi usus est seq. Enemate refrigerante & humectante:

℞. Decoct. Acetos.
Mercurial.
Parietar.
Borrag. & Sonch. ℥viiij.
Mell. rosf. sol. ℥iijs.
Ol. viol. ℥ij. M. F. Clyst.

Victus fuit tenuis & refrigerans, ex ptisana hordeacea, panatella, prunis, aqua hordei, & vino granatorum. Die 4. ob putredinem carnis ab osse relictam, vulnus decocto divino lavi, eoq. eloto filamenta carpta digestivo:

℞. Resin. Terebinth. loc. in aq. plantag. & scordij. ʒß.
Pulv. rad. trid. Flor.
Arist. long.
Scord. ana ʒj.
Thuris.
Aloes. ana ℈j.
Syrup. de rosf. sicc. q. s.
M. inform. digestiv.

oblinita apposui, desuper ceratum diapalmæ, & fascias decussatim adducendas.

Die quinto præscripsimus sacculum purgantem:

℞. Lign. Lentiscin.
Rad. Acetos. ana ʒiij.
Sarsapar. ʒvj.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥js.
Rad. mech. nigr. ʒß.
Turbith.
Hermod. ana ʒij.
Semin. carthami. contus. ʒvj.
Anis.
Fænicul. ana ℈j.
Crem. Tart. ʒß.
Gingib.
Galang. ana ʒß.
Incis. & cont. ad sacculum infundantur in mensura j. aquæ hordei, & fiat Claretum.

De hac infusione sumsit æger alternis diebus tribus horis ante prandium, ℥iiij. Die 6. ab haustu clareti melius habuit patiens, & pede religato pus ad libedinem tetendit, fatorq. ossis omninò remisit: quare vulnus, seu potius ulcus, quotidie modo dictis medicamentis obligavi, usq. ad diē 12.

Expur-

Expurgato ab humoribus vitiosis corpore, die 13. præscripsi sequens decoctum:

℞. Rad. Sarsæp. ℥js.
chin. ℥j.
Lign. sant. rubr. ʒß.
Cortic. Lign. Sanct. ℥j.
inf. s. a. in s. q. aq. font. & coq. ad consumtionem tertiæ partis, in fine decoctionis adde
Uvar. passar. ℥j. col.

De hoc decocto mane & vesperi, quatuor horis ante cibum, ℥iiij. sumsit. In prandio & cœna bibit secundum decoctum. Vulnus bene habuit, & in cavitatem tibiæ & capitis fibulæ candelam ceream magnitudine unius digiti transmisimus: caro cœpit in extremitatibus tibiæ tam inferius quam superius crescere rubra, & vulnus pus laudabile effundere. Die 15. 16. & 17. *patiens pulchrè habuit, & circa extremitatem cavitatis superiorem frustulum ossis nigrum & adhuc semiputridum volsella extraxi.* Die 20. *alvus citata est Enemate, vulnus fudit pus coctum: extremitatibus tibiæ, ad majorem exiccationem, pulverem ex rad. Arist. long. Irid. Florent. Scordio, Thur. & sach. albiss. ana partib. æqualib. adhibui. Capiti fibulæ increvit caro rubra, & labiis ulceris, ad majorem exiccationem, impositum fuit ceratum divinum. A decoctionis usu supra præscripta patiens quidem bene habuit, & illa atrophia totius corporis nonnihil remisit, nihilominus tamen alternis diebus, a die 24. usque ad 30. usus est clareto laxativo, & decocto chinæ præscripto.*

Die 31. *ab inferiore tibiæ capite, nonnulla frustula ossis dentibus volsellæ extraxi, foramini fibulæ, ob excrescentiam carnis & vulneri undique filamenta carpta imposui; labiis vulneris ceratum divinum adhibui, totum crus cerato diachalciteos, fasciis decussatis, religavi, & pedem canali suo imposui. Vulnus his medicamentis tractatum fuit usque ad diem quadragesimum primum. A die 42. usque ad 50. æger optime valuit, & tarsum, metatarsum, ac digitos pedis huc & illuc movit: nam musculi pedem flectentes, ut tibiaus anticus, peroneus secundus, cumque extendentes, ut Gasterocnemius internus & externus in prima sectione illæsi manserunt: ne tamen aliquis miretur, & sine fulcimento impossibile fuisse putet, sciat, spatio hujus temporis callum genitum & fibulam tibiæ sustentaculum fuisse.* Die 60. *inquiete noctem transegit, & conquestus est de amaritudine oris, & pedis dolore, quapropter sumsit pulverem sequentem in jusculo cichorei alterato:*

℞. Pulv. Rhab. el. ℈iijs.
Cinam. ℈ß.
Crem. Tart. ℈j.
Misc.

à quo quinquies dejecit materiam biliosam. Vulnere resligato rectè patiens habuisset, nisi ossiculum quod natura separavit, cutim pupugisset: sed extracto ossiculo, plus quam bene valuit. Die 70. *natura ex foramine fibulæ exiguum ossiculum expulit, totumque foramen optima carne replevit. Capiti tam inferiori quam superiori tibiæ caro rubicunda innascitur, & à lateribus inducitur cicatrix.*

Die 80. *totum vulnus ad indicis digiti longitudinem cicatrice fuit obductum, & totus pes una cum digitis huc & illuc sine impedimento potuit moveri.* Die 81. *adhibitum fuit sequens unguentum:*

℞. Olei lumbric. terrest.
Chamomil. ana ʒß.
Unguent. nervin. & Evæ ana. ℥j. M.

Die 84. *curavimus fieri instrumentum ex lamina ferrea, quod superius spathæ, inferius stapedis formam repræsentavit. Hoc instrumento, quod gossipio & linteo fuit subductum, tibiæ applicito, patiens grallæ incumbens prima vice cœpit ambulare.* Die 94. *optime valuit, & grallâ depositâ, sinistra manu nixus sine impedimento domum exiit, vulnere ad pollicis magnitudinem adhuc aperto, & cicatrice nondum obducto, nihilominus tamen ob erysipelas, cui erat obnoxius, singulis mensibus sumsit pulverem Rhabarb. in jusculo radicum cichorei alterato:*

℞. Pulv. Rhab. el. ℥j.
Gelapp. ℈j.
Crem. Tart. ℈ß.
Misc.

Die 120. *bene valuit, sed ob defatigationem pes Erysipelas contraxit: quod sumto pulvere Rhab. præscripto, & pedi Linimento simplici adhibito, quarto post die evanuit, & patiens iterum sine baculo ambulavit, & optime habuit usque in diem 200. quo cum forum pisces emptum peteret, nescio quo incessu callum tibiæ fregit: inspecta fractura, vulnus adhuc apertum scalpello citra dolorem dilatavi, & inveni duas fissuras, inter quas particulam mediam, magnitudine unius digiti transversi (T. XXVII. Fig. V) fractam specillo huc & illuc movere potui. His rebus ita stantibus, cum nullus adesset dolor, & nulla inflammatio, modiolo fractam particulam perforavi, & interstitium instrumento (Tab. XX. Fig. I.) secui, & frustulatim extraxi: deinde utramque tibiæ partem, tam inferiorem quam superiorem, scalpro derasi, & pulv. Arist. Irid. Flor. partibus callosis imposui, vulnus cerato diachalciteos & fasciis decussatis obligavi; & pedem in suum canalem collocavi, ita ut, observata optima victus ratione, & usu pulv. Rhab. iterum callus pedi inductus, & pristinæ sanitati restitutus fuerit, ut in Annum usq. 1645. quo hæc scripsi, sine baculo ambulare potuerit.*

OBSERVATIO OCTOGESIMA SECUNDA.

Excrescentiæ carnium.

Excrescentias carnis in ulceribus digitorum manus & pedis, citò consumuntur, pulvere cum filamentis carptis apposito:

℞. Capit. Mort. Vitriol.
Spongiæ combust. ana ʒj.
M. F. Pulvis.

quibus consumptis, ulcus cerati divini auxilio cicatricem adquirit. Adolescens octodecim annorum conquestus est de magna gingivæ superioris excrescentia; quam, post totius procurationem, filo tenui paulatim adstricto excidi. Ablata carne æger per octiduum singulo mane fricavit dentes pulvere Magistrali (cujus ʒj. *addita fuit* ʒj. *aluminis crudi:)*

℞. Terræ porzell. ℥iiij.
Lign. aloes.
Santal. citrin. ana ℥j.
Mosch. ℈j.
Ireos. ℥j. M. F. P. dentifric.
& lavit os seq. decreto:
℞. Alum Roche ʒij.
Balaustior.
Rosar. rubr.
Myrtill. ana p. s.
Bugul. pj.
Bulliant. in s. q. vini rubri Stiptici ad ℔js. & colentur pro collutione oris.

OBSERVATIO OCTOGESIMA TERTIA.

Perniones exulcerati.

Innumeros à pernionibus exulceratis curatos vidi, ipsusque permultos curavi linimento sequenti, quod Iohannes Prevotius, in sua Medicina pauperum, meritò commendat:

℞. Fol. Tabac.
Cortic. med. samb. ana Mj.
Rad. asphod. alb. minut. incis. ℥j.
Ol. communis. ℔j.

Coquantur lento igne, ad consumptionem totius humiditatis, & facta forti expressione, adde:

℞. Thur. subtiliss. pulv. ℥ß.
ceræ flav. ʒvj.
M. F. Linimentum

perniones narium, aurium, manuum & pedum exulceratos citissimè sanans.

OBSERVATIO OCTOGESIMA QUARTA.

Steatmata utriusque manus.

Anno 1628. Joanni, Fratris mei Martini filio, *in externo sinistra manus metacarpo, propè indicem exortum est tuberculum cuiprimo, cum ganglij figuram referret, at sine omni fructu, arctè superligavi laminam plumbeam. Anno 1629. puer tempore Bacchanalium sudavit in Balneo publico, & vesperi domum veniens correptus est ingenti manus totius inflammatione, quæ sub calida agni pelle efficaciter alias resolvente, ad suppurationem venit, & scalpelli Tab. XII. Fig IV. operam requisivit. Abscessu debitè aperto, materiaq; purulenta & sebacea expurgata, vulnus per carnis generationem curavi. Autumno ejusdem anni, alius tumor comparuit in eadem quidem parte, sed propè carpum, qui paulatim crevit; & resolventibus tractatus, similiter degeneravit in abscessum ferro incidendum, quo inciso, prodijt materia ex sevo & pure pariter commixta, & vulnus medicamentis dein sarcoticis & epuloticis appositis brevi curatum fuit. Anno 1630. circa æquinoctium vernale, in utriusque manus metacarpo suborti sunt tumores sebacei, qui assumpto decocto sudorifero,* cujus basis erat radix sarsæparillæ, *insensibiliter, & citra topicum, fuerunt resoluti. Anno 1631. tumores exorti sunt in carpi & metacarpi utriusque lateris pluribus locis, qui in magnitudinem nucis juglandis excrescentes, inflammationem causarunt, & abscessus, qui, scalpello facta via, materiam superioribus similem profuderunt. Anno 1632. tumores illi invaserunt cubitum utrumque: quapropter demum suasi curam sudoriferam, à qua patiens ad sudandum valdè difficilis, planè abhorruit. Suppuratos igitur ferro incidi, materiaque sensibiliter educta, vulnera per duos menses aperta detinui, impositis turundis, lavando interim manus quotidiè per horam in aqua,* ex puteo villæ illius, propè Ulmam, Stribelinæ, *calefacta easque spongiis madefactis involvendo, donec reliquiis discussis membra affecta pristinum robur acquirerent. Hac aqua puer, in cujus manibus extremis viginti quatuor abscessus scalpello allegato incidi plurimaque ossicula corrupta Acantabolo exemi, ab ulteriore recidiva præservatus, omnes manuum functiones, citra ullum impedimentum, obiit, singulo trimestri pulverem phlegmagogum assumens.*

OBSERVATIO OCTOGESIMA QVINTA.

Fractura femoris cum vulnere.

ANNO 1642. Die 22. Octobris, Ulmæ saccus tritico repletus ex altissimis ædibus viri Nobilissimi Dn. Erhardi Schadæi decidit, prætereuntis Catharinæ Weckhin / Giengensis femur in medio fregit, ita ut inferior ossis pars per cutim prorumperet, & patiens ob insignem, cum femoris tum dorsi, dolorem animo delinqueret. Ægra in Xenodochium delata, viribus per medicamenta interna & externa:

℞. Aq. ceras. nigr. ℥iij.
Rosar.
Borrag. ana ℥j.
Cinam. ʒij.
Spir. Cephal. Anhalt. ʒj.
Magist. corall. ℈js.
Man. christ. perlat. ʒß.
M. ad vitrum, & sign.
Aqua corroborans.
℞. Aqua Odorif. Fuchsi ℥j.
rosf. ʒß.
Acet. rutac. ʒij. M.

Pro aqua naribus & pulsibus admovenda.) collectis, & facta femoris in diversa extensione T. XXVIII. Fig. IIX. partes fractas citra scalpri beneficium composui. Fracturâ compositâ, ossi fracto admovi pulverem ex radicibus Iridis Florentinæ & Aristolochiæ rotundæ; vulneri imposui turundâ ex stuppa cannabina confectam & unguento stegnotico (quod paravi ex pulvere adstringente Galeni, & albumine ovi subacto) imbutam, ad sistendum sanguinis fluxum. Exterius femur obligavi tribus fasciis & sufficienti spleniorum numero (vid. supra Tab. XXIX.) munitum in canalem deposui. Tabul. XXVII. Membro benè composito, propter dolorem totius pedis affecti ac dorsi, & imminentis inflammationis periculum, Chirurgus Xenodochii patienti venam medianam sinistri brachii incidit, & ℥iiij. sanguinis emisit. Die 2. & 3. conquesta est de dolore dorsi & ardore urinæ. Die 4. & 5. patiens sine querelis ad interrogata respondit, sed quia corpus fuit constipatum, Medicus Xenodochii ordinarius præscripsit aliquot bolos ex elect. Lenitiv. ʒj. qui dum formabantur, menses fluere cœperunt. Die 6. 7. 8. & 9. nihil quicquam circa fracturam sensit doloris, de levissima saltem tussicula, & maximo ad partes obscœnas pruritu, conquerens. Quapropter usa est sæpius de die mixtura ex syrupo violarum, de liquiritia, & tinctura rosarum. Dorso & partibus obscœnis prurientibus, post fomentationem ex aquâ dulci, adhibui album coctum & linimentum simplex. Die 10. religatum femur, cerato diapalmæ perforato, tribus fasciis pertusis, & sufficienti spleniorum (fasciæ prius ex vino rubro exprimebantur) ac ferularum numero iterum involvi; ut hâc ratione vulnus, citra fasciarum solutionem, urgente necessitate quotidiè inspicere potuissem. Venter infimus maximè fuit tumidus, & ab umbilico usque ad pubem valdè durus, cui per triduum applicui cataplasma ex pulvere malvæ, micâ panis, lacte & butyro non salito paratum. Die 14. tumor & durities infimi ventris decrevit & remisit. Patiens, ob abscessum in clunibus suppuratum, conquesta est de stranguria & atrocissimo dolore circa os sacrum. Die 20. rupto abscessu, & deterso ulcere stranguria & dolor prædictus evanuit: sed quia ulcus clunium quotidianam requirebat medelam, membrum fractum in sua quiete permanere minimè potuit, usque in diem 36. quo patiens benè habuit, planè de nihilo conquerens. Die 40. novus suboriebatur abscessus sub poplite, qui ad suppurationem vergens maximè doluit, ruptusque fætidissimam materiam effudit. Quâ de causâ per siphonem injeci decoctum ex radicibus Iridis Florentinæ, Aristolochia rotundæ, Herba scordii, Veronica, carduibenedicti, & melle rosato despumato, à quo dolor vehemens, & fætor gravissimus, omninò cessavit. Fracturam iterum tractavi medicamentis ossi & vulneri convenientibus; Cerato diapalmæ, fenestratis fasciis, splenüs oblongis, ac ferulis. Die 60. de tali tantoque circa vulnus dolore punctorio conquesta est, ut prælachrymarum effusione vix loqui potuerit, dixitque se spectrum, quod in Xenodochio versari falsò creditur, non solùm per plures noctes vidisse, atque hinc totum corpus cum lectica tremuisse, & dolorem originem traxisse. Sed ego existimo, ortum esse dolorem partim ex ulcere clunium, quod quotidiè debuit expurgari, & ob hanc rationem membrum fractum & compositum in quiete non permansit: partim, ob portionem ossis, quæ in hujusmodi casibus, circa hoc tempus, solet abscedere. Die 18. Januarii. Anno 1643. conquesta est de acerbissimis doloribus circa vulnus femoris. Religato femore, inspectoque vulnere, specillo obtuso inveni frustulum ossis acutum, quod carnem perpetuò pupugit, & dolores acutissimos excitavit. Ideo statim vulnus scalpello sufficienter dilatavi, & Die 19. separatam ossis partem volsellæ dentibus arripui, & apprehensam extraxi. Tab. XXIIX. Fig. IX. Die 20. totum crus minus erat, quam diebus præteritis, & dolor pungitivus omninò intermisit. Post ossis abscessum femur ascia in crucem adducta Tabul. XXIIX. Fig. X. deligavi usque ad perfectam vulneris sanationem. Mense Februario, ulcere poplitis nondum consolidato, patiens mediante instrumento ferreo claudicans ambulare cœpit. Die 18. Martii 1643. abscessit ossis portio ad magnitudinem digiti annularis. Die 30. ulcus cicatrice fuit obductum.

OBSERVATIO OCTOGESIMA SEXTA.

Spina ventosa.

Excellentissimus Spigelius Monacho cuidam Bononiensi, pollicem sinistræ manus, spina ventosa corruptum, forfice Tab. XX. Fig. I. & Tab. XXXII. Fig. VIII. abscidit, manuique mutilatæ, ad sistendum sanguinem & prohibendam inflammationem, plagulas stegnotico imbutas, & vesicam oxycrato expressam applicuit, cubitumque fasciis, ad flexuram usque involvit. Consistente sanguine, ulcus medicamento detergente mundificavit, & epulotico divino consolidavit.

OBSERVATIO OCTOGESIMA SEPTIMA.

Fractura cruris cum vulnere.

ANNO 1643. Die 5. Decembris hora septima, post meridiem, Matthæus Ritter junior, Vlmæ cecidit ex hypethra pensili, & fregit tibiam sinistram, spatio 4. digitorum transversorum supra caput inferius, cum vulnere, ossisq; denudatione & prominentia in partem anteriorem. Reposita per solam extensionem fracturæ, dolor antea vehementissimus statim remisit. Crus itaque affectum & fractum tribus fasciis (Tabul. XXIX. E. F. G.) spleniisq; (ejusdem Tabulæ H.) deligavi, & in canalem (Tab. XXVI. Fig. II.) ritè deposui. Inter deligandum patiens, ob imminens animi deliquium, sæpius cochlear aquæ corroborantis, quod constabat ex sequentibus, assumsit:

℞. Aq. Ceras. nigr. ℥ij.
Pimpinell.
Rosar. ana ℥j.
Cinam. ʒj.
Spirit. Cephal. Anhalt. ʒß.
Pulv. Magist. Corall. rubr. ʒß.
Margar. præp. ℈j.
Lapid. Chrysol. præp. ℈ß.
Manus Christ. perlat. ʒiij. misc. ad vitrum.

Die 6. Decemb. ob medicamentorum usum, dolor ex fractura omninò evanuit, & patiens usque in quartum decubitus diem benè habuit. Die 9. religato & inspecto vulnere nullum aderat inflammationis signum, nullusq; dolor: quapropter ossi tibiæ filamenta arida, labiis plagæ digestivum:

℞. Resin. Therebint. lot. in aq. plantag. ℥ß.
Pulv. rad. aristol. long.
irid. Florent. ana ℈ij.
Syrup. de ros. sicc. ʒij.
Vitell. ovi q. s. misc.

desuper ceratum diapalmæ, fascias & splenia adhibui. Die 10. æger usus est Enemate laxativo, & abhinc usque in septimum decubitus diem pulchrè habuit.

Die 13. in religato vulnere pus bonum & coctum apparuit, nullusque dolor aut inflammatio, quæ alias hujusmodi fracturas concomitari solent, ægrum affecit: unde fracturam iisdem medicamentis curavi, atq; crus cerato dicto, fasciis, plagulis & ferulis (quia timor inflammationis jam præteryt.) Tab. XXIX. Fig. VI. deligatum, in canalem deposui. Die 16. iterum religato & inspecto vulnere, omnia rectè habuerunt, nullus enim dolor ad fuit, tumor nullibi apparuit, & ex vulnere pus laudabile in parva quantitate emanavit: quapropter ossi à membrana sua detecto inspersi pulverem ex radicibus Aristolochiæ longæ & Iridis Florentinæ, vulneri sarcoticum adhibui, & crus diapalma, fasciis, spleniis ferulisq; iterum involvi. Hoc die lusit chartis, canalem huc & illuc movit, atque totam tibiam in sinistram partem distorsit. Die 17. manè conquestus est de compressione canalis sub genu in parte exteriore, infra caput fibulæ. Inspecto crure extuberantiam aliquam animadverti, religato vulnere tuberculum tetigi, & obliquam fibulæ fracturam inveni, quam procul dubio natura consolidasset, si tibiam semper immotam servasset æger.

Die 20. adhibui laminam ferream, ut extuberantiam fibulæ aliquantisper ad tibiam pelleret, quod etiam præstitit, sed frustulum ossis abscessurum esse prædixi. Fracturæ tibiæ, quæ benè habuit, pulverem Iridis Florentinæ cum filamentis carptis & aridis imposui, totumq; pedem cerato diapalmæ fasciis, spleniis ac ferulis obligatum in canalem deposui. Die 25. patiens conqueritur de fractura fibulæ, quâ inspectâ inveni officulum, quod cutim nonnihil pupugit, unde ceratum, splenia & fascias, aliquantulum in dextram partem abduxi, ut dolor ex ossiculo pungente remitteret. Die 6. Januar. Anno 1644. fractura tibiæ confirmari cepit, & fibulæ ossiculum in conspectum venit, cui pulverem Iridis Florentinæ & Aristologiæ longæ, cum filamentis decerptis, adhibui, atq; crus cerato diachalciteos, spleniis, lamella ferrea, & fasciis obligavi, ut pes pristinam rectitudinem acquireret; Die 16. Januar. vulneri tibiæ applicui filamenta carpta, ceratum diapalmæ, fascias, splenia & ferulas. Fractura fibulæ pus album & coctum fudit, asperum ossiculum forcipe abstuli, & crus velut diebus præteritis obligavi. Die 26. fractura tibiæ fuit confirmata. Die 5. Februar. natura fibulæ separavit ossiculum, & substantiam carne jam obduxit, quapropter ulcus filamentis carptis, cerato divino, & fasciis laxè obligavi, partemq; affectam in canalem debitè reposui. Die 25. ob excrescentiam carnis ulceri inspersi pulverem aluminis usti, quâ consumptâ, Die 14. Martij aliud frustulum ossis extraxi, ulcus filamentis siccis & cerato divino tractavi, partemque integram, ut diebus præteritis obligatam deposui. Die 24. ob inordinatam victus rationem pus fuit viride, & ulcus ser-

tus serpsit: unde sequens vinum laxativum ordinavi:

℞. Radic. Gramin.
Irid. Flor. ana ʒjs.
Herb. Beton.
Veron.
Cent. min.
Borrag.
Absynth. ana p. ß.
Fol. sen. Alexand. f. st. ℥j.
Rhab. elect. ʒiij.
Agaric. troch. ʒij.
Hermodactilor.
Turbith. ana ʒjs.
Semin. carth. cont. ʒiijs.
Sem. anis.
fænicul. ana ℈js.
Crem. Tart. ʒiij.
Gingib.
Galang. ana ℈j.

Incisa & contusa indantur sacculo, qui in vini albi Mensura j. infundatur: *de hac infusione patiens alternis diebus, duabus horis ante prandium, sumsit* ʒiijs. *Ab usu hujus vini medicati æger benè habuit, & ulcus pus coctum, album ac minimè fœtidum generavit.* Die 14. Aprilis *patiens optimè habuit, atque ob vulnus cicatrice obductum grallæ opera subnixus ambulare cæpit.* Die 4. Maij *æger lætissimus grallam deposuit, & minimè claudicans incessit.*

OBSERVATIO OCTOGESIMA OCTAVA.

Atheroma in femoris parte externa curatum.

Honestissima virgo Margaretha, cujus cognomen honoris gratia silentio involvendum existimo, triginta annorum, temperamenti calidi & sicci, conquesta est undecim annos de tumore citra dolorem duro, qui sua magnitudine ovum gallinaceum superavit, in femoris dextri parte sylvestri inter musculum glutæum appellatum & cutim exortus. Hic autem cum esset tumor tunicatus, neque internis neque externis medicamentis cedere vellet, facto prognostico, quod hujusmodi tumor non nisi chirurgia feliciter curari queat, præparatum antea corpus ab humoribus purgavi, & Anno 1641. die 26. Maij, tumorem sequenti modo exemi. Primo cutim atramento in crucem signavi, deinde atramento exiccato super lineam cutim in quatuor angulos rectos scalpello Tab. II. Fig. I. *donec folliculus in conspectu veniret. Sectione solum cutis in crucem facta, & sanguine spongia nonnihil deterso, quatuor cutis angulos, à subjecta tunica paulatim specillo separavi usque ad basin, ubi erat vena quam abscidi, & tunicam tumoris integram volsella extraxi: remoto citra læsionem folliculo vulneris labia statim ad mutuum contactum adduxi, & albumen ovi agitatum cum pulv. adstringente Galeni apposui. Obligato vulnere, folliculum dissecui, & in eo materiam pulticulæ similem inveni.* Die 28. Julij *vulnus cicatrice fuit obductum, & patiens pristinæ sanitati restituta.*

OBSERVATIO OCTOGESIMA NONA.

Vulnus carpi cum læsione arteriæ.

Anno 1631. Mense Decemb. Johannes Moser / Sartor *(anno ætatis 24.) temperamenti calidi & humidi, circa carpum & radium sinistræ manus, à discipulo suo adeò vulneratus est cultro, ut non solum vena, sed etiam arteria per transversum incisa fuisset, quam magnus sanguinis fluxus, & alia sæva symptomata, subsequebantur. Hoc vulnus statim Chirurgus* Nicolaus Keutt *juxta præcepta chirurgica obligavit. Secundo die sanguis tam copiose effluxit, ut totum ægroti corpus, ob spirituum vitalium defectum, motibus convulsivis agitaretur. Ad vesperam ipsi subducta fuit alvus, injecto clystere leniente, à quo ter dejecit. Tertio die incisa fuit vena jecoraria dextri brachij, & eductus sanguis ad* ℥iv. *Quarto dum obligaretur vulnus, nihil sanguinis ex ipso manavit. Quinto ob oris amaritudinem æger usus est sequenti syrupo cathartico:*

℞. Syrup. ros. sol. ℥ijs.
Extr. Rhab. ʒj.
Diacarth. ℈js.
Mag. Tartar. ℈s.
Aq. Cichorii q. s. M. F. Syrup. liquid.

à quo duas sedes habuit. Sexto die conquerebatur de cardialgia & capitis vertigine, unde assumsit syr. Acetos. citri. & Granat. dulcium vino granatorum, & Aq. Pimpinell. ac cerasorum permixtum; in lipothymia magnum habuit levamen, ab usu vini granatorum. Septimo die noctem inquietam habuit, dixitque se tota nocte per somnum cum puero, qui ipsum sauciavit, pugnasse: & quod majus est, conquestus est de sumptibus, & propter illos tam melancholicus fuit, ut huc & illuc in hypocausto curreret: à quo motu sanguis ebulliens ex arteria læsa, in omnem dimensionem exsiliit, ut nullo modo sisti queat. Itaque digitis compressi arteria, in media radij parte, extraxi magnam sanguinis concreti copiam ex vulnere. Tandem arteriæ sauciatæ spongiolam combustam, & pulvere lapid. chrysol. præp. atq. adstring. Gal. aspersam, & albumine ovi agitato oblinitam imposui, convenienti fascia vulnus obligavi, & instrumentum ex bractea confectum Tab. XLIII. adhibui, quod obserari, & cochlea arteriam comprimere citra incommodi metum possit.

Octavo & 9. die quia manus usque ad mediam cubi & radij partem inflammata erat, vesperi admisit Enema.

Deci-

Decimo die melius habuit, & pus flavum per fascias sudavit. Die 11. per totam noctem bene dormivit. Duodecimo die religato vulnere effluxit pus album, & vulnus latius apparuit, ob sanguinis concreti extractionem (ut in aneurismate fieri solet:) & imposui spongiam. Tendines quoq; perforantes in conspectum venerunt inflammati, & summo cum dolore ad putredinem tendentes. Vulnere igitur, citra spongiolæ extractionem, deterso, arteriæ medicamenta prædicta imposui, vulnusque fasciis obligatum iterum instrumenti clavo obturavi.

Interim non neglecti fuerunt Syrup. refrig. & humectantes. Emulsiones ex Aq. & seminibus appropriatis; Magist. Coral. rub. & syrup. violar. paratæ.

Die 13. & 14. æger melius habuit, inflammatio namque & dolor manus læsæ aliquantulum remisit. Die 15. pus album de vulnere exivit, manus dolor remissior visus, & tumor ejusdem minor factus fuit, tendinesq; calorem naturalem acquisiverunt. Die 16. Dimidiam spongiolæ, quæ arteriæ incisæ orificio adhæsit, partem volsella extraxi, alteram vero reliqui ad foramen arteriæ; Die 17. extraxi reliquam spongiæ partem, vulneri applicui modo dicta medicamenta, & ceratum citrinum linimento simplici obductum, carpo fasciis convenientibus obligato adhibui etiam instrumentum. Die 18. orificium arteriæ conglutinatum, & tendines carne solida coopertos reperi. Die 24. & plaga per ceratum divinum consolidata, patiens pristinæ sanitati restitutus fuit.

OBSERVATIO NONAGESIMA.

Concussio cerebri.

ANNO 1627. Mense Novembri, Iohannes Semlin / Oppingensis ex agro Ulmensi, famulus cujusdam rustici, temperamenti calidi & humidi, ante mensem in ædibus Marci Jeyels fuit, in quibus more loci juvenculæ, sive ancillæ filum duxerunt, pensumque suum absolverunt. Hic vero noster Iohannes, tum temporis in illo hypocausto cum aliqua illarum juvencularum lusit, quod ipsi à reliquis præsentibus interdictum fuit, ut nugas relinqueret, sonst werde jhm der Baum gestelt werden / cujus processus hic est: Detinent aliquem corpore inverso, ut capite respiciat terram; pedibus verò suspendunt, & subitò iterum remittunt, ut terra capite quatiatur. quod & perpetrarunt in hoc ægroto, usque dum sanguis è naribus & auribus defluxerit, atque humi prostratus mortui instar jacuit. Videntes prædicta juvenculæ dubium hunc actum, ipsum illicò aqua frigida asperserunt, quo revocentur illius spiritus. Hic aqua perfusus, quasi à morte revocatus, surrexit, magnoque sinistri brachij, ac totius capitis dolore discessit. Secundo die, præsente hoc capitis ac brachij dolore, æger nihilominus frumentum ventilavit. Tertio & quarto pejus habuit, ita ut propter febrem & motus convulsivos lecto decumbere coactus fuerit. Sexto morbi die, curru petijt Oppingam. Septimo mater accersivit Chirurgos. Decimo, 11. 12. 13. & 14. antedictis convulsivis motibus vexabatur. Die 15. mater decumbentis urinam transmisit Clariss. D. D. Klebsattelio, Medico Geislingensium indefesso, qui præscripsit pulverem contra casum, ad dissolvendum sanguinem grumosum, cum syrupo acetosæ, acetositatis citri & aqua pimpinellæ. Hinc mutus & surdus, usque ad vigesimum quartum diem, laboravit comate, de qua aphonia ita vaticinatus est Hipp. sect. 7. aph. 58. quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri necesse est. Loquendi audiendique impotentiæ supervenit Diarrhœa, quæ per triduum durabat, ubi denuò loquentes alios audivit, & ipse loquens conquestus est de dolore vehementissimo sinistri brachij circa musculum deltoidem. Die verò 29. Inclytæ Reip. Ulmensis decreto contuli me Oppingam, ubi Iohannem inveni valdè conquerentem de magno capitis dolore circa suturam sagittalem & coronalem, siti & febre insigni, ardore & nigredine linguæ, totius brachij prædicti paralysi & tumore œdematoso & scirrhoso, qui circa musculum deltoidem ad suppurationem tendens ægrum maximè torsit. Qua de causa statim revulsionis gratia præscripsi Enema sequens:

℞. Decoct. commun. pro clysterib. ℥ix.
Mell. rosl. solut. ℥ijs.
Elect. Diacathol. ℥j.
Ol. chamomill. ℥ij. M. pro Clyst.

à quo æger quinquies dejecit excrementa biliosa & pituitosa.

Capitis bregmati tumefacto applicui cataplasma digerens & roborans:

℞. Mic. panis domest. ℥iij.
Furf. Tritic.
Farin. hord. ana ℥ij.
Pulv. Flor. rosl.
Beton. ana ℥ß.
Ol rosat. ℥iij.
Vini rubr. q. s.
Salis commun. ℥j.
M. ad ignem in form. cataplasm.

Scirrho œdematoso brachij impositum fuit cataplasma, quod constabat ex
Pane domest.
Farin. sem. lin.
Herb. Malv.
Alth.
Lacte & Ol. chamom.

Pro siti usus est:
Syrupo Acetositat. citri,
Acetosæ simpl.
Granat. ana ℥ij.
cum aq. hord.

manè & vesperi scyphum seri caprini depurati exhausit. Cibus fuit cremor hordei & panatella, quæ conficitur ex mica panis, jusculo carnis, & butyro. Potus ad cibum fuit Aqua hordei. Suppurata, post aliquot dies, materia in brachio, quæ facilè ex tactu deprehendi potuit, abscessum inter musculum bicipitem & deltoidem scalpello aperui, ex

rui, ex quo magna purulentæ materiæ quantitas effluxit. Foramini inciso, ad mitigandum dolorem, turundam ovi vitello & albumine oblinitam imposui, & desuper Diachylon simplex adhibui, ad suppurandas reliquias. Sequenti die religato vulnere, specilli globosa parte ulcus exploravi, & humerios corruptum inveni. Ideo foramen spongia contorta nonnihil dilatavi, & dilatato turundam digestivo:

℞. Tereb. lot. in aq. scord. ℥ijs.
Ovi vitell. par.
Pulv. Arist. rot.
Irid. Flor. ana ʒß.
Mell. rosf. col. q. s. Misc.

oblinitam imposui. Interea corpus aliquoties purgatum fuit, sacculo sequenti:

℞. Rad. polypod. querc. ʒij.
Irid. Flor.
Cichor. ana ʒijs.
Herb. agrimon.
Beton.
Veron.
Prunell.
Absynth. ana p. s.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥js.
Rhab. elect. ʒß.
Agaric. rec. troch. ʒiij.
Sem. cartham. excort. ʒß.
anis.
fænicul. ana ℈js.
Crem. Tart. ʒiijß.
Cinam.
Gingib. ana ℈js.
Uvar. pass. ℥iij.

Incis. & contusa ad sacculum, qui in fund. in ℔iiijs. aqua mulsæ, de qua alternis diebus sumpsit ℥iiij duabus horis ante prandium. Pro majore ossis exiccatione vulneri per siphonem injeci decoctum divinum, pulverem aristolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ. Exterius aliquoties brachio spongiam ex aqua salsa & vino rubro expressam superligavi.

Die vigesimo propter dolorem capitis usus est sequentibus catapotijs:

℞. Mass. pilul. aur. ℈ij.
Extract. coch. ℈j.
Mag. mech. nigr. gr. vij.
cum syrup. de beton.
F. Pilul. parv.
deaurentur.

à quibus decies dejecit. Die 60. frustulum ossis protrusum, & volsella arreptum extraxi, ulcusq. postea cicatrice obduxi.

OBSERVATIO NONAGESIMA PRIMA.

Manus ob spinam ventosam amputata.

DUM Patavij studiis Medicis operam dedi, & chirurgiam exercui, Nobilis quidam studiosus laboravit per aliquot Menses œdemate manus sinistræ, quod, post universalium usum, sub præstantissimis topicis nunquam diminui, sed tandem in volæ exulcerari cœpit. Quapropter adhibuimus in consilium Excellentissimum Spigelium, qui, postquam ulceris qualitatem specillo explorasset, & os corruptum tetigisset, statim tumorem vocavit spinam ventosam, quæ malum est incurabile, & amputationem partis affectæ requirit. Provenit autem spina ventosa ab humore, qui occulta & insensa sua qualitate ossa primum citra omnem periostij læsionem atque doloris sensum corrodit, deinde œdema efficit minime dolens, & post aliquot Menses partem exulcerat. Consensu ægri obtento, manum extremam supra radij & cubiti appendices scalpello falcato ac serra resecui (Tab. XXVII. Fig. XI. XIII. & XIV.) cubitoque splenijs, vesica & fasciis (Tab. XXVIII. Fig. I. II. III. IV. V. & VI.) obligato, in parte amputata reperi ossa metacarpi quidem corrupta, sed periostio undiq. (præterquam in illo loco, ubi ulcus) adhuc contecta.

OBSERVATIO NONAGESIMA SECUNDA

Vulnus cubiti periculosum.

ANNO 1638. Die 24. Iun. in Festo Divi Iohannis Baptistæ, hora septima post meridiem, Nobilissimus Dn. Fridericus à Degenau vulneratus est in duello, à Nobiliss. Dn. N. de Bettendorff duorum digitorum transversorum infra cubiti dextri flexuram, totum brachium inter cubitum & radium perforante, atq. lædente venas & musculorum tendines cum insigni dolore, & sanguinis effluxu. Primo vulnus chirurgus non imperitus, Iohan. Georgius Bauler / obligavit. Die secundo ante & post religationem fasciæ nobiliss. patiens conquestus est de vehementissimo dolore circa foramen vulneris tam internum, quàm externum, sicut in omnibus articulorum vulneribus fieri solet. Ob id revulsionis gratia usus est sequenti Enemate:

℞. Decoct. emoll. ℥viiij.
Elect. lenitiv. ℥j.
de succ. rosf. ʒij.
Ol. chamomill.
viol. ana ℥js.
M. F. Clyster.

à quo duas sedes habuit. Tribus horis à rejecto clystere aperta fuit vena mediana brachij sinistri. Foraminibus vulneris exiguam ex linteo turundam medicamento oblinitam, cujus descriptio hæc est, imposui:

℞. Aloes succotr.
Thur.
Bol. Armen.
Lapid. Hæmatit.
Chryſ. præp. ana ℈ſs.
Terr. Lemniæ.
Tutiæ præp. ana ℈ij.
Sanguin. dracon. ʒj.
Pulveriſata miſceantur cum albumine ovi ſubacto in formam unguenti.

ac brachium oleo roſarum & lumbricorum terreſtrium calidè inunctum, ſplenio in vino rubro expreſſo, faſciaq; duobus capitibus obligavi. Denique unguentum defenſivum Fernelij (quod omnium optimum eſt) ſummo humero applicui, & duabus elapſis horis integrum brachium poſca irrigari curavi. Potus fuit Aqua hordei, vino granatorum gratior redditus; cibus autem cremor hordei, & gelatina ex pedibus vitulinis. Tertio die melius habuit æger, vulnusq; propter novum hæmorrhagia metum, non fuit religatum, ſed totum membrum poſtea irrigatum, oleisque prædictis inunctum. Die quarto religavi faſcias, turundam verò è vulnere non extraxi, ſed appoſitis filamentis carptis & unguento, quod conſtabat ex albumine & vitello ovi, pulvereque ſupra præſcripto oblinitis, brachium inunxi; ipſique ſplenium in vino auſtero expreſſum & faſciam adhibui. Veſperi benè habuit æger, & pro cœna ſumpſit cremorem hordei, & Endiviam vino granatorum, oleoque communi conditam. Die 5. de nihilo conqueſtus eſt patiens, vulnus religavi & turundam extraxi. Sanguine ſubſiſtente aliam turundam, eamque breviorem, vitello ovorum imbui & pulvere prædicto aſperſam, foraminibus impoſui, ala & ſummo humero defenſivum applicui, brachiumque oleis inunctum, & ſplenio madefacto involutum faſcia duobus capitibus donata obligavi. Die 6. patiens, ob alvi conſtipationem, & dolorem circa flexuram cubiti aſſumſit ſyrupum laxativum:

℞. Syrup. roſ. ſol. ʒij.
Flor. caſſ. rec. extract. ʒj.
Sem. citr. pulv. ʒß.
Aq. cich. q. s. M.
F. Syrup. liquid.

A quo quinquies dejecit materiam bilioſam & feroſam. Vulnus fuit tractatum veluti die præterito. Die 7. parum puris cocti circa vulnus apparuit; quapropter unguento ſanguinem ſiſtenti addidi dimidiam partem thuris pulveriſati, ut vulneri caro increſceret.

℞. Pulv. ſupra præſcript.
Thuris. ana ʒß.
Vitell ovor. q. s.
M. F. Unguentum.

quo imbuatur turunda vulneri imponenda. A die 8. uſq; ad 10. æger perbelle habuit. Die 11. dixit ſe præterita nocte nihil dormiviſſe, brachiumque propter inſomnium grave huc & illuc moviſſe, ita ut externum foramen aliquid ſanguinis denuo effudiſſet. Subſiſtente autem firmiter ſanguine, vulnus tractavi ut die præterito, patientique ordinavi ſequentem ſyrup. purgantem:

℞. Syrup. roſ. ſol. ʒijs.
Extract. Rhab. ʒjs.
Mag. Tart. ℈j.
Aq. ceraſ. nigr. q. s.
M. F. Syrup. liquid.

Die 12. 13. & 14. æger optimè dormivit, de nulloque amplius circa flexuram dolore conqueſtus eſt, & foramen illud externum, quod ob nimium brachij motum ſanguinem funderet, generavit pus coctum. Die 16. loco turundæ, foraminibus filamenta carpta & ſicca appoſui, ſpongiamq; novam & ex vino rubro calido expreſſam ſuperligavi faſcia duobus capitibus prædita. Die 19. foramina cicatrice obduxi.

OBSERVATIO NONAGESIMA TERTIA.

Excreſcentia in femore magna.

JOanni Ferber / Hamburgenſi, militi Suecico circa vigeſimum quartum ſuæ ætatis annum, in dextri femoris interna parte, exortum eſt tuberculum, quod biennij ſpatio in tantum increvit, ut ſua magnitudine facilime tria capita humana æquaret, & ægri ingreſſum impediret. Hanc excreſcentiam empiricus quidam cauſtico corrodit, ut materiæ exitum procuraret ulcus poſtmodum epuloticis conſolidaturus, ſed cum nullam invenisſet materiam fluxilem, empiricus aufugit, & ægrum omni auxilio deſtitutum reliquit. Patiens Anno 1634. Vlmam venit ibique chirurgi Iohann. Georgij Bauleri operam imploravit, qui cum nullis medicamentis ulcus fœdum conſolidare potuiſſet, meo Georgijq; Riedlini conſilio, natam exulceratam & valdè dolentem forfice apprehendit, & cauteriis cultellaribus abſcidit, ſicharaque ablata ulcus cerato divino ad cicatricem pulcherrimam perduxit. vid. Tab. XXXV. Fig. II. fol. 43. *Inſpecta natæ reſecta ſubſtantia, quæ omnino erat carnoſa ſuisque venis & arteriis prædita, quæſivimus ex patiente, an à natura tam macilentus fuerit? hic reſpondit, ſe ante hujus natæ exortum & augmentum corpus habuiſſe mediocriter craſſum. Ex qua reſponſione fuimus edocti, quod excreſcentia omne ferè alimentum, quo totum nutriri corpus debuiſſet, per venas & arterias obſervatas attraxerit. Reſtituto jam jam Vlma diſceſſuro conſului, ut moderato victu uteretur, ſingulisque menſibus dorſo ſex cucurbitulas ſcarificatas adhiberet, donec corporis habitus paulatim iterum aſſueſceret ſanguinem ſibi aſſimilare, quem natura prius ad nutritionem tumoris tranſmittere conſuevit. Hoc conſilium juvenis per ſemeſtre diligenter obſervavit, & poſthac incolumis vixit uſq; ad Annum 1644. quo ſub exercitu Bavarico militans me viſitavit, & pro datis conſiliis magnas retulit gratias.*

OBSERVATIO NONAGESIMA QUARTA.

Vulnus sclopeti cum fractura tibiæ.

ANNO 1644. *Die 31. Maij. hora 6. post meridiem* Leonhardus Henseler / *Bubulcus Ulmensis, læsus est plumbea sclopeti glande, qua non solum sinistram tibiam paulo infra genu fregit, ut os extra vulnus promineret; verum etiam crus dextrum sine ossium læsione perforavit. Rebus ita habentibus, prima visitatione partibus affectis (ob medicamdntorum aliorum defectum) sequentia fuerunt adhibita. Dextro cruris vulneri oleum violarum, albumine ovi mixtum, siphone injeci, turundasq́; exiguas & eodem medicamento imbutas imposui, desuper ceratum di ipalmæ, cataplasma (ex farina hordei & malvarum, mica panis, & lacte paratum) & fasciam duobus capitibus præditam adhibui. Sinistram deinde tibiam, quantum possibile fuit, composui & albumen ovi oleo violato concussum infudi; & foraminibus turundam ex filamentis aridis contortam immisi; desuper diapalma, atque prædictum cataplasma applicui, pedemque fasciis serratis (Tab. XXVII. Fig. I. & Tab. XXVIII. Figur. X.) obligatum, in canalem rite deposui.* Die 1. Junij, *frustulum ossis, quod carnem & cutim pupugit, & ægrum tota nocte inquietum reddidit, forfice (T. XX. Fig. I.) abscidi Osse abscisso, foraminum interstitium cutaneum syringotomo (Tab XIV. Fig. II.) incidi, vulnusq́; hac ratione dilatatum digestivo replevi:*

℞. Resin. Terebinth. lot. in aq. Plantag. ℥iij
Olei lumbricor. terrest. ʒjs.
vitell. ovin. j.
Mell. ros. col. q. s.
M. pro digestivo.

℞. radic. Aristol. rotund.
Iridis Florent. ana ℥j.
M. F. Pulvis.

Ossibus aspersi pulverem, filamenta arida apposui; carni vero digestivo oblita: deinde vulneris labia cerato diapalmæ obtexi, pedemque cataplasmate & fasciis serratis obligatum, denuo in suum canalem deposui. Interim patiens ob animi deliquium per intervalla sumpsit cochlear unum vel alterum sequentis aquæ cordialis:

℞. Aq. ceras. nigr. ℥ij.
Borrag.
Rosarum ana ℥j.
Cinam. ℥ij.
Spir. Cephal. Anhalt. ℈js.
Mag. Corall. rubr. ℈ij.
Man. Christ. perlat. ʒß.
Misc.

Ad extinguendam sitim præscripsi Syrupum refrigerantem:

℞. Syrup. Acetos. simpl. ℥ij.
Granat. acid.
Acetositat. citr. ana ℥js.

quo miscuit aquam hordei pro potu ordinatam. Deinde propter præsentem dolorem, atq; inflamationem imminentem, usus est Enemate refrigerante & humectante: quo rejecto, Barbitonsor venam medianam dextri brachij incidit, & sex uncias sanguinis emisit. Die 2. Junij, *æger aliquantulum melius habuit.* Die 3. Junij, *cum præterita nocte ob aliud ossis frustulum, quod carnosas partes maxime pupugit, inquiete dormivisset, illud modiolis excidi, ossi reliquo pulverem præscriptum inspergens, & labiis digestivum apponiens. Æger eodem die, ob constipationem ventris, & maximum humorum ad partes læsas decursum assumpsit potionem medicam:*

℞. Syrup. ros. sol. ℥ij.
Elect. Lenitiv. ʒvj.
de succ. ros. ʒjs.
Decoct. fl. & fr. q. s.
M. & F. sec. art. potio.

à qua quinquies dejecit biliosã & serosam materiã. Die 4. *melius habuit, quam die præterito.* Die 5. *conquestus est de doloribus colicis; quare ipsi exhibui Ol. amygd. dulc.* ʒijs. *cum brodio florum chamomillæ, à quo dolor cessavit.* Die 6. *cum alvus denuo esset constipata, assumsit potiunculam nuper præscriptam, à cujus operatione patiens optime dormivit.* Die 7. *post escharæ casum, vulnus obligavi digestivo* sine oleo, *& loco cataplasmatis, fere integrum crus cerato diapalmæ perforato, & fasciis serratis involvi.* Die 8. *vulneribus imposui sequens digestivum:*

℞. Resin. Tereb. lot. in Aq. scord. ʒiij.
Pulv. radic. irid. Flor.
Aristoloch. rotund. ana ʒj.
Aloës.
Myrrh.
Thur. mascul.
Bol. armen. præp. ana ℈js.
Balsam. Peruvian. ʒj.
Syrup. de ros. sicc. &
Mell. ros. col. ana q. s.
M. in form. linimenti.

Die 9. *patiens, quod pedes attinet, bene habuit, sed iterum conquestus est de dolore colico, qui, post spontaneam biliosæ materiæ per alvum evacuationem, cessavit.*

Propter vulneris fœtorem siphone decoctum divinum injeci. Die 10. *æger bene habuit, & vulnus tibiæ sinistræ fudit pus coctum, sub tibia fracta observavi particulam ossis putridam, quam decocto divino lavi, & pulvere appropriato obtexi: dein vulnus linimento præscripto, & cerato diapalmæ obligavi.* A die 15. *æger bene habuit usque ad trigesimum, quo sinistræ tibiæ os in superficie & externa sui parte sese desquamavit. Vulnus dextræ tibiæ ad cicatricem tetendit.* Die 7. Julij, *frustulum ossis separatum volsella extraxi. Vulnus tibiæ dextræ cicatrice fuit obductum.* Die 15. *Propter inordinatam vi-*

tione conquestus est de insigni dolore sinistri pedis, duorum transversorum digitorum supra genu. Religato vulnere, deprehendi abscessum, qui digitis pressus magnam puris quantitatem effudit. Die 26. *patiens sumsit pulverem, propter amaritudinem oris:*

℞. Rhab. elect. ℥j.
Mechoac. nigr. ℈j.
Crem. Tart. ℈ß.
M. F. Pulvis.

à quo sæpius dejecit materiam biliosam, & inde melius habuit. Die 25. Augusti *extraxi frustulum ossis, quod longitudinem digiti minimi æquaret.* Die 14. Septemb. *sub genu & circa anteriorem patellæ partem alius apparuit sinus, quem, cum per foramen superius expurgari non potuisset, instrumenti Tab. XIV. Fig. V. cuspide incerato perforavi, & evacuata prius materia, spongia in vino expressa, fasciaque duobus capitibus agglutinavi. Post agglutinationem sinus, vulnus paucissimis diebus cerati divini opera cicatrice obduxi, ita ut patiens die 4. Octobr. sine grallis ambulare, & mense Decembri suo citra impedimentum officio fungi cœperit.*

OBSERVATIO NONAGESIMA QVINTA.

Fractura femoris.

ANNO 1644. *Die 24. Decembris* Ioanni Kriesinger *cauponi Grimmelfingensi, dum ligna ex sylvis veheret, plaustrum lignis onustum femur sinistrum cum vulnere fregit. Æger rheda delatus est Vlmam, ubi chirurgi Ioh.* Meckenried *& Georgius* Riedlen *femur vulneratum obligarunt.* Die 27. *ob maximum femoris dolorem atque inflammationem in subsidium vocatus, primo ad ægrum ingressu quæsivi, utrum vulnus ab osse fracto, an verò à stipite proveniat. Patiens & chirurgi vulnus stipiti adscripserunt. Cum autem indicassem, hoc plurimum ad curationem femoris facere, & ex femoralibus addisci posse: si enim perforata fuerint, vulnus proficisci ab extra; sin minus, ab intra. In femoralibus autem nullum foramen invenire potuerunt, ex quibus clarum fiebat, vulnus à fracto femore fuisse inflictum. Itaque femoris extensi fracturam composui, integrum femur tribus fasciis perforatis (ut vulnus magnum quotidie expurgari possit) & medicamento idoneo (oleo scilicet rosarum, albumine ovi agitato, & aqua rosarum) ad inflammationem depellendam & dolorem nimium mitigandum insuccatis obligavi, & in suum candelem deposui.* Die 28. *ob inquietam noctem, & amaritudinem oris æger usus est syrupo liquido:*

℞. Syrup. rof. sol. ℥ij.
Extract. Rhab. ℈iv.
Diacarth. ℈ij.
Mag. Tart. ℈j.
Aq. cichor. q. s.
M. F. P. brev.

à quo aliquoties dejecit materiam biliosam. Die 29. *secta fuit vena mediana sinistri brachij & eductus sanguis ad ℥vij. Vesperi patiens sumsit haustum emulsionis syrupo violaceo edulcoratæ. Illam noctem quietissimè patiens transegit, & inflammatio cum dolore cessavit. Curata inflammatione, calli generationem ligaturis, medicamentis externis, & convenienti victus ratione, procuravi: patiens tamen claudicat in huncusque diem, quoniam naturâ valdè iratus pedem canali impositum in quiete nunquam detinuit, sed nunc huc nunc illuc movit. Nec mirum est, quoniam, ut in fracturarum cura monui, adultiores in femore fracti, etiamsi obedientissimi fuerint, rarissimè (& quidem tunc, quando femur beneficio instrumenti glossocomi Galeni Tab. XXI. Fig. IV servatur extentum, si non per totum curationis tempus, saltem, dum excrementa alvi deponit æger, aut ipsi sternitur lectus) citra claudicationem curantur.*

OBSERVATIO NONAGESIMA SEXTA.

Tinea capitis, & cubitus convulsus.

VIrgo quædam Vlmensis, anno suæ ætatis duodecimo, ob consuetam narium hæmorrhagiam suppressam, nimio mensium fluxu laboravit, eoque restricto de horrenda capitis tinea & molestissima sinistri cubiti convulsione (quem extendere minimè potuit) valdè conquesta est. Purgato igitur corpore per pilulas de nitro Tralliani repetitis vicibus assumptas, & promotis iterum menstruis, caput inunxi quotidie semel linimento de amiantho (quod ex historia lapidum & gemmarum Anselmi Boëtij l. 2. c. 204. ipsus paravi) cubitum verò bis unguento Evæ seu polychresto Spigelij, cujus descriptio videatur supra Tab. XLIII. fol. 63. quibus unguentis ægra brevi felicissimè curata fuit.*

OBSERVATIO NONAGESIMA SEPTIMA.

Lepra Græcorum.

ANNO 1641. *Die 17. Decembris ego & Clariss. D. D. Ioan. Regulus Villinger, charissimus meus affinis, nobilem quandam Vlmensem visitavimus, adeo miseram & aspectu horrendam, ut verbis sufficienter exprimi nequeat. Primo enim non potuit stare pedibus, nisi à duabus ancillis firmata: facie pallida; fronte rugosa & squamosa; oculi con-*

lis concavis, glabris superciliis, naribus internè à crustis totaliter obstructis, externè verò squamis obsitis; ore tumido & labiis lividis: inclinato capite, thorace incurvato, atrophia laborante, & crassissimis crustis undique obtecto. Sub axillis non aderant pili. Sic quoque dispositum fuit abdomen, seu infimus venter. Artus etiam macilentissimi, squamis crustisque omninò cooperti. Apices digitorum, tam manuum quàm pedum, nullum habuerunt sensum, propter insignem erosionem & crustarum crassitiem. Ultimò totum corpus fœtidissimum spiravit odorem. His symptomatibus omnibus probè consideratis, affectum nobilis, non Elephantiasin, sed lepram Græcorum appellavimus, & de restitutione multum speravimus, propterea quod sumptus hic non deessent, neque etiam de obedientia patientis, quæ sanitatem avidè expetyt, quicquam dubitaretur. Quare ad purificandum sanguinem præscripsimus sequentem sacculum catharticum.

℞. Rad. Polyp. querc.
 Enul. camp.
 Cichor. ana ℥ß.
Herb. Fumar.
 Veronic.
 Borrag.
 Scolopend.
 Dentis Leon.
 Beton. ana p. j.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥j.
Rhab. elect. ℥ß.
Agaric. troch. ʒiij.
Mechoac. nigr. ʒij.
Rad. Helleb. nigr. ʒjs.
Semin. Carth. ℈iiij.
Gingib.
Cinam. acut. ana ℈j.

Incis. & contus. M. ad sacculum, qui per 24. horas infundatur in mensura majori Mellicratis; de quo postea sumat mane 2. horis ante prandium ℥vij. per biduum; *tertio die abstineat à medicamento purgante, & quatuor horis ante prandium, tribusq. ante cœnam sumat portionem conditi (quod*

℞. Conserv. Borrag.
 Enul. campan.
 ana ℥vj.
Pulv. marg. præp.
 corall. rubr. præp. ana ℈js.
 Trochisc. de vip. ℥ß.
 Syrup. corall. q. s. M. Pro Condit.)

& superbibat haustum seri lactis caprini optimè depurati. Post reiterationem sacculi purgantis, usa est balneo aquæ dulcis (herbis alterato v. gr. Fumar. Malv. Veronic. Enulæ Campan.) per horam; postea, detersoprius corpore, se ipsam inunxit sequenti unguento:

℞. Ung. Pomat. ℥ijs.
 Balsam. Peruv. ʒij.
 Flor. sulphur. ʒijs.
 Olei Tart. ℥ij.
 M. F. Ung.

Ab usu dictorum medicamentorum fœtor ille magnus & pruritus totius corporis continuus aliquantulum remisit; & crustæ ab apicibus digitorum deciderunt. Ad carnis novæ generationem, quæ fuit erosa in apicibus, admovi unguentum ex cerato citrino & oleo myrtino confectum. Dorsum ancillæ inunxerunt pinguedine viperina.

Pro potu ordinario bibit decoctum Chinæ. Hic posset aliquis objicere, hæc patiens laboravit atrophia totius corporis, cur usa est carne viperina. Respondemus, morbi totius substantia cum non curentur nisi medicamentis tota substantia seu occulta qualitate agentibus. Lepra Græcorum est talis morbus. Ergo non curabitur, nisi medicamentis occulta proprietate pugnantibus, inter quæ caro viperina non infimum obtinet locum. Die 6. Jan. 1642. *aperta fuit vena communis sinistri brachij, & unciæ quatuor emissæ sanguinis, qui in superficie visus est albus, semiviridis, & putridus, in fundo verò nigerrimus & minimè concretus. Addebat Barbitonsor, qui venam incidit, se magnum fœtorem percepisse, dum sanguinem emitteret. Hisce peractis, tertia vice usa est sacculo laxativo, & condito, in quo trochiscorum de viperina carne quantitatem adauxi:*

℞. Conserv. Borrag. ʒx.
 Trochiscor. de vip. ℥iiij.
 Corall. rubr. præp.
 Marg. præp. ana ℈js.
 Syr. corall. q. s. pro Condit.

quod materiam malignam à centro ad circumferentiam corporis efficacissimè expellit. Cum jam sitis remisisset, & ægra dormire incepisset, post assumptionem conditi non amplius bibit serum caprinum depuratum. Spatio quatuordecim dierum his usa est sequentibus pilulis:

℞. Mass. pilul. aurear. ℈ij.
 Extract. cochiar. ℈ß.
 Mag. mech. nigr. gr. vij.
 Extr. Helleb. nigr. ℈ß.
 cum syrup. de beton.
 F. pill. n°. xxj. deaurentur.

à quibus decies dejecit. Post repetitum pilularum usum, pili in superciliis, sub axillis, & in pube recrescere cœperunt. Rebus ita se habentibus, ob instans mensium tempus, patienti ulteriorem medicamentorum usum interdiximus, & consuluimus, ut in posterum menses diminutè fluentes, vel præter spem retardantes ʒj. *pilularum de Ammoniaco Magistralium promoveret.*

℞. Extract. Aloes cum aq. End.
 Gumm. Ammon. aceto.
 squillit. diss.
 Myrrh. præp. ana ʒj.
 Mastich.
 Spec. diatrion. santal. ana ℈j.
 Sal. Absynth. ʒj.
 Syrup. de succ. ros. q. s.
 M. F. Massa.

His remediis ægra nobilis pristinæ sanitati fuit restituta.

OBSERVATIO NONAGESIMA OCTAVA.

Inflammationes Eryſipelatoſæ & œdematoſæ.

IN Inflammationibus Eryſipelatoſis ſimul, quæ ut plurimum artus invadunt, & magnum ſæpè tam Medicis quàm Chirurgis negotium faceſſunt, nihil præſtantius unquam expertus ſum ſequenti remedio, quod Excellentiſſimo Spigelio Chirurgus quidam Germanus, pro ſummo ſecre-to, ut certè eſt, communicavit:

℞. Lixiv. ex ciner. ſarment. vit. mediocr. ℔j.
Nitr. ʒjs.
Salis commun. ʒj.
Aceti ex vino optim. ℥j.
F. Mixtura.

quæ, poſt univerſalem curam, ſplenio duplici tepidè excepta, locoque affecto, faſciis ſtrictè ſuperligata, ſpatio trium dierum, vel ad ſummum quatuor, inſignes tumores, qui etiam periculoſam minantur gangrænam, mirè diſcutit, atque abſorbet.

OBSERVATIO NONAGESIMA NONA.

Os tibiæ corruptum & ſcalpris deraſum.

MIles quidam Gallus, laboravit gonorrhæa virulenta, eaque intempeſtivè per injectiones ſuppreſſa, aliquando ex equo decidit in ſilices, & crus ſuperficialiter excoriavit. Ulcuſculum remediis vulgaribus tractatum malignitatem adquirit, & os tibiæ corrodit. His perceptis curam ſudoriferam propoſui, eaque finita crus ſecundum longitudinem ſcalpello incidi, vulnus ſtegnoticis dilatavi, os ſcalpro deraſum pulveribus cephalicis obtexi, ulcus unguento citrino (quod in ulceribus phagedenicis præſtantiſſimum eſt, & mirè operatur) *incarnavi, & cerato notiſſimo ad cicatricem perduxi. vid. Tab, XLIII. ſub Litt. R. Obſervat. Martini* Schmid / *qui ejusmodi quoque cruris & oſſis tibiæ corroſionem atq; deraſionem felici ſucceſſu ſuſtinuit.*

OBSERVATIO CENTESIMA.

Lepra ex eſu carnium leproſarum originem ſumens.

ANNO 1637. tempore Autumnali, Ulmenſis Lanio, in medio fermè Viennenſi itinere, à veneſica quadam hoſpite, inque diverſorio, demortui cujusdam leproſi carnibus coctis, menſaque appoſitis tractatus fuit, quarũ eſu tota ipſius ſanguinea maſſa infecta, brevi temporis interſtitio, pro radici inſtar, malignas puſtulas cum defædatione capitis inprimis, ad ſuperficiem corporis expulit, & percepto rumore, quod ſcelеſta illa fæmina, ob plura alia & varia delicta, publicè flammis combuſta fuerit, vultuoſus patiens de ſanitatis ſuæ reſtitutione deſperare cæpit: Nihilominus tamen ne ſibi ipſi deeſſe videatur, chirurgum alias exercitatum in conſilium vocavit, qui re non ſatis ponderata, ſolis externis unguentis eundem, ſed inaniſpe, reſtituere attentavit, usque dum, aliquoties in noſtris obſervationibus citatum, Clariſſimum Dominum meum Collegam, Doctorem Iohannem Georgium Gockelium (ex cujus communicatione & hanc curationem habeo) ſummis precibus exoravit, ut hac in parte ſibi gratificari, & extrema tentare velit.

Hic pro ſua humanitate, & ægro & chirurgo, ſolidis rationibus demonſtrans, abſque jugi internorum remediorum uſurpatione, ſanguineæ maſſæ per præparantia, purgantia & venæ ſectionem exacta depuratione; communicatæ malignitatis mediantibus ſudoriferis diſcuſſione; hepatis corroboratione, &, vel tandem, externorum debita inunctione, huic, etſi nondum radicato malo, occurri minimè poſſe. Quare carnario illi omnem in curando aſſiduitatem, & diligentiam promiſit, modo patiens ſe in omnibus morigerum præſtare velit, quod dum ſanctè ſponderet, curam ſequenti methodo aggreſſus eſt.

I. Ordinata victus ratione, præſcribendo videlicet cibos optimi nutrimenti, ac omni acredine deſtitutos, ut in morbi Gallici cura fieri debet; pro potu decoctum ligni Gujaci & Saſſafras cum ſeminibus aniſi & fæniculi debitè præparari curavit. Primo, ad ſudorem movendum, reſervato, altero vero tanquam debiliori ad ſitim compeſcendam conceſſo.

II. Corpus per biduum digeſtivo hoc ad expurgationem præparavit:

℞. Syrup. de duab. radic. ℥js.
Mell. roſ. col. ℥ß.
Crem. Tart. pulveriſ. ℈js.
Aq. Aſparag-
Fumar. ana ℥ij.
M. pro doſi una.

III. vitioſam ventriculi ſaburram, per ſequens medicamentum, vino aſſumptum, removit.

℞. Mercur. opt. dulcif. ℈j.
Croc. metall. gr. vj.
Gutt. Gamand. gr. vij.
M. F. Pulvis.

IV. Hinc medianam dextri brachij primùm aperi-, detractis ℥v. sanguinis, jussit.

V. per aliquot dies concessa quiete, rursus ad corporis præparationem, quater in jusculo repetitam, accessit.

℞. Pulveris Tartari vitriol. ʒß.
dentur doses quatuor & quælibet ad singularem chartam.

VI. Felicissimè sanguinis mundificationem molitus est per appositas pilulas:

℞. Panchymag. Croll. ℈ij.
Mercur. dulcif. ℈j.
Gutt. Gamand. gr. vij.
cum aq. ceras. nigr.
Form. pilul. communes.
pro una dosi.

VII. Accessit ad sudorifera, ubi æger maximè obediens quotidiè in prioris decocti sassafras haustu, dosin sequentis hydrotici accepit:

℞. Sulphur. Aurat. diaphor. à gr. xij.
usque ad gr. xv. F. pulvis ad chartulam.

Quare, ad quatuor septimanas, tempore matutino solum, in lecto per binas horas commorando, largissimum sudorem movit, excepto septimo quovis die, in quo superius notatas pilulas reiterando assumsit.

VIII. Sinistri hinc lateris vena tacta sanguis emanans priori longè purior inventus est. IX. Sordium recrementa laconico absterſa, & caput appropriatis, alterato lixivio, mundificatum fuit.

℞. Radic. Bryon. ℥j.
Lapat. acut. ℥ß.
Herr. Marrub.
Menth. Crisp.
Origan.
Bethon. ana Mß.
Flor. chamomill.
Rad. Asar. cum toto ana p. ij.
Agaric. crud. ℥ß.
Crassiuscule l. a. concisa coquantur in lixivio communi.

X. Remanentes quædam pustulæ, in quibusdam corporis partibus & capite, depulsæ, & omnia externa inquinamenta sequenti unguento in fine sublata fuerunt.

℞. Unguent. alb. camphor. ℥j.
Mercur. dulc. ʒij
Terendo probè M. ad vasculum.

Sic divino favore, patiens mihi maximè notus, decem hebdomatibus felicissimè restitutus, aliquandiu decoctum sassafras pro potu ordinario usurpavit, ita ut per dies vitæ non amplius malum hoc repullulaverit.

INDEX

INDEX OBSERVATIONUM.

A.

Anginæ periculosæ curatio. fol. 96.
Anus non satis perforatus. 117
Anthracis pestilentis ab interioribus revocatio. 11
Apoplexia fortis ex dentitione 89
Atheroma in fronte excisum. 43
Atheroma in femore separatum. 123

C.

Calvariæ lamina, exteriore integra, interior fissa. 37
Calvariæ fissura capillaris, quam natura ampliavit. 33
Cancer labiorum per forcipem male abscissus. 61 Æ.
Cancer mamillæ exulceratus felicissimè resectus. 105
Cancer mamillæ occultus in puerpera malè excisus. 107
Cancer mammæ parvus & occultus pharmaca curatus. 107
Cancer coli & uteri incurabilis. 112
Caruncula in meatu urinario extirpatio. 56
Cataractæ consummatæ depositio. 39
Concussio cerebri. 124
Contusio capitis puellæ topico curata. 36
Contusio capitis centesimo die mortem inferens. 75
Contusio cerebri nona septimana lethalis. 76
Contusio capitis, cum vertigine & Apoplexia. 78
Contusio capitis instante novilunio totius convulsiones inducens. 80
Contusio occipitis scalpris derasa. 93
Convulsio oculi ex concussione cerebri 83
Convulsio cubiti. 128
Cubitus rigidus 63
Cubiti os corruptum. 16
Crus ex ganglio in genu contractum. 62. C. & 63

D.

Dolor dentium periodicus. 86. & 89
Dolor digiti majoris post abscissionem pedis 18
Dolor cancri mitigatus. 108
Dolor. Ischiaticus fonticulo in sura curatus. 64. K.

E.

Enteroceles expertissima cura. 13
Empyema thoracis apertione curatum. 99
Empyematis materia diureticis expurgata. 100. & 103
Erosiones ventriculi curatæ. 118
Erysipelata partium extremarum. 114
Erysipelas utriusq. pedis exulceratum. 115
Excrescentia carnis in palato. 86
Excrescentia carnis in naribus Gallica. 91
Excrescentia carnium in digitis. 120
Excrescentia in femore magna. 126
Exulceratio pectoris fonticulo pedis curata. 108

F.

Facies pulvere tormentario ambusta. 91
Fissura in cranio capillaris. 92
Fistula thoracis cum erosione claviculæ. 93
Fistula thoracis subcutanea, acu pertusa. 99
Fistula thoracis ex dentibus curata. 101
Fistula mammæ dextræ. 116
Fœtus mortui eductio. 117
Fractura fibulæ & tibiæ cum deperditione substantiæ. 28
Fractura & depressio cranij, lamina exteriore salva. 37. & 79
Fractura femoris cum vulnere. 121
Fractura cruris cum vulnere. 122

G.

Gonorrhæa virulenta. 117
Gumma Gallicum chirurgia curatum. 113
Gutta serena setaceo depulsa. 91
Gutta serena incurabilis. 92

H.

Hæmorrhagia narium enormis. 35
Hæmorrhagia post evulsionem dentis. 35
Hæmorrhoidum nimius fluxus chirurgia suppressus. 52
Hæmorrhoidum dolor recidivus ex usu fol. senæ & scammonij. 117
Hernia carnosa cura. 116
Herpes miliaris & exedens. 114

I.

Intertrigo ilium. 108
Introcessio cranij & punctura duræ matris interimens. 77
Introcessio cranij mollioris in adulta minimè fissi. 92
Inflammationes Erysipelatosæ & œdematosæ. 130

L.

Lapillus è meatu urinario citra scalpelli aut specilli operam exemptus. 113
Lepra Græcorum. 128
Lepra ex esu carnium leprosarum. 130

M.

Meliceris in humero & genu resoluta. 113
Manus ob spinam ventosam amputata. 125

N.

Nervi punctim vulnerati. 113

O.

Ozæna Gallica cum corruptione ossis. 47
Ozæna Gallica citra corruptionem ossis. 47. & 91

P.

Partus tres monstrosi 60. & 51
Palpebræ relaxatæ propter glutinum contractio. 44
Palati citra malignitatem corruptio. 86
Palatum virulentia Gallica erosum. 45
Penis extirpatio. 112
Perniones exulcerati. 120
Punctura cranij utrumque laminam penetrans. 81

S.

Scapulæ corruptio. 112
Scrofulæ collum occupantes. 90

Spina ventosa. fol.122 & 125
Steatomata utriusque manus. 120
Sterilitas ex malè reposita hernia. 114
Sinus in femore, forcipe deceptoria, malè incisus. 63. E.
Sinus palati callosus. 86

T.

Tibia corrupta. 65, 118. & 130
Tumor in collo pendulus setaceo auriculæ inusto diminutus. 41
Tumor cum folliculo excisus in maxilla superiore. 84. & 87.
Tumores œdematosi. 115
Tinea capitis 128

V.

Varicum sectio infelix. 65. O.
Vertigo ex abscessu cerebri. 78
Vinculum linguæ unguibus & phlebotomo periculosè disruptum. 89
Umbilici prominentia monstrosa. 51
Vomitus sanguineus lethalis. 115
Uvulæ corruptæ amputatio. 6
Vulnus capitis cum depressione & rima cranij. 69
Vulnus capitis cum inflammatione pericranij & fissura calvariæ. 71
Vulnus capitis os frontis dividens. 72
Vulnus capitis cum fissura cranij maxima. 73. & 74
Vulnus capitis cum incisione falcis lethale. 78
Vulnus capitis 29. septimana per trepani operam curatum 78
Vulnus capitis ex potu vini lethale. 80
Vulnus capitis cum dedolatione cranij. 80
Vulnus capitis cum duobus fungis lethale. 81
Vulnus carpi cum læsione arteriæ. 123
Vulnus oculi ex infixo fusi aculeo. 82
Vulnus & fractura nasi. 83
Vulnus sclopeti in maxilla inferiore. 88
Vulnus sclopeti cum fractura pedis. 127
Vulnus sclopeti in inguine & pene. 106
Vulnus sclopeti in dorso. 109
Vulnus sclopeti in humero cum gangræna. 114
Vulnus septi transversi & ventriculi. 100
Vulnus thoracis cum fractura costæ. 94
Vulnus thoracis periculosum. 95
Vulnus thoracis paracentesin requirens. 97
Vulnera thoracis scalpello dilatata. 101
Vulnus thoracis lethale. 111

INDEX RERUM.

A.

Ægilopis cura. Tab.33. Fig.3 & 5.
Ani inspectio. Tab. 41. Fig. 6.
Anus recens natorum occlusus perforatur. Tab 41. Fig. 6.
Ancyloblephari cura. Tab. 33. Fig. 2.
Apparatus ad vulnera capitis dilatanda. Tab. 30. & 31.
Apparatus ad cranium trepano perforandum. Tabul. 32. Fig. 1.
Apparatus ad parandum fonticulum in sutura coronali. Tab. 30. Fig 1. & 7.
Aqua calcis nobilissima. fol 115.
Aqua hordei Magistralis. fol 96.
Aqua socialis. fol. 40.
Ardor urinæ mitigatur. Tab. 40 Fig. 4.
Arteria aspera perforatur. Tab. 34. Fig. 3. 4. 5.
Articuli elongatio fol. 22.
Ascia in circulum adducenda. Tab. 28. Fig. 10. in crure.
Ascia in circulum adducta. Tab. 27. Fig. 10.
Ascia in crucem adducenda. Tab. 27. Fig. 1.
Ascia in crucem adducta. Tab. 28. Fig. 10. in femore.
Astraguli luxati restitutio. Tab. 25. Fig 1.
Atheromatis in fronte excisio. Tab. 35. Fig. 2. & 4.

C.

Calculus in vesica exploratur. Tab. 40. Fig. 1 & 2.
Calculus è meatu urinario eximitur. Tab. 40. Fig. 3.
Calli circa partes fractas generatio. fol. 25.
Caruncula meatus urinarij extirpatur. Tab. 40. Fig. 5.
Cataplasma Escharoticum. fol. 12.
Cataplasma contra ophthalmias expertissimum. fol. 84.
Cataplasma ad gangrænam mirabile. fol. 114.
Ceratum constrictivum. fol. 53.
Ceratum diasinapios. fol. 62.
Ceratum citrinum. fol 63.
Ceratum ad gummata Gallica. fol. 66.
Ceratum divinum. fol. 75.
Ceratum Hipp. rosaceum. fol. 20.
Ceratum oxelæum. fol. 105.
Clitoridis auct. diminutio. Tab. 41. Fig. 1.
Clysterem ipse patiens applicat. Tab. 42. Fig. 8.
Contusionum capitis variæ species. fol. 36 37. & 38.
Contusio capitis sine laceratione cutis, introcessione cranij & suspicione alicujus fissuræ. fol. 36.
Contusio capitis cum depressione, sed sine rima cranij, sub integra cute, in adultis. fol. 37.
Contusio capitis in adultis cum depressione cranij & fractura laminæ internæ, citra vulnus cutis, & rimam laminæ externæ. ibid.
Contrafissura cranij. fol. 38.
Cranij per modiolos perforatio. Tab. 31. Fig. 5.
Cranij depressi elevatio. Tab. 32. Fig. 2. & 7.
Cranij fissi vel erosi derasio. Tab 30 Fig. 10.
Cruris fracti compositio. fol. 15.
Cruris fracti deligatio. Tab. 29.
Cubiti luxati restitutio. Tab. 23. Fig. 2. & Tab. 24. Fig. 1.

D.

Decoctum Divinum. fol 38.
Decoctum Magistr. fol. 61.
Dedolatio cranij fol. 38.
Deligatio partis mutilatæ. Tab. 28. Fig. 1. 2. & 3.
Dentium extractio. fol 3.
Dentis cariosi adustio. Tab. 36. Fig. 1.
Dentis buccam offendentis excisio. Tab. 36. Fig. 2.
Dentium constrictorum diductio. Tab. 36. Fig. 6.
Depressio cranij simplex sub integra cute in pueris. fol. 38.

E.
Emplastrum ad hæmorrhagiam narium. fol. 35
Extensionis in fracturis & luxationibus requisita. fol. 18. & 23.
Emplastrum ad hernias carnosas. fol. 116.
Electuarium dentifricium. fol. 115.
Electuarium ad scrofulas. fol. 90.
Electuarium ad Hernias intestinales & umbilicales probatissimum. fol. 54.
F.
Fascia fonticuli in capite. Tab. 30. F. 6. in brachio fol. 64. H. in femore & sura fol. 65. K.
Faucibus inhærentium exemptio. Tab. 36. Fig. 9.
Femoris luxati restitutio. Tab. 23. Fig. 4.
Femoris fracti compositio. Tab. 26. Fig. 1.
Ferularum qualitates fol. 23.
Ferulæ quando usurpandæ. fol. 25.
Figura media totius brachij & pedis. Tab. 26. Fig. 2. & 3.
Fistulæ thoracis subter costas reptantis in fundo perforatio. Tab. 38. Fig. 5.
Fistula thoracis externa inciditur. Tab. 39. Fig. 2.
Fistularum ani cura penetrantium. fol. 58.
Fistularum ani non penetrantium curatio. fol. 58.
Fœtus mortui extractio. Tab. 41. Fig. 5.
Fonticuli in capite locus. Tab. 32. Fig. 2.
Fonticuli in brachio locus. Tab. 43 F.
Fonticuli in femore locus. Tab. 43. I.
Fonticulus in sura. Tab. 43. K.
Fracturarum generalis curatio. fol. 23.
Fractura simplex, transversa & obliqua. ibidem.
Fracturæ conformatio. fol. 23.
Fracturæ repositæ conservatio per deligationem. ibid.
Fracti membri depositio. fol. 24.
Fractæ partis religatio. ibid.
Fractura simplex asseralis fol. 26.
Fractura cum vulnere simplici. fol. 26.
Fractura cum vulnere & osse minimè nudato, ossis tamen frustulum expectatur. fol. 27.
Fractura eadē, in qua magna ossis portio abscessura est f. 27
Fractura cum vulnere & osse simpliciter nudato. fol. 28.
Fractura cum vulnere & osse prominente. fol. 28.
G.
Gargarismus ad anginam. fol. 90.
Genu luxati restitutio. fol. 16.
Globulorum è vulneribus extractio. Tab. 43. N.
Gummata Gallica curandi modus. fol. 66.
H.
Herniæ intestinalis chirurgia Nursinorum. Tab. 40. à Figur. 8 usq. ad 14.
Herniæ intestinalis cura mitior. Tab. 39. Fig. 6. 7. & 8.
Herniæ umbilicalis chirurgia Celsi. Tab 38. Fig. 7.
Herniæ umbilicalis cura mitior Fabritij. Tab. 38. Fig. 8. & Tab. 39. Fig. 1.
Hæmorrhoides tumentes manuali opera curantur. fol. 59.
Hæmorrhoidum nimium fluentium curatio. fol. 59.
Hæmorrhoides exulceratæ ferramentis sanantur, fol. 60.
Hymen integrum inciditur. Tab. 40 Fig. 15. & 16.
Humeri prolapsi restitutio. Tab. 21. Fig. 7. & Tabul. 23. Fig. 3.
Humeri fracti compositio. Tab. 23. Fig. 1.
I.
Iuguli luxati restitutio. Tab. 24. Fig. 3.
Intestini recti repositio. Tab. 41. Fig. 7.
Injectiones aurium periculosæ. Tab. 36. Fig. 5.
Infundibuli applicatio. Tab 36. Fig. 8.
Introcessio cranij cum rima in medio depressionis lata. f. 38.
Introcessio cranij cum rima in medio angusta. ibid.
Introcessio cranij cum rima ad latus lata & angusta. ibid.
Interstitium duorum foraminum serrula versatili interciditur, Tab. 32. Fig. 1.
L.
Linimentum ad carunculas in meatu urinario egregium. fol. 56.
Linimentum ad ambusta. fol. 91.
Linimentum simplex. fol. 105.
Linimentum ad perniones exulceratos. fol. 120.
Luxationum cura generalis. fol. 18.
Luxatio simplex. ibid.
Luxatorum extensio. ibid.
Luxatorum Repositio. fol. 19.
Luxatorum deligatio ibid.
Luxatorum depositio. 20.
Luxatorum religatio. ibid.
Luxatio cum inflammatione. fol. 21.
Luxatio cum vulnere & osse detecto. ibid.
Luxatio cum convulsione. ibid.
Luxatio cum callo fol. 22.
Luxatio recidivans. ibid.
M.
Manus luxatæ restitutio. Tab. 24. Fig. 2.
Mamma carcinomate affecta abscinditur. Tab. 38. Fig. 1.
Matricis inspectio. Tab. 41. Fig. 4.
Hic benevolum lectorem etiam atque etiam rogo, ut errorem, qui ex descriptione hujus figuræ elucescet, amica mente corrigere velint.
Maxillæ inferioris depressio. Tab. 36. Fig. 7.
N.
Narium, in ozæna & post excisionem polypi, adustio. Tab. 37. Fig. 1.
O.
Occipitis inustio. Tab. 34. Fig. 7.
Oculus firmatur. Tab. 33. Fig. 6.
Oleum Logadorum. fol. 90.
Oris leporini correctio. Tab. 35. Fig. 8.
Ora foraminis trepano facti lævigantur. Tab. 31. Fig. 7.
Ossicula cerebri membranas pungentia forcipibus abrumpuntur, Tab. 32. Fig. 3. 4. 5. & 8.
P.
Palpebræ superioris relaxatæ curatio. Tab. 35. Fig. 3.
Palpebræ superioris contractæ Cura. Tab. 35. Fig. 4.
Paracentesis abdominis. Tab. 39. Fig. 2. & 3.
Paracentesis thoracis. Tab. 37. Fig. 2. 3 & 4.
Papillæ lactantium occultæ provocantur. Tab. 37. Fig. 6.
Penis occlusus perforatur. Tab. 40. Fig. 6.
Pilula Herlicij ad dolorem dentium. fol. 89.
Pilulæ, quæ menses promovent. fol. 125.
Pili oculos irritantes evelluntur. Tab. 35. Fig. 2.
Polypi excisio. Tab. 33. Fig. 7.
Pterygij cura. Tab. 35. Fig. 6.

Pulvis

Pulvis ad intertriginem expertus.fol.108.
Pulvis ad excrescentias carnis optimus 120.
Pulvis dentifricius fol.120.
Punctura cranij fol.28. abraditur. Tab.33.Fig.1.
Pulvis in Herniis puerorum gratus.fol.54.

R.

Resectio Manus extrema. Tab.27. Fig.11.& 12.
Resectio pedis extremi. Tab.27. Fig.15.
Resectio pollicis. Tab.28. Fig.12.
Repositio membri velluxati vel fracti in candelam. Tabul.24.Fig.2.&3.

S.

Setaceum auriculæ lobo inuritur. Tab.34 Fig.6.
Setaceum nuchæ inuritur. Tab.34. Fig.8.9. & 10.
Sparadrappum ad conservandos fonticulos.fol.65.
Spiritus Masttichinus.fol.87.
Spinæ ad exteriora prolapsæ restitutio. Tab.25.Fig.2.
Spleniorum qualitates.fol.23.
Suturæ coronalis & sagittalis concursus quomodo invenitur. Tab.30.Fig.2.
Suffusio perfecta. Tab.33. Fig 3 acu deponitur.T.33.Fig.4.
Staphylomatis cura. Tab.35. Fig.5.
Symptomatum fracturis supervenientium correctio.f.25.
Symptomatum herniæ intestinali supervenientium correctio. fol.53.

T.

Tibiæ derasio.fol.65. R. ubi notandum quod vulneris labia linteolis cooperiri debeant, velut in derasione & perforatione cranij. Tab.31. Fig.5.
Trochisci pectorales cum Ambr. & Mosch.fol 97.
Tumor tunicatus adamante ruptus. Tab.33. Fig.7.
Tumorum tunicatorum & excrescentiarum magnarum generalis curatio.fol 43.

V.

Vasorum temporalium exploratio. Tab.33 Fig.2.
Verrucæ penis Venereæ extirpantur. Tab.40. Fig.7.
Ulcera intestini recti cannulis exiccantur.Tab.41.Fig.8.
Urina suppressa educitur Tab.39.Fig.9.
Unguentum de Tutia fol.61.
Unguentum Evæ.fol.63.
Unguentum de Bethonica.fol.75.
Unguentum calli generationem prohibens.fol.101.
Unguentum callos fistularum excedens. ibid.
Unguentum ad nervos punctim vulneratus.fol.113.
Unguentum citrinum.fol.114.
Vulnerum abdominis species. fol 49.
Vulnera abdominis dilatantur. Tab.37. Fig 5.
Vulnera abdominis consuuntur. Tab 39.Fig.5.
Vulnera intestinorum consuuntur. Tab.37.Fig.6.H.
Vulnera capitis dilatantur vel in triangulum. Tabul.31. Fig.2 vel in crucem Tab.30.Fig.9.
Uterus prolapsus reponitur. Tab.40. Fig.18.
Uteri injectiones fiunt metrenchyta. Tab.42. Fig.2.
Vulnerum capitis omnes species.fol.31.&c.
Vulnus capitis simplicissimum.fol.31.
Vulnus capitis cum offensione folius pericranij fol.32.
Vulnus capitis cum alteratione cranij.ibid.
Vulnus capitis cum sede instrumenti. ibid.
Vulnus capitis cum rima capillari non penetrante.ibid.
Vulnus capitis cum rima capillari penetrante.fol.33.
Vulnus capitis cum rima penetrante & evidente cranij, sed angusta. ibid.
Vulnus capitis cum fissura cranij penetrante & satis hiante.fol.34.
Vulnus capitis cum læsione duræ matris. fol.35.
Vulnus capitis cum læsione piæ matris, & cerebri.ibid.
Vulnus musculi temporalis cum læsione pericranij & vasorum. ibid.
Vulnus musculi temporalis superficiale fol.36.
Vulnus musculi temporalis cum cranij rima angusta.ibid.
Vulnus musculi temporalis cũ rima cranij satis patente.ib.
Vulnerum thoracis species fol.49.
Vulnus thoracis dilatatur. Tab 37. Fig.5.E.
Vulneris in femore per fibulas adductio. Tab 43. P.
Vulnus genæ Emplasticis unitum. Tab.35.Fig. 8.
Vulva clausa aperitur. Tab.40.Fig.17.
Uvula corrupta abscinditur. Tab.34. Fig.1.2.

ERRATA GRAVIORA.

Prior numerus folium, alter lineam, litera intermedia columnam indicat,

FOL.1.a.26.quæ cauterium,b.43.claviculæ.2.a,43 duos.3.b.11.dicto elevari modo.a.33. ἀκαταβλητον.4.a,14 spatium.5,2.armato *adde*, deque cauteriis, quibus inuritur occipur. 6.a.39.pelicano.7.a 14.dentariarum.a.17.plærumque tres.b.7.altius quasi.b.13.harum.8.a.2.unguis8.b.7.*dele* ea.a,36.infundendum aliquid.a.41.aliis etiam fœminis.a.48 καθιλήρ@.3.herniæ Nursinani.b.13.à medio 11.b.9.Ex.a.22.incurvato & convulso crure, genu.a.42.ani & penis.13 a.50.carpum vel cubitum.14 a.8.priapiscus.a.6 transversos.a.22.esse.a.31.suspendere.b 3 Rorulis.b.36.summum.15.b.6 comm.1.16.a.11 at inferior.a.17.ossis, usque ad medullam tibiæ dextræ.a 44.devenirem.a.45.Fig 10.17.a.31.quæ in defectu serræ b.46.Tab.27.18.b 7 veterum plærumque.19.a 14.facilitarem.a.19.*& in aliis locis* hydrelæi.b.6.circumgyrationem.b.28 prima & reliquis.a 37.deinde 20.a.19.excludunt 21.a.20.cessat.22.b.24.ana q.s.b 34.enim b 41.incurabilis 23.b 24.*dele* facta 27.a.6.an ossis b.1.jam fit.a 52.similiter adducatur.28.b.13.aliquando citra 29 a.4.austero &.a.15.docet, quomodo.30 b.7.vid.Tab.31 Fig.2.b 24.ante.b.34 Tab.31.31.a.25.ossicula.b.32.eximere.b.40 præcedentis.32.b.46.Tab 30 Tab.31.33.b.7.Tab.31.34.a.7.quandoque serum.a 19.Tab.31.a.22.Tab.32.a.39 perforandi.b 22.arcendam.35.b.44.consistente.36.b.2.arcendam phlegmonen.37.a 18.modiolis in hoc casu.a 20.puerilis depressum &.37.b 35.nullaque.b.41.triploidis paulò altius.38.b.9.introcessit.b.43 musculumque.39.a.11 ita ut.b.9.ægilopem.22.a suffusione seu.b.42.cui cubitus b.56.*dele* corneam.40.a.29.gossipium.b.42.dextra.41.a.29.teneat vel potius sparula perforata) a.4 *dele* in 42.a.1.Fig.7.a.46.dimidii 43.a.1.abhorrent.a.3.rationem a.13.*dele* alias.a.15.aliàs considerabilem.a.40.transfigitur b.22.pro *non*.ponatur *etiam*.44.a.28.ana.31.a.42 adhibere.b.56.longam habeat.45.b.12.invice u.a.50.auditus famæque gravitas.46.a.6.nec.a.25.excindi.b 23 pro *vero* pone *vel*.b.45.*dele* pectoris.b 51.rursundam.47.b.1.vicibus fit, ut sine b.15.descriptam 48.b.11.in sinistro vero vel.b.39.eo quod.b.49 ustione musculorum, vel perforatione costæ b.55.deinde cutis.49 a.17 ℥vj.vel ℔j vel a 49.vel non penetrat 50.a.50.acus,sed nou per.52.b.24.puncta b.15.pronexum(♂).53.a.39.curandam phlegmonen.56.a.16.caruncula.a.25.oblita sit.a.42.mortario.*ibid.* Cannula igitur.a 46.donec.b.35.sanguinem.58.a.2.fascia.b.7.Tab.37 *pone immediatè post* supra.a.31.fistularum ani b.35.*pro Arsenici præp. pone* Mercur.præcip 59.b.27.quando una.a.47 pertinax.60.a.2.adstantibus b.14.aggregatur.statisque.b.37.Pharmacopœi.b.5 capicitate.62.b.3.arteriæ,b.11.genu vel cruris.b.40 *pro genu pone* crus.63.a 5.latera.64.a.54.profundè.b.23.Ischiaticum.69 a.34 vulnera.70.b.42.biliosi.71.b 23.bethon.72.a.43.empiricum.a.51.*pro ei*, vi.b.45.ut aliàs 73.a.13.pericranium læderet 74.b.22.fabarum ana ℥vj.76.a 18.metueret b.47.responsionem.77.a.32.cutis.b.18.ut & ipsi.78.a.24.*pro gallina pone* columbinum.a 50.à conjuge b.43.evidentiss.79.a.12.eminentiasque.80.a 6 quem a 12.certissimum a.47.ossi 81.b.3.tenuiore.b *pro sub* supra.b.31.*dele*.ita.82.a.13.tenuis 82.a.45.Fig.2.86.b.9.mali.8.a.17.*pro paulatim* palatum.b.26 morbi curationem 87.a.10.*pro cute* capite.a.28.*pro N.pone* I.a 33.cathartico 8.b 34.Tab.26.89 a.*pro punget* pupugit.b.15.quædam olei b.18.sclopomachærio 90.a.9 sub lingua dolore.b.1.fœmella.a.16.Sacchari, giugiberis.a.18 remotioribus.b.25.& 26.Mesenrerium.91.a.21.pilulas.b.28.detinui.92.a.19 pedetentim a.20.medicamentis repellentibus.a.30 scala 95.a 8 sacrum.a.21.biliosa.b.2.à quibus etiam.b 26.& Sostrati 96.a.18.digitis,in macilento præsertim corpore.98.a.16.resinæ Terebinthinæ.b.48 *pro illa* illud.99.a.19.*dele* in.19 b.ex eo.b 30.retraxi.b.31.materia.105 a.21.Hippoperopœus.b.34.posteriopore thoracis.b.49.Tab.38.102.a.47.Tab.37.a.49.sanguinis b.8.excortic ℥j.b.17.pro duabus 103.a.46.in dextro.105 b 39.*sequens* 54.106.b.52.ancillis.108.a 34.octogenarius 110.a.9.pus.a.22.*dele* in.111.b 34.illud in.114.a 3.ceratum.115.a.*dele* Iohan.Chunrad.a.33.lato.a.43.particeps.116.a.7.*pro vertici* pone dorso.119.a.33.deligavi 120.b.8 seq.decocto.a.27.Steatomata.122.a.5.&Tab 28.Fig.12.a.19.Fig.3.b 33.cæpit.123.b.52.cubiti.145.a.10.fœtitissimum.130.a.3.Erysipelatosis & œdematosis simul.a.5.chirurgis.a.27.psoradici 128.a.1.curationem.b.5 Fig1.a.28.extenti. NB.28 *pro Hippocratico, pone* Paulino.b 31.*pro Paulino, pone* Hippocratico.